BIU Cujas

BIU Cujas

10907

BIU Cujas

CHRISTIANI WOLFII
JUS NATURÆ
METHODO SCIENTIFICA
PERTRACTATUM,

PARS SEXTA,

DE

DOMINIO UTILI
IN SPECIE DE FEUDO,

ACCEDIT DOCTRINA

DE INTERPRETATIONE,

De Jure ex Communione primæva residuo, de Officiis erga Mortuos, nondum Natos & Posteros nec non Eruditorum,

ET NUNC PRIMUM CUM

VIRI CL. DE VATTEL

ANIMADVERSIONIBUS,

EDITIO NOVISSIMA EMENDATIOR, ET AUCTIOR.

1090?



FRANCOFURTI, ET LIPSIÆ,
MDCCLXVI.

ÆRE SOCIETATIS VENETÆ,
SUPERIORUM FACULTATE, AC PRIVILEGIIS.

BIU Cujas

BIU Cujas

Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi ac Domino Domino

FRIDERICO REGI BORUSSIÆ,

Marggravio Brandeburgenſi, Sacri Romani Imperii Archi-Camerario & Principi Electori, Supremo Sileſiæ Duci, Principi Supremo Arauſionenſi, Novi Caſtri & Valengiæ, necnon Comitatus Glacenſis, Geldriæ, Magdeburgi, Cliviæ, Juliaci, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiorum, Vandalorum & Megapolis, necnon Croſnæ Duci, Burggravio Norimbergenſi, Principi Halberſtadii, Mindæ, Camini, Vandalii, Sverini, Raceburgi, Oſtfriſiæ & Murſii, Comiti Hohenzolleræ, Ruppini, Marcæ, Ravensbergi, Hohenſteinii, Teklenburgi, Sverini, Lingæ, Buræ & Leerdami, Domino Ravenſteinii, Roſtochii, Stargardiæ, Lavenburgi, Butoviæ, Arlayæ & Bredæ &c. &c. &c. Regi ac Domino meo longe Clementiſſimo.

REX AUGUSTE.



Quamvis vix quiſquam reperiatur, qui non exploratum habeat, inter arma ſilere leges, ſub regimine tamen MAJESTATIS TUÆ, prorſus ſingulari, quemadmodum alia multa, quæ certa ac comperta exiſtimantur, ita quoque effatum iſtud exceptionem habet. Non ſiluerunt Muſæ noſtræ, cum Mars atrociſſimas minas jactaret. Cum flammis jam toti induerentur fines noſtri; noſtræ tamen Muſæ minime rebantur tum ſuam rem agi, cum paries proximus arderet. Quæcunque rumor indies narrabat de crudeliſſimo ac luctuoſiſſimo exitio ſedi Muſarum noſtrarum comparando, ea nequaquam impedire potuerunt, quo minus eædem loquerentur ac avidis auribus audirentur. Nullus terror panicus invadebat animos eorum, qui diſcendi cauſa ad nos acceſſerunt, ut tempeſtive ſibi fuga conſulerent, & docentes quieto ac tranquillo animo labores ſuos conſuetos tam publicos, quam privatos non interrupta ſerie continuabant. Nimirum Te, Heros Invictiſſime, providentia divina orbi datum eſſe intelligebant omnes, ut pacem reſtitueres, & Muſis otia faceres, ac conſervares. Ex virtute igitur tua veloci præſidium ſibi petebant, nec ſpes quenquam fefellit. Hoſte enim ultima audente veniebas, videbas, vincebas, & antequam expectari poterat, feliciter perfeceras, quod generoſo animo TIBI propoſueras, ſcilicet ut Germaniæ tot belli calamitatibus jam defeſſæ pacem dares ac diſcordiam tolleres. MAJESTATI TUÆ ego quoque acceptum fero,

BIU Cujas

quod turbulento hoc rerum ſtatu incœptum opus deſtituere non fuerim coactus, ſed ejus Tomum Sextum nunc in publicum proferam, qui cum antea jam Tuus ſit, nunc nova ratione Tuus factus eſt. Patere igitur, ut eum non tantummodo mente venerabunda ſicuti anteriores, verum etiam grata & gratulabunda ante pedes MAJESTATIS TUÆ deponam. Ceterum Tu quoque, REX PHILOSOPHE, qualem optavit antiquitas, ut beata foret Reſp. ſed non vidit, inter medios armorum ſtrepitus aditum facilem ad Te dediſti Muſis, & conſiliis bellicis maxime intentus, ut de rebus ad illas pertinentibus cogitares minime moleſtum accidit. Rerum teſtimonium domeſticum mihi eſt, idque ſatis luculentum, ut ad alia provocare mihi non ſit opus. Cum enim Sereniſſimus Bavariæ Elector in adminiſtrando Vicariatu Imperii ſuam in Muſas propenſionem orbi erudito demonſtraturus me nihil tale cogitantem una cum poſteris meis ad dignitatem Liberi Baronis S. R. I. proprio motu evexiſſet, & poſtquam hoc mihi ſignificatum fuerat, ego rem omnem ad MAJESTATEM TUAM referrem, illo ipſo tempore, quo hoſtem in Bohemia profligabas & de exercitu in Sileſiam reducendo cogitabas, ut, quemadmodum debebam, in honoribus mihi decretis totus a voluntate Tua dependerem, Tu REX INDULGENTISSIME, non modo hoc vehementer probaſti, verum etiam confirmaſti & ſummis negotiorum publicorum Adminiſtris eam curam ſtatim demandaſti, ut in terris tuis ac in ſpecie Fridericiana tua inter Profeſſores ampliſſima hac dignitate eminerem. Taceo cetera, quæ modeſtia reticeri jubet. Quantum, REX SAPIENTISSIME, Muſis faveas, ſicuti aliis jam antea multis documentis, ita etiam hoc prorſus ſingulari probaſti, quod adeo publice grato animo prædicari & poſterorum memoriæ commendari debebat. Deus T. O. M. qui hactenus omnibus Tuis conſiliis & actis eventum reſpondere juſſit, eodem nunquam in poſterum illa deſtitui velit! Ita vovet

AUGUSTÆ MAJESTATI TUÆ

Subjectiſſimus, ac fideliſſimus
CHRISTIANUS DE WOLFF.

PRÆ-

BIU Cujas

PRÆFATIO.



UM anno ſuperiori Tomum quintum Juris Naturæ publici juris facerem, monui me in Tomum Sextum rejicere coactum fuiſſe ea, quæ de dominio utili demonſtranda adhuc erant, antequam omnia jura, quæ a dominio deſcendunt, abſoluta eſſent. Ea igitur in præſenti volumine primo loco comparent. Præcipuæ ſpecies dominii utilis ſunt emphyteuſis atque feudum, & illi agnatum eſt jus libellarium, cenſus ac jus ſuperficiarium. De hiſce igitur ſingulis ea demonſtravimus, quæ Juri naturæ conſentanea ſunt. Inprimis prolixa eſt de feudo tractatio, cum nihil prætermittendum eſſe duxerimus, quod ad hoc Jus intime perſpiciendum facit. Quamvis enim facile largiamur jus iſtud a Germanis originem ſuam deducere, non tamen propterea exiſtimandum eſt, quaſi idem ignoret Jus naturæ, ac æterna iſta & immutabilis lex, quæ a voluntate hominum minime dependet, nihil de eodem præcipiat ac prohibeat. Quemadmodum ea regit omnes actus humanos; ita quoque eidem ſubeſt feudum. Jus hoc poſſibile fuit, antequam de eodem cogitarent mortales, nec id introducere potuiſſent, niſi poſſibile fuiſſet. Etſi adeo homines eodem uti cœperint, cum antea ignoraretur; lege tamen naturæ ab æterno jam ſancitum fuerat, quod in eo conſtituendo & exercendo obſervari debeat, vel liceat. Neque hoc ſingulare eſt in feudo: vidimus enim id obtinere in aliis quoque actibus humanis, & porro videbimus quando ea tra-

BIU Cujas

traditurі ſumus , quæ ad imperium tam privatum , quam publicum pertinent . Jura homines acquirunt per pacta & ſeſe invicem ad certas præſtationes obligant per promiſſa . In pactis vero atque promiſſis pro vero habetur quod dictum eſt , vel alio modo ſufficienter indicatum . Quamobrem ut certum ſit , quodnam jus ab altero acquiſiveris , vel quantum eundem ſibi , aut tu te ipſi obligaveris ; omnis tandem quæſtio huc redit , quid per verba aut ſigna alia indicatum fuerit . Opus igitur eſt interpretatione , ac id habetur pro vero , quod recta interpretatio ſuggerit . Quænam vero recta ſit, lex naturæ docet , quippe quæ præcipit , quomodo ea fieri debeat . Poſtquam igitur de pactis , ſeu contractibus egimus , regulæ quoque interpretationis demonſtrandæ erant , quibus cavetur, ne quis pro lubitu fidem datam fallere poſſit abſque perfidiæ nota . Tuetur nimirum jus naturæ jura hominum etiam per ea , quæ de interpretatione præcipit , ut adeo doctrina de interpretatione haud poſtrema Juris naturæ pars ſit . Facile autem patet, quæ de pactorum & promiſſorum interpretatione dicuntur , de legum quoque interpretatione accipienda eſſe . Sunt enim pacta & promiſſa leges ſingulares , quibus ad certos actus perſonæ ſingulares obligantur & earum libertas quoad eos ita reſtringitur , ut alterius juri ſint ſubjecti , quam pactorum & promiſſorum cum legibus convenientiam in ipſo opere demonſtravimus . Supererant vero etiam adhuc alia nonnulla , de quibus in anterioribus commode dici non poterat , quæ tamen] prætermittenda non erant . Ea igitur in præſenti volumine addere viſum fuit . Pertinet huc Jus ex communione primæva reſiduum , quod eadem ſublata & dominiis introductis tacite reſervatum eſt , cum hæc ſine illius reſervatione introduci haud quaquam permiſerit Jus naturæ . Eminet hic jus neceſſitatis , quod ut penitus perſpici poſſet, de Jure quoque neceſſitatis in genere nobis agendum fuit . Ad jus iſtud neceſſitatis referendus eſt jactus navis levandæ cauſa in mari factus , ut commune periculum evitetur . Quæ igitur lege Rhodia de jactu præcipiuntur , hic quoque ad normam Juris naturæ exiguntur . Neque hic opus eſt , ut lex Rhodia ad caſus ſimiles extendatur , quemadmodum ab interpretibus Juris civilis fieri ſolet , cum de iiſdem caſibus ipſa lex naturæ præcipiat , quid fieri debeat , aut facere liceat . Ad jura ex communione primæva reſidua pertinet quoque Jus innoxiæ utilitatis, quæ plura particularia ſub ſe continet , de quibus ſingulis dictum eſt , quatenus iiſdem locus eſt , antequam imperia introducta ſupponantur . Quæ

enim

BIU Cujas

enim ab hiſce dependent, ſuo demum loco demonſtrabuntur. Equidem officia potiſſimum debentur vivis, cum vivus vivo utilis ſit, mortui autem ope ac auxilio nullius habeant opus; ſunt tamen quædam adhuc officia, quæ etiam mortuis præſtari poſſunt ac debent. Noſtrum adeo fuit nec hæc intacta relinquere. Debemus mortuis officium laudis, debemus etiam poſt fata gratiam benefactoribus, ita ut non modo gratias agere iiſdem teneamur, verum etiam gratiam rependere in aliis. Cumque dominia & alia jura ab illis pendentia ab hominibus amittantur, quamprimum moriuntur, morte tamen eorundem cum iiſdem adhærentibus obligationibus non extinguantur; de eorum quoque tranſmiſſione in alios generalia principia tradenda fuerunt. Quamvis vero hic locus videri poterat agendi de ſucceſſione ab inteſtato & teſtamentis; noſtra tamen methodus hoc argumentum in alium differri juſſit. Quid enim lex naturæ cum de teſtamentis, tum de ſucceſſione ab inteſtato præcipiat; ea tum demum intelligi poterunt, ubi de imperio privato in perſonas fuerit actum: ex hoc enim deducendum eſt, quid juri naturæ tum quoad teſtamenta, tum quoad ſucceſſionem ab inteſtato conveniat. Amor quoque univerſalis, quo promiſcue homines omnes proſequi debemus, morte non extinguitur, danturque actus, quibus etiam erga mortuos eundem demonſtrare valemus. Eſt etiam honoris quoddam officium, quod mortuis adhuc deferri poteſt & huc quoque referendus honor humanitatis, qui in actibus conſiſtit, quibus ſignificamus nos agnoſcere, quod alter æque homo ſit, ac eundem a brutis & aliis rebus diſtinguimus. In hoc rationem ſufficientem agnoſcit jus ſepulturæ univerſale, quod determinationes particulares ſortitur ab officiis ceteris erga mortuos. Quamvis adeo *Grotius* jus ſepulturæ ad jus iſtud gentium voluntarium retulerit, quod nonniſi moribus introductum, nos tamen idem altius repetere ac ex genuino ſuo fonte naturali deducere voluimus, non neglectis iis, quæ de ceremoniis ac ritibus funebribus tenenda ſunt, ne in hiſce quoque ab ea rectitudine recedamus, quam Jus naturæ imperat. Cum denique promiſerimus, nos in præſenti volumine de officiis ac jure eruditorum ex inſtituto acturos; fidem quoque noſtram liberavimus. Equidem non alia ſunt eruditorum officia, quæ lex naturæ ab iiſdem exigit, quam quæ homines ceteri ſibi invicem debent; ea tamen eruditi etiam qua eruditi applicare tenentur in iis, quæ ipſis agenda ſunt. Quoniam vero vulgo hoc fieri non ſolet, ita ut dudum in proverbium abierit, quo quis eruditior eſt,

eo

BIU Cujas

eo perverſiorem eundem eſſe ; tanto magis e re eſſe videbatur in præcipuis ſaltem capitibus oſtendere , quomodo officiis , quæ humanitati debentur , ſit ſatisfaciendum , niſi in æternam iſtam ac inviolabilem legem delinquere velis . Oſtendimus enim eruditum quoque qua eruditum ad perficiendum voluntatem obligari, ita ut, quoquis eruditior, eo virtuoſior eſſe debeat. Dedecent maxime mores præpoſteri ac perverſi eruditos, iidemque gravius peccant, quando a tramite virtutis recedunt, quam alii, quos infirmitas humana & alia magis excuſant . Dolendum vero , quod qui ſtudiis literariis operam navant , de voluntate emendanda ac perficienda parum ſolliciti ſint, quaſi virtus ſua ſponte in animis hominum naſcatur, vel imperari poſſit . Eruditorum eſt veritatem latentem detegere , detectam ab aliis cognoſcere , cognitam applicare ad utilitatem generis humani & ad alios propagare . Unuſquiſque in hſce tantum præſtare debet, quantum poteſt, cumque immenſus ſit rerum, quæ cognoſci poſſunt , numerus , unuſquiſque agere debet , quod ſuum eſſe natura voluit . Non omnia poſſunt omnes , atque ideo nihil abſurdius cogitari poteſt, quam ſi quis ſuam adeo amet Minervam, ut, qui eandem non colunt , eos contemnat , quaſi generi humano ſatis conſultum ſit, ſi unica ſaltem ſcientia excolatur , ceteræ deſertæ jaceant atque incultæ. Unicuique ſua tribuenda eſt laus , uniuſcujuſque agnoſcenda atque prædicanda ſunt merita diverſi licet generis, & qui perſonam ſuam, quam ipſi natura atque fortuna tuendam tribuit , recte gerit, in eo, quod reprehendas , non invenitur. Orbis quoque eruditus veluti theatrum eſt , in quo materia laudis non deſumitur a perſona, quam quis tenet, ſed a modo , quo eam fert , ita ut ei , qui mendicum bene exprimit , magis applaudatur, quam illi , qui Regem male , & ſi uterque perſonam ſuam recte gerit , æquali , quamvis diverſa condecoretur laude. Stolidus autem factus eſt, ſi quis ſeſe extollere velit ſupra alios ob ea , quæ naturæ ac fortunæ accepta ferre debet , & magna laudum diverſarum confuſione affectare eam , quæ ipſi non debetur , vel alteri invidere ſuam , quam ipſe meretur . Si cui decernitur honor ob merita in genus humanum , vel in Remp. eundem ob ingenii præſtantiam & acumen ſine ratione prætendit alius , adeoque veſanæ ſunt querelæ, quas hic movet , quod alter honoribus & præmiis ampliſſimis decoretur , quibus ipſe non ornatur . Improbum vero eſt , ubi quis ea de cauſa alterius famæ detrahere , aut eandem prorſus laceſſere non erubeſcat , quaſi inde propriæ famæ accederet illuſtre incrementum.

Vere

Vere eruditus is demum habendus, qui virtutem cum rerum cognitione conjungit & in eo vitæ genere, quod ſequitur, perſonam ſuam bene gerit. Sed hoc non ante capient eruditi, nec perverſis ac præpoſteris eorum moribus erit finis, quam ubi ſtudioſam juventutem eo perduxeris, ut cum cultura facultatum cognoſcendi culturam voluntatis conjungat. Nobis virtus & veritas æque chara eſt, & ut omni erudito ſit vehementer optamus. Placet veritas omnis, ſed non eodem modo cenſetur atque æſtimatur, quando ad uſum facultatum animæ refertur, ſine quo inveniri aut inventa cognoſci nequit, vel quando ad utilitatem, quam affert generi humano. Nihil profecto abſurdius cogitari poteſt, quam ſi quis prætendat, ut omnes eruditi, qui bene de humano genere mereri volunt, idem agant, vel etiam ut qui aliud agit, in eo genere ſcientiarum, quod ipſe colit, paria præſtare debeat, aut ſi contemnat eum, qui diverſo ſtudio ſe dedit. Cum eruditi, quemadmodum ceteri homines in univerſum omnes non ſibi, ſed aliis vivere debeant, unuſquiſque eorum ad commodum, utilitatem ac felicitatem generis humani ſymbolum ſuum conferre tenetur. Sunt veluti membra unius corporis, quorum unumquodque propriam ſibi habet functionem, & dum unumquodque agit, quod ſuum eſt, toti conſulitur corpori. Alia oculi, alia prorſus ventriculi functio eſt, ſed illa non minus, quam hac indiget homo. Et vel abjectiſſimarum partium, quæ vulgo putantur, functiones non minus neceſſariæ ſunt, quam illarum, quæ nobiliores habentur. Ita quoque genus humanum, ut ſalvum ac felix ſit, non minus indiget opera eruditi, qui hoc vitæ genus ſequitur, quam qui aliud. Quodſi ergo omnes vel in lineis & calculis algebraicis ætatem omnem conſumere vellent, vel in literis, quas elegantiores appellare ſueverunt, tempus implere; parum profecto conſuleretur generi humano, quamvis ſtupenda & prorſus inexpectata præſtarent. Fieri autem non poteſt, ut, dum hoc agis, aliud quoque agas, etſi ad utrumque paratus. Quamobrem abſonum eſt, ſi quis ſibi perſuadeat, quaſi alter paria ſecum præſtare non potuiſſet, ſi ſtudium ſuum eidem ſcientiæ impertire voluiſſet, quod in alio genere collocat. Immo cenſuram potius merentur, qui, ubi jam plures ſunt, qui ſcientiæ alicui totos ſeſe conſecrant, quam e re generis humani eſſe videtur, ipſi quoque ad eandem multum ſtudii adhibent, quod ad alia utilius convertere poterant, quæ deſerta adhuc & inculta jacent. Non eſt eruditi, ut eo tendat, quo ſua eum trahit voluptas, vel fortuna ducit.

BIU Cujas

Æterna illa ac inviolabilis lex, cui subsunt omnes omnino hominum omnium actiones, præcipit, ut unusquisque agat id, ad quod maxime aptus est &, ubi ad plura æque aptus fuerit, qno maxime indiget genus humanum. Ast de hisce apertius dicendum erit in Philosophia morali. Ceterum nunc absolvimus, quæ ad officia hominum, quæ humanitas exigit, & jura inde atque a dominio descendentia pertinent, si ea excipias, quæ imperium privatum supponunt, veluti successionem in bonis defuncti, de qua in Tomo sequente acturi sumus. Ex iis nimirum, quæ hactenus demonstravimus cum in parte prima Philosophiæ practicæ universalis, tum in integris sex Tomis de Jure naturæ, qui hactenus prodierunt, patet, hominem per ipsam essentiam atque naturam suam obligari ad certa officia erga se, erga alios & erga ipsum Deum: His ut satisfieri possit, natura nobis tribui certa jura tum ad res, tum ad certos actus: Ea ab initio fuisse communia, sed legi naturæ convenienter propria fuisse facta, ita ut tam res, quam actiones libere subjectæ fuerint singulari juri, quod dominium appellatur. Dominium officiis convenienter esse exercendum, & ea de causa opus fuisse, ut dominia vel plena, vel particularia quædam jura sub iis contenta in alios transferrentur. Atque ita a dominio descendisse multa jura, de quibus abunde dictum est. Quemadmodum adeo ostendimus, quomodo dominia fuerint orta ac inde omnia jura rerum, quæ privatis competunt, deduximus; ita nunc porro demonstrandum erit, quomodo jura in personas acquirantur, cum homines omnes natura liberos esse constet, nulli prorsus juri alterius subjectos, ut adeo quoque jura personarum in aprico constituantur. De his igitur agendum erit in sequentibus, ac iis absolutis tandem constabit, quam pulchro nexu omnia jura & omnes obligationes hominum inter se cohæreant, & istiusmodi Institutiones Juris Naturæ ac Gentium adornare dabitur, quales in præfatione Tomi quinti promisimus. Halæ die 9. Aprilis A. 1746.

BIU Cujas

QUÆSTIONES DE JURE NATURALI

CUM ANIMADVERSIONIBUS IN OPUS

C. L. WOLFII DE JURE NATURÆ

AUCTORE

DOM. DE WATTEL

Ex Gallico in Latinum conversæ.

BIU Cujas

BIU Cujas



CL. DE WATTEL
QUÆSTIONES
DE JURE NATURALI
ET ANIMADVERSIONES
IN CL. WOLFII
PARTEM SEXTAM.

§. 8. *Jus immutandi ſine jure alienandi inutiliter reſtringitur ad alium.*

ADdendum proculdubio, *niſi adſint rationes extrinſecæ*. Jus enim immutandi fundum alienum, aut mutationes interdicendi, utile poſſet eſſe ratione extrinſeca e. g. jus hoc in agrum vicinum facultatem mihi tribuet obſtandi, ne in eo domus ædificetur, aut ſtagnum effodiatur, aut opus aliquod noxium efficiatur. *De jure immutandi.*

§. 59. *Emphyteuta in gratiam domini emphyteuſeos emphyteuſin remittere poteſt; & quando hoc facit, dominus emphyteuſeos fit jure pleno dominus rei emphyteuticæ, remiſſio tamen hæc fieri nequit, domino emphyteuſeos invito.*

Poſtrema pars propoſitionis minime probata eſt. Contractus enim emphy- *An remitti poſſit emphyteuſis.*

BIU Cujas

phytheuticus non obligat emphytheotam ad emphytheusim retinendam; sed tantum ad implendas conditiones, quandiu retinet.

§. 72. *Si fundus meliorationis causa in emphytheusin datur, emphytheuta tamen eundem meliorem non reddit, sed potius deteriorem; dominus emphytheuseos eidem jus suum auferre potest.*

De casibus peculiaribus emphytheuseos.

Probat hoc Auctor ex eo, quod si alteruter contrahentium pacta non implet, alter solutus est ab obligatione sua: quod argumentum rectum est, at applicari simul potest pluribus casibus præcedentibus, quos Wolfius aliter omnino judicat, præcipue §. 20.: ibi enim statuitur, si emphytheota non solvit *canonem emphytheoticum*, dominum emphytheuseos cogere illum posse ad solvendum; sed jus adimere non posse emphytheuseos, nisi aliter pactum fuerit. Solutio canonis est conditio explicita contractus: si ergo emphytheota canonem illum non solvit, manifeste pactum violat, ideoque dominum liberat; quid enim gravius in hoc genere? cum *canon emphytheuticus* directi dominii argumentum sit.

Contra contingit, ut remissio jure locum non habeat, si qui rem accepit discedit a pactis: alias, locum non habeat. Ecce, nisi fallor, judicandi regulam: quoties, qui accepit, pacta non implet, quorum causa res tradita fuit, remittenda; si vero violat alia pacta, aliis de causis a domino imposita, non remittenda; sed quod violator egit, infectum habendum si potest, aut compensandum si non potest.

§. 134. *Naturaliter dominus soli superficiarium tantummodo sibi obligatum habet ad præstandum solarium, non vero ipsam superficiem, nisi in contractu superficiario hypotheca in eadem expresse fuerit constituta.*

De solario solvendo pro jure superficiei.

Ex hac propositione colligit Auctor §. 135. si solarium non fuerit solutum, & superficies vendatur, novum possessorem non teneri. Difficile est conciliare hoc judicium cum §. 25. ubi dicitur, si canon emphytheuticus non fuit solutus, dominum emphytheuseos eum repetere posse a possessore quocumque, quia jus ejus exigendi canonem, est *jus in re*, quippe quod fluit ex jure proprietatis & dominii, quod habet in emphytheusim. Nonne dici potest, dominum fundi cum superficiei jus tribuendo sibi redditum, vel *solarium*, reservaverit, habere *jus in re*, cum & hoc fluat ex jure suo proprietatis & dominii in fundum? Alienat quidem partem dominii, scilicet jus superficiei, sed redditum annuum sibi reservat, quæ reservatio est jus in re. Neque enim aut superficies ipsa, aut ædificium ibi conditum, sed jus superficiei talem redditum debet, in quem dominus fundi habet *jus in re*, licet non in ædificium. Domus tua nihil

mi-

BIU Cujas

mihi debet, ſed ne ipſe quidem teneor domum tuam pati in fundo meo, niſi ſolarii cauſa: jus autem meum in ſuperficiem deficit, ſi ſolarium deficit.

§. 353. *Vaſallus ſervitutem prædio acquiſitam remittere non poteſt.*

Auctor in adnotatione ait, nihil intereſſe, an Vaſallus acquiſierit ipſe hanc ſervitutem an prædio annexa fuerit ante; quod minus juſtum videtur. Si enim Vaſallus ipſe ſervitutem acquiſivit, cur non eam remittere poteſt? Nullam injuriam facit jus habentibus in feudum, qui poſtulare nequeunt ut remittatur melius, niſi hoc in pactis fuerit. Vetitum, ne bonum feudale deterius reddatur, ejuſdem conſervationem tantum exigit.

An Vaſallus remittere poſſit ſervitutem prædio acquiſitam.

§. 452. *Naturaliter per felloniam nec Vaſallus feudum, nec dominus directus dominium directum amittit, niſi ſpecialiter fuerit conventum, ut amittatur.*

Etiam hæc propoſitio pugnat cum pr. 72. Patet enim, dominum, dum Feudum gratuito dat, quærere Vaſallum, qui Feudalia Jura ipſi referat. Ergo ſi Vaſallus promiſſa pacta fallit, dominus conventioni ſtare non tenetur, & Feudum repetere poteſt. Item in Feudo oblato, Vaſallo propoſitum eſt ſibi patrocinium comparare. Si ergo ſuperior dominus pacta violat, Vaſallus ſolvitur a conventione, eoque dominium directum, ab eadem conventione pendens, domino poteſt eripere. Tamen videtur hoc intelligendum de infractionibus continuatis & obſtinatis; non autem de defectibus, qui revocantur, aut compenſantur. Tunc enim jus Tributum conſiſtere debet.

An feudum amittatur per felloniam.

§. 494. Favorabile *dicitur, quod ad utilitatem alicujus promovendam facit* ... Odioſum *igitur, quod eidem opponitur, appellatur quod ad utilitatem alicujus promovendam non facit, eumque onerat.*

Hac prima vice diſcedere cogor a definitionibus Auctoris, quæ generatim præſtantiſſimæ ſunt. Hæc non placet. *Favorabile* in Jure eſt, quod favorem meretur; *Odioſum* quod contrarium. Hæc diſtinctio habet locum tantum in caſu dubio, ubi lex, vel contractus interpretandus: tunc enim conſideratur natura rerum, de quibus quæritur. Æquitas poſtulat, ut interpretatio pro quibuſdam fiat in ſenſu ampliore potius, quam ſtrictiore, & hæc ſunt res *favorabiles*, pro quibuſdam autem ſtrictior interpretatio magis convenit æquitati quam latior; hæ ſunt res *odioſæ* (*).

Quid favorabile & odioſum.

Fa-

[*] Pro hac quæſtione vide Tractatum meum *Du Droit des Gens*, lib. 2. cap. 17. §. 300.

BIU Cujas

Favorabile e. g. appellatur, quod conforme benevolentiæ universali ideſt, quod uni utile eſt quin noceat alteri; *Odioſum* vero, quod huic benevolentiæ repugnat, quod unum lædit ſevera lege ſumptum, mitigatum autem aut ſuppreſſum ſublevat quin damnum quiſpiam patiatur. Ita actio *de damno vitando* favorabilis, de *lucro captando* odioſa. Definitio Auctoris ita accepta vera eſt, ſed non ſatis perſpicua.

Wolfii argumentatio in adnotatione ad §. 511. ad exemplum Ciceronis vitioſam indicat ejus definitionem, rectam vero meam, & magis utilem. Vir uxori legat pecuniam ſuam: contendit Cicero, hic non venire niſi pecuniam numeratam, non vero locatam. Wolfius animadvertit, ſi uxor ſit pauper, pecunia vero numerata cum locata vix ſufficiat ad uxorem alendam congrue & decenter, dum cetera bona, quæ tranſeunt ad heredem, magna ſunt, latiorem interpretationem locum habere, & legato comprehendi pecuniam tam locatam, quam numeratam. Recte. Sed cur? Quia æquitas favet huic interpretationi, quia naturæ & rationi conſentaneum credere virum uxori ſuæ relinquere voluiſſe unde decore viveret multis bonis hæredis relictis. Secus ſentiendum ſi uxor eſſet dives, pecunia vero numerata itemque locata magna, cetera vero bona pauca & exigua; tunc æquitas heredi faveret & ſtrictiorem interpretationem poſtularet.

§. 572. *Si quis actus fuerit medium unicum ſatisfaciendi obligationi tuæ indiſpenſabili, ac removendi impedimentum, vel reſiſtendi te lædere conanti; 17. lege prohibitiva ne hoc facias, non continetur.*

§. 583. *In ſumma cibi penuria nec invitum, nec ſorte ductum occidere licet, ne omnibus ſit pereundum.*

Quid liceat ad conſervationem ſui in caſu neceſſitatis.

Non capio, quomodo hæ duæ propoſitiones, earumque demonſtrationes conciliari queant; videturque aliquid deeſſe. Cur enim res illicita, ut homicidium, evadit licita in caſu neceſſitatis [in defenſione ſui,] non in caſu §. 583. Nonne ex prop. 572. ejuſque corollario §. 573. ſi neceſſitas licitam reddit actionem, aliunde illicitam, nonne, inquam, occidere liceat hominem in extrema penuria, ut eo veſcamur, ſicuti licet agreſſorem occidere, ut noſmet ſervemus! Nonne eadem neceſſitas eſt? aut contra, nonne dici poteſt ex doctrina §. 583. utrobique legem præceptivam collidi cum prohibitiva, ideoque præceptivam debere ſuccumbere? Si ergo cedit in uno, non in altero, vel ſi neceſſitas eadem non idem præcipit in utroque caſu, oportet oſtendere, cur ita, nempe ratio deeſt in demonſtrationibus, unde objecta ſolvi poſſunt. Ratio eſt, quia nunquam licet cuiquam injuriam facere, ejuſque jus certum lædere. Cum dicimur jus habere in omnia, ſine quibus officia implere non poſſumus, ea finguntur honeſta, neque juri cujuſquam repugnantia. Si enim turpia ſunt, aut aliquem lædunt, cenſentur tanquam impoſsibilia, & caſus hujuſmodi eſt caſus impotentiæ, ubi ceſſat obligatio

Ergo

BIU Cujas

Ergo injuriam agreſſori non facio, ſi illum occido; ipſe culpa ſua ſibi malum creat. Jus habet vivendi, ſeque tuendi, non me occidendi; ideoque non habet jus immunitatis quo momento mihi nocere aggreditur, aut vitam eripere. Æquale eſt jus noſtrum; fruatur ſuo pacifice agens; ſi me aggreditur, meo frui nequeo, niſi vim vi repellam. Longe ſecus eſt quoad innocentem, quem quis occidere velit, ut ejus carne veſcatur, ſpoliaretur jure ſuo ſine ulla ejus culpa, & humana æqualitas violaretur. Quod ſi ipſe ſe devoveret ad aliorum conſervationem, non video cur votum hoc accipi non poſſet. Negat Auctor in adnotat. §. 583. quia homo hic, inquit, jus in vitam ſuam non habet. Cur ergo illam projicere poteſt pro Patria?

Negat item Wolfius plures homines in medio mari extrema penuria laborantes, ac fame perituros, poſſe convenire, ut ſorte ducatur qui pabulo aliis futurus ſit. Ergo peribunt omnes fame. Quæ ſententia profecto defendi nequit, atque exempla plura ab Auctore ipſo laudata repugnant. In obſidione nonne licitum imo laudabile, ſi pars civium erumpat in hoſtem? non ignorant, plures ex ipſis interituros; ſed morti occurrunt pro ſalute civium aliorum; nonne abſurdum eſt illos retinere metu violandi juris naturæ? Idem valet in exemplo noſtro. Fames eſt crudelis hoſtis, qui cunctis illis navigantibus minitatur: ſortem ducendo quiſque vitam exponit pro ſociorum ſalute ac propria, ſi ex fortunatis exiſtat; profecto decretum hoc magis congruit cum officiis erga ſeipſum atque erga alios, quam ſi cuncti fame perire ſtatuant.

Præcepta hæc generalia, quæ tradit Auctor, difficilia atque ardua mihi videntur. Non enim generatim ſtatuerem, homines vitæ ſuæ non eſſe dominos; ſed tantum eam ſervare debere ſumma cura, niſi graviſsimis de cauſis exponere aut perdere debeant.

Quæ enim addit, officia erga ſeipſum vincere officia erga alios; legem præceptivam cedere debere prohibitivæ eaſdem exceptiones patiuntur. Officium præcipit, ut corpus meum ab omni plaga defendam; lex alia præcipit, ut vitam hominis in periculo ſervem: ſervare non poſſum ſine levi vulnere; vincet ne officium erga meipſum? Minime vero. Ita lex vetat bonis alterius obeſſe; præcipit autem proximo in periculo ſuccurrere. Video miſerum a fera dilaniandum, niſi accurram; accurrere nequeo niſi triticum alterius in agro calcando: nonne lex prohibitiva cedere debet? Quid ergo? num tradi nequit regula generalis, quæ, recte intellecta, omnia conciliet? ecce illam: in dubiis ſemper majus bonum, ac minus malum ſectandum; ſed hoc penſatis omnibus præſentibus, nexis, & conſequentibus. Ita in Jure Gentium contra Wolfii ſententiam defendo, non licere in bello arma veneno inficere; etſi enim in pugna ſolitaria, & in ſe tantum ſpectata, nihil intereſſe videatur, quomodo hoſtem conficiam; tamen cogitandum & illud, hoſtem ipſum cito armis venenatis uſurum; conſuetudinem hanc ſemel receptam atrociora bella effecturam, mala multiplicaturam, genus humanum perdituram. Eſt autem officium hominis furoribus belli moderari, quantum poteſt, ſalva tutela; non ergo licet inducere conſuetudinem generi humano fatalem, ut eſt uſus armorum venenatorum; qui uſus parum prodeſſet, quia ſtatim ab hoſte uſurparetur.

Animadverti poteſt etiam, ſatis eſſe in pugna ad victoriam hoſtem proſternere, neque neceſſe, vulneratos quoque perire.

BIU Cujas

§. 573. *Neceſſitas irreſiſtibilis licitum efficit actum, qui alias foret illicitus, quando fit medium unicum ſatisfaciendi obligationi indiſpenſabili, ac removendi impedimentum eidem ſatisfaciendi.*

An neceſſitas excuſet actus alias illicitos.

Intellige tamen actiones, quæ non ſunt abſolute & per ſe illicitæ, quas nulla neceſſitas excuſat. Si enim officium implere nequeo, quin hujuſmodi actionem committam, cenſeor, ut modo dixi, eſſe in impotentia; quod enim illicitum, moraliter eſt impoſſibile, & ceſſat obligatio. Wolfius ipſe hanc regulam applicat obligationi indiſpenſabili, neceſſitati irreſiſtibili. Quærendum ergo erit, an obligatio talis ſit, an medium unicum ſit illicitum: tunc autem locum habebit regula prius tradita, ut ſemper eligatur majus bonum, ac minus malum.

§. 588. *Si in naufragio plures in ſcapham inſilierint, quam illa ferre poſſit, neque ad unum peculiari jure ſcapha pertineat; qui priores inſilierunt, poſteriores projicere poſſunt; non vero idem licet poſterioribus in priores. Quod ſi vero omnes ſimul inſilierint, qui poteſt, ei alterum projicere licet.*

Quid juris, ſi in naufragio plures occupent ſcapham.

Poſtrema pars propoſitionis hujus quomodo congruit cum paragrapho præcedente? Si fortiores in mare projiciunt debiliores, cum ſcapha nimia multitudine oneratur, & par omnium in ea jus eſt; nonne in extrema penuria fortioribus liceret devorare debiliores? In mare projicere, & devorare, quomodo differunt? Utrobique robuſtior infirmiori vitam eripit, ut ſuam ſervet. Scilicet ſorte ducere qui projiciatur, aut ſervetur; cur in hac extrema penuria non liceat communi conſenſu ſorte ducere qui pereat ut ceteros alat carne ſua? Semper fingo, nullam aliam ſalutis viam ſupereſſe. Si qua enim ſpes ſuperſit, extrema hæc horrida removenda. Ita ſe geſſit dux quidam Hollandus, cujus navis in medio mari incenſa erat: impetravit enim a ſuis precibus multis, ut expectarent; feliciter autem littus attigerunt, quin ad crudele diſcrimen confugerent.

§. 657. *Si jactu facto, navis tamen ſtatim interit, nulla fit contributio, etiamſi quis in naufragio res quaſdam ſuas ſervaret.*

An qui ſervant aliquid, navi poſt jactum ſubmerſa compenſationem debeant ceteris.

Contingere poteſt, ut hæc ſententia prorſus æqua non ſit. Fingamus, jactu mercium facto, navem ſubmergi; deinde a natatoribus merces fere omnes recuperari; quorum merces jactæ fuerunt, nonne contendere poſſunt, futurum ut eorum quoque merces ſervarentur, niſi projectæ fuiſſent; proindeque ceteris debere compenſationem quamdam pro ratione mercium ſervatarum poſt naufragium?

Sententia quidem Auctoris juſta eſt, quoties merces projectæ quocumque modo periiſſent, e. c. Salis capſæ. Si merces erant extra navem, non video, cur earum dominus quidquam præbere debeat pro mercibus in tempeſtate projectis.

§. 715.

BIU Cujas

§. 715. *Laudem alteri, quam meretur, etiam post mortem, tribuere debemus, atque operam dare, ut famam quam meretur consequatur, aut ut ea conservetur, quam consecutus est.*

De Laude mortuis debita.

Propositionem ipsam veram judico, sed imperfectam demonstrationem. Nam objici posset, inutilem esse laudem homini post mortem. Ab aliis ergo principiis repetenda res est. Scilicet ab officiis erga nos ipsos, & erga societatem. Utile enim nobis ostendere hanc propensionem laudandi quidquid est laudabile; utile generi humano, ut homines stimulentur ad virtutem proposita laude post mortem, & bona fama. Nemo enim tam durus est, quin cogitatione hac afficiatur - Ex eodem principio ostendi potest hæc propositio alio modo: quoniam enim præclaris gestis laus debetur, homines autem moventur spe laudis post mortem, revera post mortem oportet eos laudare; alioquin spe falsa laterentur. Vide animadvers. meas ad §. 648. P. I.

§. 717. *Bonum bono referre debemus mortuis in iis quos vivi amarunt.*

Gratia reddenda mortuis in iis quos amarunt.

Eadem hic animadvertenda, quæ ad paragraphum superiorem. Qui enim beneficium accipit, contrahit obligationem, saltem ex earum genere quæ pariunt *jus imperfectum*, gratiam referendi benefactori; quod cum effici possit, non solum erga ipsum, sed etiam eos quos amat, obligatio permanet post ejus mortem. Jucundum enim ipsi, sperare gratiam ipsi relatum iri, cum decesserit, in amicos, vel caros, quos relinquit.

§. 823. *Cadavera humana secare licet, seu anatomia naturaliter licita.*

An liceat secare cadavera humana.

Ut demonstratio esset firma, probandum ante erat, sectionem cadaverum humanorum nihil turpis in se continere. Præstat hoc auctor §. 828. idque minus valide; sed facile est addere quod deficit.

§. 842. *Juri per te in nondum natos transmittendo renuntiare potes pro te, & nondum natis, citra injuriam nondum natorum; non tamen pro fœtu in utero.*

An quid renuntiari possit pro filiis nondum conceptis.

Probat hoc Auctor ex eo, quod filii nati, aut concepti jus habent quod ipsis eripi nequit sine ipsorum consensu: contra, qui nondum concepti sunt, ne dum nati, nullum jus habent, ideoque Pater nihil illis eripit. Hæc non placent. Rem parumper perpendamus. Cum quis bona sua confert in alterum ea conditione, ut transeant in universam ejus posteritatem certi ordinis, nonne hæc lex est quæ jus tribuit omnibus a donatario primo descendentibus, ideoque singulis in ordine suo? Nemo legem hanc infringere potest, neque quisquam ei renuntiare, nisi pro seipso. Lex quam donator constituere po-

BIU Cujas

poterat, quia unuſquiſque bona ſua optimo jure deſtinare poteſt prout vult, debet eſſe æterna; proinde quicumque illa indicantur, eodem beneficio frui debent.

Quare ut celeberrima hæc quæſtio judicetur, aliunde petenda principia. Cum bonum, aut jus aliquod proprium eſt patris, filii non ſuccedunt in illud, niſi tanquam patris hæredes. Cum ergo pater hoc jus, vel bonum abdicat prout poteſt, *deeſt* cumulo bonorum ejus, ac proinde non tranſit ad filios. Sed quoties pater poſsidet ſub aliqua conditione ac lege, quæ bonum aut jus transfert ad ejus poſteritatem in certo ordine, non poteſt legem hanc mutare, aut abolere. Poteſt quidem pro ſeipſo hoc beneficium renunciare. Sed hic actus non afficit poſteros, ad quos bonum pervenit eodem modo, niſi legis auctores ipſam abrogandi facultatem habeant, ac reipſa abrogent. Eſt hæc celeberrima quæſtio ſæpe agitata, cum Principes Virgines renuntiaviſſent ſucceſſionibus, ad quas lex Regni eas appellabat. Renuntiationes hujuſmodi, ſi ſpectabant Regna non patrimonialia, judicio meo non valebant, niſi pro perſona Principum ipſarum, non vero pro ipſarum filiis ortis, aut orituris: niſi forte pro hujuſmodi natis lex Regni fundamentalis mutata fuiſſet, quod publicum Regni decretum efficere poſſet, renuntiationem Principis acceptando.

§. 893. *Nemo eruditorum alterius famæ ac laudi, ſive meritæ, ſive immeritæ detrahere debet.*

An detrahere liceat famæ non meritæ.

Demonſtratio hujus propoſitionis minus eſt ſolida: ex eo enim quod non liceat invidiæ ſervire, non conſequitur vetitum eſſe elevare, aut delere famam minime meritam. Aliæ poſſunt eſſe cauſæ. Sed ipſa ſententia, quoad famam male fundatam, generatim minus juſta videtur. 1. Valde differunt detrahere laudi immeritæ, & vituperationem meritam afferre. Fateor, caritatem non ſinere patefieri a nobis quod aliis nocere poteſt, niſi juſtis cauſis coacti ſimus: ſed num vetamur corrigere falſa judicia eorum, qui laudem prorſus immeritam alicui tribuunt? Jure ne queri poteſt hic, ſi opera noſtra ipſi aufertur quod injuria uſurpat? Injuria, inquam; neque enim quærere gloriam debet quam non meretur, & populo imponere. 2. Fatendum ſaltem ſæpe contingere, ut pro bono publico neceſſe ſit, homini indigno laudem alienam & gloriam eripere; falſum enim hoc judicium poteſt in errores graves homines inducere; poſſet enim in ipſum conferri grave aliquod munus, quo male perfungeretur; inſtitutio adoleſcentum credi inepto magiſtro ec. denique fama uſurpata nocet veræ, & iis, qui bonam merentur: gloria atque laudes projectæ in indignos vileſcunt. Homines ſæpe decepti a mendacibus, ſuſpicioſi evadunt, ac tandem dignos deſpiciunt. An ne tot mala atque incommoda permittenda, ne moleſtia creetur thraſoni alicui, atque impoſtori? Quare ita videtur decernendum, eruditum neminem juſtæ alterius famæ obeſſe debere; famæ vero immeritæ non licere detrahere, niſi juſtis de cauſis, nunquam vero ex invidia, & malevolentia.

FINIS PARTIS SEXTÆ.

J U.

BIU Cujas

JURIS NATURÆ

PARS SEXTA.

De Dominio utili & Juribus ac obligationibus nonnullis Miſcellaneis.

CAPUT I.

De Dominio utili & ejus Speciebus quibuſdam.

§. 1.

Dominium utile dicitur, in quo jus utendi fruendi prorſus liberum, ſeu nullo modo reſtrictum, proprietas vero aliquo modo reſtricta eſt ad alium. *Dominium utile quodnam dicatur.*

Continet nimirum dominium proprietatem, jus utendi & jus fruendi (§. 136. *part.* 2. *Jur. natur.*), &, ſi plenum fuerit, eidem ineſt proprietas, ac jus utendi fruendi nulla ex parte deminutum (§. 137. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quodſi ergo quis habuerit jus utendi ac fruendi prorſus liberum, aſt proprietatem non prorſus liberam, ſed ex parte ab alio quodam pendentem, qui quidpiam ejus participat; dominium erit utile, ac ita dicitur, quia qui id habet, omnem ex re percipit utilitatem, quæ ex ea quomodocunque percipi poteſt, ſolus.

§. 2.

Qui dominium utile habet, *dominus utilis* appellatur. Quamobrem cum in dominio utili jus utendi fruendi ſit prorſus liberum, proprietas vero aliquo modo reſtricta ad alium (§. 1.); *dominus utilis de uſu & fructu rei pro arbitrio ſuo diſponere poteſt, de ipſa autem ſubſtantia non prorſus pro arbitrio ſuo diſponere valet* (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter *re uti ac frui poteſt, non modo ſicuti eſt, verum etiam prout ti vult, quamdiu non nocetur juri alterius, ad quem proprietas reſtricta eſt, omnemque ex re utilitatem ſolus capit.* *Dominus utilis quinam ſit & jus ejus.*

Nimirum ex modo, quo reſtringitur proprietas, judicium ſumitur de eo, quod facere non licet domino utili (§. 910. *p.* 1. *Jur. nat.*). Naturaliter nulla adeſt neceſſitas, ut proprietas certo modo reſtringatur; ſed pendet reſtrictio a voluntate eorum, qui quicquam juris ſui in alium transferunt. Originarie enim dominium plenum eſt, nec ullo modo reſtringitur; aſt quando dominia rerum in alios transferri cœperunt, cum modus transferendi vi ipſius dominii pendeat a voluntate transferentis (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*), transferentium quoque voluntas dedit legem reſtrictionis proprietatis. Quamobrem in genere definiri nequit, quomodo in dominio utili reſtringenda ſit proprietas. Non tamen propterea jura & obligationes, quæ ex dominio utili deſcendunt, arbitraria ſunt: poſita enim lege reſtrictionis, neceſſario reſultant ac ideo

BIU Cujas

inde demonſtrari poſſunt, & quæ hinc demonſtrari poſſunt, ea ſunt juris naturalis, quamvis ab hominibus, non invito Jure naturæ, pro arbitrio immutari queant, ſi ita viſum fuerit. Quæ enim in origine ſua pendent ab hominum voluntate, cui ipſa lex naturæ eadem ſubjecit; ea quoque eidem non ſubducit lex naturæ in progreſſu, quoad ea ſcilicet, quæ ex prima voluntate conſequuntur, modo nemini invito auferatur jus ſemel acquiſitum (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*), nec quicquam committatur, quod contra idem eſt (§. 910. *part. 1. Jur. natur.*).

§. 3.

Dominium directum quid ſit.

Dominium directum eſt pars proprietatis, quæ per ejus reſtrictionem domino utili ademta ad alium pertinet.

Nimirum proprietas reſtringi poteſt vel quoad exercitium, ita ut de ſubſtantia rei vel prorſus non diſponi poſſit, vel certo modo diſponi nequeat, tumque ipſum dominium in ſe minime mutatur; vel quoad ipſum jus, ita ut facultas quædam diſponendi de ſubſtantia rei prorſus ademta ſit, & alii ſubjecto inhæreat, tumque dominium in ſe mutatur. Atque ideo dominium minus plenum, quod latius patet dominio utili, dividitur in utile ac directum non ſine ratione: fit ita, quod interpretes nonnulli Juris Romani diſtinctionem hanc tanquam ineptam rejiciant & flammis cremandam chimæram appellent, quamvis negare nequeant, eam in foro ac communi loquendi uſu receptam eſſe. Hoc nobis ſufficit, ut terminos iſtos in Jure naturæ retineamus. Sane aliud eſt reſtringere exercitium juris; aliud ipſum jus. Si exercitium juris reſtringitur, jus quidem habes, ſed non prorſus pro arbitrio tuo idem exercere vales: aſt ſi ipſum jus reſtringitur, pars quædam ejus auferetur, ut non tibi, ſed alteri competat.

§. 4.

Dominus directus qui-nam ſit & ejus uſus.

Qui dominium directum habet, *Dominus directus* vocatur. Quamobrem cum dominium directum ſit pars proprietatis (§. 3.), proprietas vero ſit jus diſponendi de ipſa ſubſtantia rei (§. 131. *p. 2. Jur. nat.*); *dominus directus pro ea parte proprietatis, quæ ipſius eſt, de ipſa ſubſtantia rei diſponere poteſt, & quando ipſo inſcio ac invito dominus utilis diſponere audet, actus ipſo jure nullus eſt.*

Ex. gr. Ad proprietatem ſpectat jus alienandi (§. 664. *part. 2. Jur. nat.*). Quodſi ergo domino directo competit, dominus utilis rem alienare nequit ſine ipſius conſenſu. Quando enim conſenſum requiſitum impetrat; dominus directus exercet jus ſuum per dominum utilem. Si vero hic alienare audet proprio motu, alienatio ipſo jure nulla eſt, adeoque per ſe ſubſiſtere nequit.

§. 5.

Quænam jura proprietas contineat.

Proprietas non continet niſi jus rem alienandi & eam, quæ uſu non conſumitur, præſertim ſi immobilis fuerit, immutandi; ſi vero uſu conſumitur, jus utendi a proprietate inſeparabile. Etenim rem in Jure facit uſus, quem ea habere poteſt (§. 495. *p. 1. Jur. nat.*), adeoque tam ſimplex, quam cum fructu conjunctus. Quamobrem ſi de re ipſa, vel ſubſtantia ejus diſponere velis, neceſſe eſt, ut vel omne jus tuum, quod in ea habes, adeoque dominium rei, qualis eſt, in alium transferas, ut tua eſſe deſinat, ac ſit alterius (§. 124. *part. 2. Jur. nat.*), vel ut eam retineas, ac alii uſui aptam efficias, quam quem nunc habere poteſt, id quod in rebus immobilibus facilius ſuccedere videmus. Quamobrem cum translatio dominii, quod in re habes, alienatio ſit (§. 662. *p. 2. Jur. nat.*), &, quando res alii uſui, quam quem nunc habet, apta efficitur, immutatio ejuſdem (§. 657. *part. 2. Jur. nat.*); qui de ſubſtantia rei, quæ uſu non conſumitur, diſponere vult, aut eam alienare, aut immutare debet. Quoniam itaque proprietas eſt jus diſponendi de ipſa ſubſtantia rei (§. 131. *p. 2. Jur. nat.*); de ſubſtantia vero aliter diſponi nequit, quam ut vel alienetur, vel, ſi uſu non conſumitur, alii uſui deſtinetur, quam quem habere poteſt, ſeu immutetur *per demonſtrata*; proprietas non continet niſi jus rem alienandi & eam, quæ uſu non conſumitur, præſertim ſi immobilis fuerit, immutandi. *Quod erat unum.*

Enim-

BIU Cujas

Enimvero si res usu consumitur, per se patet, quod qui de usu rei disponit, de ipsa etiam substantia disponat. Quoniam itaque proprietatis est de ipsa substantia rei disponere (§. 131. *part.* 2. *Jur. nat.*); jus utendi a proprietate inseparabile est. *Quod erat alterum.*

Nimirum quæcunque ex proprietate fluunt, ea vel ex jure alienandi, vel ex jure rem immutandi derivantur. Quoniam vero diversi sunt alienandi modi, quemadmodum ex iis intelligitur, quæ de modo transferendi dominium cum in genere, tum in specie in partibus præcedentibus demonstrata sunt, diversis quoque modis res, quæ usu non consumuntur, immutari possunt; jus alienandi ac rem immutandi in varias abit species pro diversitate casuum. Cetera notandum, res, quæ usu successive consumuntur, æquiparari rebus, quæ usu non consumuntur, quatenus ex materia, qua constant, alia fieri potest species, alii usui apta, veluti si ex pallio fiat vestis.

§. 6.

Quoniam proprietas non continet nisi jus alienandi & jus rem immutandi (§. 5.); *si proprietas restringitur, aut ea restringitur quoad jus alienandi, aut quoad jus rem immutandi, aut quoad utrumque.* *Quot modis restringi possit proprietas.*

Obtinet hoc, sive proprietas restringatur quoad exercitium, sive restrictio insit ipsi proprietati. Ex. gr. Ponamus, me piscinam tibi donare ea lege, ne in agrum convertas. Cum jus alienandi tibi non sit ademtum, nec jus piscinam in agrum immutandi mihi reservaverim; proprietas piscinæ utique tibi competit, sed quoad exercitium jus piscinam immutandi restrictum est. Similiter si tibi dono agrum ea lege, ne vendere possis, liberum tamen tibi relinquo, ut alii donare valeas; proprietas restringitur quoad exercitium juris alienandi, quoniam jus vendendi agrum, vel titulo oneroso alio dominium ejus transferendi, nec mihi reservatum, nec alii concessum. Quodsi donem ea lege, ut, si vendere velis, eam vendere debeas Sempronio, aut hæredibus ejus; proprietas denuo restricta est quoad exercitium juris alienandi.

§. 7.

Si proprietati inest restrictio quoad jus alienandi, aut dominus utilis per se rem prorsus alienare nequit, aut nonnisi certa lege alienare potest. Etenim si proprietati inest restrictio quoad jus alienandi, necesse est ut jus alienandi totum ademtum sit domino utili, aut ut nonnisi certa lege concessum, adeoque ad dominum directum vel totum pertineat, vel quatenus lege definitum (§. 3.). In priori itaque casu dominus utilis per se rem prorsus alienare nequit, in posteriori autem nonnisi certa lege alienare potest. *Quomodo restringatur proprietas ad alium quoad jus alienandi.*

Nimirum si jus alienandi restringitur ad alium, ut restrictio insit ipsi proprietati; necesse est ut jus alienandi inhæreat vel duobus subjectis, vel saltem uni, cui dominium utile non competit. Accipit prius in eo casu, quo nonnisi ea lege alienatio permissa domino utili, veluti si alienatio fieri nequit nisi certo hæredum numero existente, aut cum onere præstandi certi canonis annui, aut alterius præstationis: posterius vero in hoc casu, si alienatio simpliciter prohibita, adeoque fieri nequit, nisi impetrato consensu domini directi, ut ipse rem per dominium utilem alienare censeatur.

§. 8.

Jus immutandi sine jure alienandi inutiliter restringitur ad alium. Ponamus enim mihi competere jus alienandi prorsus irrestrictum, tibi vero jus immutandi ac præterea nihil. Quoniam mihi jus alienandi prorsus irrestrictum est, ego pro arbitrio meo te inconsulto ac invito rem alienare possum, & quia vi dominii utilis omnem utilitatem ex ea solus capio, tua parum refert, quamnam utilitatem ex eadem capiam, consequenter num huic, an alii usui res sit apta. Quamobrem cum res immutetur, si *De inutilitate restrictionis juris immutandi sine jure alienandi ad alium.*

BIU Cujas

alii usui apta efficiatur (§. 657. *part.* 2. *Jur. nat.*); jus immutandi sine jure alienandi ad alium inutiliter restringitur.

Ex. gr. Si tibi competat dominium utile in piscina, salvo omni jure alienandi, mihi vero jus immutandi fundum; tu piscinam in agrum convertere nequis sine meo consensu, ast ego hoc facere possum te invito, seu te cogere, ut convertas. Mea autem parum interest, sive piscina, sive agro utaris fruaris, cum nullam ex piscina, nullam ex agro percipiam utilitatem, nec mihi spes aliqua supersit fore, ut dominium utile ad me redeat, quippe alienandi facultate prorsus libera. Proprietas adeo quoad jus immutandi fundum prorsus inutiliter ad me restringitur. Aliud est, si certo casu alienare non possis, ut dominium utile ad me redire queat, & ego malim piscinam habere, quam agrum, aut in genere rem huic potius usui, quam alii aptam. An vero fundi immutationem certo casu prohibere possit Rector civitatis, alia quæstio est, quæ huc non pertinet; pendet enim hoc a dominio eminente, quod eidem competit, de quo suo loco agemus.

§. 9.

Quando restrictio juris immutandi utiliter fiat.

Jus immutandi una cum jure alienandi utiliter ad alium restringi potest. Etenim si jus alienandi ea lege ad te restringitur, ut certo casu dominium utile ad te pervenire possit; tua interesse potest, ut res huic potius usui apta sit, quam alii: id quod per se patet. Quamobrem cum res immutetur, si alii usui apta efficiatur, quam nunc est; cum jure alienandi jus immutandi utiliter ad te restringi potest.

Exemplum, quod modo dedimus (*not.* §. 8.), propositionem præsentem quoque illustrat.

§. 10.

Quomodo dominium directum ac utile constituatur.

Qui dominium plenum habet, vel dominium directum in alium transferre potest sub ea, qua visum fuerit, lege, reservato sibi vel alii dominio utili, vel dominium utile, reservato sibi vel alii directo sub lege quacunque. Etenim qui dominium plenum habet, ei competit proprietas ac jus utendi fruendi nulla ex parte deminutum (§. 137. *part.* 2. *Jur. nat.*), & omnes proprietate, jure utendi ac jure fruendi excludit (§. 138. *part.* 2. *Jur. nat.*), consequenter idem tam de proprietate, quam de jure utendi fruendi prorsus pro arbitrio suo disponere potest (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem ab ipsius unice arbitrio pendet, num jus utendi fruendi plenum cum proprietate certo modo restricta in alium ttansferre, partem vero proprietatis reliquam sibi reservare, an vero hanc transferre in alium, istud sibi reservare velit. Qui adeo dominium plenum habet, directum in alium transferre potest ea, qua visum fuerit, lege, utili sibi reservato, vel utile transferre in alium, directo sibi reservato (§. 1. 3.).

§. 11.

Quomodo dominium utile ac directum acquiratur.

Dominium utile, vel directum ab eo, qui plenum habet, acquiritur pactione. Etenim qui dominium plenum habet, pro arbitrio suo vel directum, vel utile in alium transferre potest (§. 10.). Quoniam vero nemo jus quoddam ab alio acquirere valet sine acceptatione sua (§. 7. *part.* 3. *Jur. nat.*), nec ea plus juris ab altero acquiritur, quam is transferre vult (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*); necesse est ut de modo transferendi dominium utile vel directum inter se conveniant, ac ad legem, qua restringitur proprietas (§. 1.), servandam sese invicem sibi obligent. Quoniam itaque istiusmodi conventio pactio est (§. 793. 794. *part.* 3. *Jur. nat.*); dominium utile vel directum ab eo, qui plenum habet, acquiritur pactione.

Nimirum loquimur hic de originaria dominii utilis vel directi acquisitione. Quemadmodum enim dominium utile ac directum concipi nequit, antequam supponatur dominium plenum, ut adeo utrumque ab hoc ortum suum ducat; ita originarie quoque dominium utile vel directum acquiri nequit nisi ab eo, qui plenum habet, dum scilicet is jus suum dividit in partes potentiales,

BIU Cujas

tiales, quas habet, & unam in alium transfert, alteram sibi vel alii reservat. Unde ipsa originaria acquisitio dominii utilis, vel directi supponit pactionem, sine qua concipi minime potest. Modus autem, quo dividendum dominium plenum in partes potentiales, & legem, qua transferri debet pars una in alium, altera vero reservari transferenti aut alii, ista pactio definit. Natura hic nihil definit, sed libertati paciscentium relinquit, quomodo inter se convenire velint, nisi quod intra terminos possibilitatis divisionem proprietatis contineat nec extra terminos utilitatis eam vagari permittat.

§. 12.

Emphyteusis est dominium utile in re immobili sub conditione certæ pensionis annuæ in recognitionem dominii directi præstandæ concessum, cum proprietate certa lege restricta. *Emphyteusis quid sit.*

In concessione dominii utilis duo inprimis spectanda sunt, nimirum lex, seu conditio, sub qua id conceditur, & lex, sub qua proprietas restringitur inter dominum directum ac utilem divisa. Lex, sub qua dominium utile conceditur, diversas ejus species constituit, atque adeo emphyteusi proprium est, ut id concedatur sub conditione certæ pensionis annuæ in recognitionem dominii directi solvendæ: qua ipsa lege, tanquam differentia specifica, distinguitur ab aliis speciebus dominii utilis. Unde in Jure naturæ sumitur concessio dominii utilis sub conditione pensionis in recognitionem dominii directi solvendæ, quia possibilis est, cum domino competat facultas de re sua omni possibili modo disponendi (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam vero dominium utile non concipitur sine restrictione proprietatis, quæ ipsi proprietati inest, inter dominum utilem ac directum certo quodam modo dividendæ (§. 1. 3.), hæc vero omni possibili modo fieri potest a domino (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*); consensu domini directi ac utilis naturaliter definienda est lex, qua proprietas restringenda (§. 11. *h.* & §. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*). Atque adeo in Jure naturali sumi nequit, nisi quod placuerit paciscentibus, quamvis in Jure civili proprietas saltem restringatur quoad jus alienandi & certa huic restrictioni lex detur. Sufficit itaque naturaliter proprietatem ita restringi, ut inter dominum directum & utilem sit quodammodo divisa, lex autem, qua restringitur, pro arbitrio paciscentium constitui potest, nec diversitas ejus diversam parit Juris speciem, cum præter necessitatem alias res multiplicarentur.

§. 13.

Res, in qua emphyteusis constituta, dicitur *emphyteutica*, vel *emphyteuticaria*, seu *bonum emphyteuticarium*. Is, qui emphyteusin in re habet, *Emphyteuta* vocatur, is vero, a quo emphyteusin habet, *Dominus emphyteuseos* appellatur. *Emphyteutica res, emphyteuta & dominus emphyteuseos.*

Nimirum qui in genere dicitur dominus utilis (§. 2.); in emphyteusi speciali nomine emphyteuta appellatur, & qui in genere Dominus directus audit (§. 4.), in emphyteusi Dominus emphyteuseos vocatur.

§. 14.

Pensio, quæ in recognitionem dominii directi solvitur, *Canon* appellatur, & cum addito *Canon emphyteuticus*. *Canon quid sit.*

Differt adeo canon a mercede, seu pensione, quæ solvitur in locatione conductione pro usu rei, cum is nullo modo respiciat rei usum, ut adeo nec hujus in eodem determinando habenda sit ratio.

§. 15.

Contractus emphyteuticus vocatur, quo emphyteusis constituitur & acquiritur, consequenter quo dominium utile sub conditione canonis certi in recognitionem dominii directi præstandi in alterum transfertur, cum proprietate certa lege restricta (§. 12.). *Contractus emphyteuticus quinam sit.*

Nimirum dominium utile acquiritur ab eo, qui plenum habet, pactione (§. 11.). Atque adeo quando emphyteusis constituenda & acquirenda, pactionem inire debent dominus emphyteuseos & em-

BIU Cujas

& emphyteuta, quæ speciali nomine contractus emphyteuticus appellatur. Quoniam in Jure Romano contractus hic constitutione Zenoniana demum introductus est atque formam suam accepit; in Jure civili inter contractus nominatos ac innominatos referri solet. Sed cum differentiam inter contractus nominatos ac innominatos ignoret Jus naturæ, quippe quæ Juri Romano propria est (*not.* §. 879. *part.* 4. *Jur. nat.*); nec ad contractum emphyteuticum applicanda sunt, quæ contractibus innominatis in Jure Romano propria sunt, nisi quatenus ipso jure naturali omni contractui insunt. Facile quoque apparet, formam a *Zenone* præscriptam esse mere civilem, quamvis valeat jure naturali, siquidem in eandem consenserint expresse emphyteuta & dominus emphyteuseos, consequenter emphyteusis Zenoniana tantummodo casus particularis est emphyteuseos naturalis. Nobis adeo demonstrandum est, quid jure naturæ de emphyteusi constitutum.

§. 16.

Quomodo canon definiendus in emphyteusi.

Canon in emphyteusi mutuo consensu emphyteutæ ac domini emphyteuseos definiendus, nec ejus quantitas proportionanda utilitati, quam ex re emphyteutica percipit emphyteuta. Etenim canon datur in recognitionem dominii directi (§. 14.), adeoque non solvitur in compensationem usus cum fructu conjuncti, qui totus ad emphyteutam pertinet (§. 1. 12. 13.). Quamobrem a sola voluntate domini emphyteuseos pendet, sub quanti canonis solvendi conditione emphyteusin constituere velit, & a voluntate emphyteutæ, num sub ea emphyteusin accipere velit (§. 15.). Canon igitur in emphyteusi mutuo consensu emphyteutæ ac domini emphyteuseos definiendus. *Quod erat unum.*

Et quoniam non solvitur in compensationem usus cum fructu conjuncti, *per demonstrata*; hujus quoque in ejus quantitate definienda nulla habenda est ratio, consequenter nec quantitas utilitati proportionanda, quam ex re emphyteutica percipit emphyteuta. *Quod erat alterum.*

Solutio canonis, quæ fit in recognitionem dominii directi, tantummodo probare debet, emphyteutam agnoscere, quod is, cui eundem solvit, sit dominus emphyteuseos, adeoque ipsi competat in re emphyteutica dominium directum. Obtinetur hoc ipsa canonis solutione, nec quicquam huc confert canonis quantitas. Ejus adeo determinatio prorsus arbitraria est, atque ea de causa, cum pactione acquiratur emphyteusis (§. 11. 12.), mutuo consensu paciscentium definiendus. Quoniam Jus Romanum ad essentiam emphyteuseos requirit solutionem canonis in recognitionem dominii directi; quæ in præsenti propositione demonstrantur, isto quoque Jure valent.

§. 17.

De inæqualitate canonis a diversis emphytheutis solvendi.

Quoniam canon in emphyteusi mutuo emphyteutæ ac domini emphyteuseos consensu definitur, prouti placuerit, nec ejus quantitas utilitati proportionanda, quam ex re emphyteutica percipit emphyteuta (§. 16.); *canon exiguus solvi potest, etiamsi magna ex re emphyteutica percipiatur utilitas, nec æquitati adversatur, si emphyteuta exiguam utilitatem ex re emphyteutica percipiens multo majorem canonem solvat, quam alius, qui multo majorem utilitatem percipit.*

Nihil scilicet interest, utrum in multo, an in modico canon consistat. Sufficeret adeo pro canone vel unicus nummus, etsi reditus mille thalerorum ex prædio emphyteuticario perciperetur. Quodsi enim emphyteuta exiguum istum canonem solvit, facto suo non minus eum, cui solvit, dominium directum agnoscit, quam si centum solveret thaleros. Atque adeo quantitas nihil facit ad finem, cujus gratia canon solvitur, obtinendum (*not.* §. 16.).

§. 18.

An canon augeri possit ob melioramenta.

Similiter quia quantitas canonis nullum respectum habet ad utilitatem, quæ ex re emphyteuticaria percipitur (§. 16.); *canon augeri minime debet ob meliorationem, seu redituum incrementum.*

Ini-

BIU Cujas

Initio fundi inculti ac steriles in emphyteusin dabantur, ut colerentur, ac meliorarentur. Poterant igitur dari gratis; sed ad conservandam memoriam dominii directi opus erat canone, qui cum sufficeret, quantuluscunque esset, nec ulla ratio suadebat, ut ob meliorationem factam augeretur.

§. 19.

Denique quia *canon* ab emphyteuseos domino & emphyteuta definiri potest, prouti visum fuerit (§. 16.); idem *consistere potest tam in pecunia, quam in rebus quibuscunque, veluti frumento, vino, oleo, ovibus, vitulis, gallinis, anseribus, ovis, butyro ac ita porro.* *Canon in quo consistere debeat.*

Solutio probat dominii directi recognitionem, adeoque nihil huc facit qualitas ejus, quod solvitur, modo quod solvitur solvatur in recognitionem dominii directi, seu tanquam canon emphyteuticus. Qui rem quamcunque solvit in recognitionem dominii directi, eo ipso confitetur se esse emphyteutam & eum, cui solvitur, dominum emphyteuseos. Atque sic obtinetur finis, cujus gratia canonis solutio ad essentiam emphyteuseos requiritur (*not.* §. 16.).

§. 20.

Emphyteuta obligatus est ad canonem quotannis solvendum & domino emphyteuseos competit jus eum ad solutionem adigendi. Naturaliter vero emphyteusin ob solutionem neglectam, vel detrectatam, non amittit, nisi expresse ita fuerit conventum. Etenim emphyteusis conceditur sub conditione canonis præstandi (§. 12.) & ab emphyteuta acquiritur ex contractu (§. 15.). Quamobrem cum ex contractu oriantur obligationes perfectæ (§. 793. *part.* 3. *Jur. nat.*); emphyteuta obligatus est ad canonem quotannis solvendum. *Quod erat primum.* *De solutione canonis.*

Enimvero quando solutio non fit eo die, quo quid debetur, eodem præterlapso debitor compelli potest ad solvendum debitum (§. 667. *part.* 5. *Jur. nat.*), consequenter si emphyteuta canonem quotannis non solvit, dominus emphyteuseos eum ad solutionem compellere potest. Competit igitur eidem jus emphyteutam ad solutionem adigendi (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Quod erat secundum.*

Quoniam itaque ex obligatione solvendi canonem non nascitur naturaliter nisi jus adigendi emphyteutam ad solutionem *per demonstrata*; naturaliter emphyteusin non amittit emphyteuta, si canonem solvere negligit, vel detrectat. *Quod erat tertium.*

Enimvero si expresse ita convenitur, ut, si certo tempore non solvatur canon, emphyteusis amissa esse debeat, contractui emphyteutico adjicitur pœna (§. 606. *part.* 3. *Jur. nat.* & §. 15. *h.*). Quamobrem cum contractus sint adimplendi (§. 789. 794. *part.* 3. *Jur. nat.*); emphyteuta emphyteusin amittit, ob solutionem canonis neglectam, vel detrectatam. *Quod erat quartum.*

Quod in Jure Romano emphyteusis amittatur si canon intra triennium non solvatur, pœnale ac mere civile est. Quamvis enim jure naturali etiam valeat pœna conventionalis; non tamen præcise ad triennium restringitur, sed tempus caducitatis pro arbitrio paciscentium determinari potest: quodsi vero nullum fuerit determinatum, nec de pœna expresse conventum, ea quoque locum habere nequit.

§. 21.

Non repugnat, ut canon respondeat fructibus: in dubio tamen hoc in casu locatio præsumitur. Etenim canon mutuo consenlu emphyteutæ ac domini emphyteuseos definitur, prouti visum fuerit (§. 16.), & emphyteuta obligatur ad canonem conventum solvendum (§. 20.), sive in multo, sive in modico consistat (§. 17.). Quodsi ergo consentiatur in canonem, qui fructibus ex re emphyteuticaria percipiendis respondet; emphyteuta quoque ad hunc canonem solvendum obligatur. Patet itaque non repugnare, ut canon fructibus respondeat. *Quod erat unum.* *An canon fructibus respondere possit, & quid in dubio in de præsumatur.*

Enim-

BIU Cujas

Enimvero si canon respondet fructibus, quantitas ejus proportionatur utilitati, quam ex re emphyteuticaria percipit emphyteuta. Quamobrem cum non opus sit, ut hoc fiat (§. 16.), sed etiam in modico consistere possit canon, quamvis magna ex re emphyteutica percipiatur utilitas (§. 17.); ordinarium non est, ut canon fructibus respondeat. Quoniam vero in locatione conductione is animus esse videtur contrahentibus, ut servetur æqualitas, nisi rationes fortes in contrarium prostent (§. 1219. *part.* 4. *Jur. nat.*), adeoque ordinarium est, ut quantitas mercedis proportionetur utilitati ex re locata percipiendæ, seu ut ea fructibus respondeat, ordinarium vero præsumitur, non quod rarius fit (§. 248. *part.* 2. *Jur. nat.*); si canon fructibus respondeat, in casu dubio non emphyteusis, sed locatio præsumitur. *Quod erat alterum.*

Ut canon excedat fructus, seu utilitatem ex re emphyteuticaria percipiendam, emphyteusi repugnat, quippe emphyteuta, tanquam dominus utilis (§. 12.), omnem ex re utilitatem solus percipere debet (§. 2.), canone in recognitionem dominii directi (§. 14.), adeoque non in compensationem ususfructus soluto. Quodsi vero canon excederet fructus, seu utilitatem perceptam, emphyteuta non modo nullam ex re emphyteuticaria caperet utilitatem, verum insuper continuo damnum pateretur. Facile adeo apparet, in istiusmodi canonem non consensurum emphyteutam, aut si forsan contingat eum per errorem consensisse, eum emphyteusin derelicturum: quod ipsum facere posse postea ostendetur. Emphyteusi non satis convenit, ut canon respondeat fructibus, quamvis hoc eidem non repugnet; magis convenit, us ab iis deficiat (*not.* §. 17.), & quo minorem rationem ad eos habet, eo magis emphyteusi respondet, præsertim si ea meliorationis causa constituta, quemadmodum initio obtinebat apud Romanos, quando agri inculti aut steriles in emphyteusin dabantur.

§. 22.

An canon remittendus ob utilitatem cessantem.

Emphyteuta canonem annuum solvere tenetur, etiamsi eo anno parum aut nihil ex re emphyteuticaria perceperit utilitatem, nisi de remittendo aut minuendo certo casu canone expresse fuerit conventum. Etenim emphyteuta canonem solvit in recognitionem dominii, non vero in compensationem usus rei emphyteuticæ, seu ad communicandum utilitatem rei (§. 14.). Quamobrem cum ratio solvendi canonis subsistat, quamdiu emphyteusis subsistit, nec per hoc tollatur, quod casu quodam contingat, ut parum aut nihil utilitatis ex re in emphyteusin data percipiatur, veluti ob sterilitatem, aut incursionem hostium; emphyteuta canonem annum solvere tenetur, etiamsi eo anno parum aut nihil ex re emphiteuticaria perceperit utilitatem (§. 118. *Ontol.*). *Quod erat unum.*

Enimvero cum emphyteuta ultra voluntatem suam domino emphyteuseos non obligetur (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*); si in contractu emphyteutico, quo emphyteusis constituta & acquisita (§. 15.), expresse fuerit conventum de canone certo casu remittendo vel minuendo, emphyteuta quoque casu isto existente canonem non solvere tenetur, aut de eodem detrahere potest, quantum fuerat conventum. *Quod erat alterum.*

Conventio istiusmodi superflua foret, si in modico consistat canon, ita ut utilitate per alios annos percepta aut percipienda abunde compensetur modicum istud, quod solvitur absque ulla utilitate. Ast si in multo idem consistat, ut, quod in recognitionem dominii directi datur, censeri etiam possit ad communicandam utilitatem dari; conventio de canone remittendo vel minuendo, prout casus tulerit, æquitati minime adversatur, quæ damnum commune esse suadet, quando commodum commune est; quod ut clarius appareat, propositionem sequentem addere lubet.

§. 23.

Quando canon totus vel ex parte remittendus jure interno.

Si canon in multo consistat; jure interno dominus emphyteutæ eundem remittere debet, quando nullam ex re emphyteutica percepit utilitatem, aut partem remittere, si exiguam tantummodo utilitatem capere potuerit. Etenim si canon in multo consistat, ut adeo ad mercedem pro usu rei solvendam propemodum accedat; quamvis in recognitionem dominii directi stipuletur ac promittatur (§. 15.), in eo tamen definiendo contrahentes respe-

BIU Cujas

respexisse intelliguntur ad utilitatem, quæ ex re emphyteutica percipitur (§. 17.). Quamobrem etsi expresse non fuerit conventum, ut canon solvi non debeat, quando nulla ex re emphyteutica percipitur utilitas, aut ut minuatur, si parum utilitatis percipitur; cum tamen unusquisque non minus ab altero, quam a se damnum avertere debeat (§. 493. 495. *part.* 2. *Jur. nat.*), dominus emphyteuseos canonem remittere debet, si emphyteuta nullam ex re percipere potuit utilitatem, aut partem remittere, si exiguam utilitatem tantummodo capere potuerit & benigna mentis interpretatione hoc, cum contraherent, voluisse intelliguntur.

Cessat ratio, si canon in modico consistit, quemadmodum patet per ea, quæ modo annotavimus (*not.* §. 22.), & unusquisque per se facile assequitur. In hypothesi autem propositionis præsentis emphyteusis quodammodo accedit ad locationem, ut, quæ de mercede vel integra, vel pro rata remittenda demonstrata sunt (§. 1294. *part.* 4. *Jur. nat.*), ad emphyteusin quoque applicari debeant. Etenim canon major mixtum quid est ex canone emphyteuticario & mercede, ut detur quidem in recognitionem dominii directi primario, sed simul ad communicandam utilitatem secundario. Quodsi enim nonnisi recognitio dominii directi intenderetur, sufficere poterat canon valde exiguus, veluti unicus nummus (*not.* §. 17.).

§. 24.

Jus exigendi canonem, quod domino emphyteuseos competit, est jus in re. Etenim canon solvitur in recognitionem dominii directi (§. 14.), consequenter domino emphyteuseos competit vi dominii directi, adeoque vi proprietatis, quam in re emphyteutica habet (§. 3.). Quamobrem cum proprietas sit jus ad dominium pertinens (§. 136. *part.* 2. *Jur. nat.*), dominium vero sit jus in re (§. 779. *part.* 3. *Jur. nat.*); jus exigendi canonem, quod domino emphyteuseos competit, est jus in re. *Quale jus sit jus exigendi canonem.*

Non adeo demum nascitur ex contractu emphyteutico, etsi ex eo emphyteuta obligetur ad præstandum canonem, quem jure suo exigere poterat dominus de re sua pro arbitrio disponens (§. 118. *part.* 2. *Jur. natur.*), & quantitas canonis mutuo consensu determinetur (§. 16.). Aliud est jus exigendi mercedem in locatione, ubi nihil proprietatis transit in conductorem, sed res tota manet locatori propria. Tum enim fieri non potest, ut ratione mercedis pro usu præstandæ ex ipsa re satisfiat locatori, consequenter is nonnisi conductorem sibi obligatum habere potest. Enimvero in emphyteusi omnis utilitas ad emphyteutam pertinet, adeoque ex ipsa re satisfieri potest domino emphyteuseos, si canon non fuerit solutus. Immo ob hanc rationem civiliter constitui potuit, ut, canone non soluto per certum tempus, emphyteusis amittatur: id quod ex sequentibus uberius elucescet.

§. 25.

Canonem ab emphyteuta non solutum dominus emphyteuseos exigere potest a quocunque possessore. Etenim jus exigendi canonem, quod domino emphyteuseos competit, est jus in re (§. 24.), adeoque in rem ipsam eidem competit (§. 778. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quodsi ergo canon ab emphyteuta non fuerit solutus, rem ipsam pro eodem sibi obligatam habet, quæ adeo eundem debere intelligitur (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quicunque itaque rem possidet, is canonem ex re solvere tenetur, consequenter dominus emphyteuseos eundem exigere potest a quocunque possessore. *An canonem solutum ab alio possessore exigere possit dominus emphyteuseos.*

Videbimus mox, emphyteusin posse alienari, adeoque rem emphyteuticam jure possideri ab alio, quam ab emphyteuta originario. Quodsi ergo hic canonem non solvit, quemadmodum debebat, novus emphyteuta eundem solvere debet, nec dominus emphyteuseos ad solvendum compellere tenetur emphyteutam priorem tanquam debitorem.

§. 26.

Quomodo restricta esse debeat proprietas, mutuo consensu emphyteutæ ac domini emphyteuseos in contractu emphyteutico definiendum. Etenim a sola domini, qui emphyteusin con- *Quomodo definiatur restrictio proprietatis in emphyteusi.*

BIU Cujas

conſtituit, voluntate pendet, quomodo dominium utile in emphyteutam conferre velit (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque proprietatem reſtringere, utpote per eſſentiam emphyteuſeos non definita reſtrictione (§. 12.). Quoniam tamen nemo alterum ſibi obligare poteſt ultra voluntatem ſuam (§. 382. *part.* 2. *Jur. nat.*); neceſſe eſt ut in reſtrictionem conſentiat emphyteuta (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum in contractu emphyteutico determinetur lex, qua proprietas reſtringenda (§. 15.); quomodo ea reſtricta eſſe debeat, mutuo conſenſu emphyteutæ ac domini emphyteuſeos in contractu emphyteutico definiendum.

Contractu emphyteutico opus eſt, ut jura & obligationes tam emphyteutæ, quam domini emphyteuſeos definiantur, quippe quæ per naturam rerum definita non ſunt, ſed quorum definitio a conſtituentis & primi acquirentis voluntate potiſſimum pendet. Neque enim ſolum agitur de eo, utrum quis emphyteuſin acquirere velit, nec ne; verum etiam de quantitate ac qualitate canonis ſolvendi, & lege ſolutionis ejuſdem ac proprietatis reſtringendæ, nec non de modo conceſſionis emphyteuſeos.

§. 27.

Unde metiendum ſit jus emphyteutæ ac domini emphyteuſeos quoad proprietatem.

Quoniam mutuo conſenſu emphyteutæ ac domini emphyteuſeos in contractu emphyteutico definiendum, quomodo reſtricta eſſe debeat proprietas (§. 26.), ex contractu autem naſcuntur obligationes (§. 793. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque etiam jura contrahentium (§. 23. *p.* 1. *Jur. nat.*); *jus emphyteutæ & domini emphyteuſeos quoad proprietatem ex contractu emphyteutico metiendum.*

Loquimur hic de eo, quod naturaliter valet. Jus enim civile, quod formam dare poteſt emphyteuſi, etiam lege reſtrictionis proprietatis præſcribere poteſt, a qua recedere nequeunt contrahentes, niſi hoc fuerit permiſſum, &, quando hoc permittitur, non neceſſiſſe intelliguntur, ſiquidem de eo in contractu emphyteutico nihil fuerit expreſſe dictum. Ratio patebit ſuo loco, quando de theoria legum civilium naturali agemus.

§. 28.

Unde conſtet, quale ſit jus emphyteuſeos in re alienanda & immutanda

Similiter quia mutuo conſenſu emphyteutæ ac domini emphyteuſeos in contractu emphyteutico definienda eſt proprietatis reſtrictio (§. 26.), proprietas vero reſtringi poteſt cum quoad jus alienandi, tum quoad jus rem immutandi (§. 6.); *quale jus competat emphyteutæ in re alienanda & immutanda, ex contractu emphyteutico æſtimandum.*

Valent hic eadem, quæ ad propoſitionem præcedentem modo annotavimus (*not.* §. 27.).

§. 29.

De modo, quo emphyteuſis conceditur.

Emphyteuſis conceſſi poteſt ad certum tempus, aut in perpetuum ſive ſimpliciter, ſive determinative, nominatis perſonis, ad quas tranſmitti queat. Etenim a ſola domini emphyteuſin conſtituentis voluntate pendet, quomodo dominium utile in emphyteutam conferre velit (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*), nec plus juris acceptatione ſua ex contractu emphyteutico acquirere valet emphyteuta, quam in eum conferre voluit dominus (§. 382. *p.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum in ſe non repugnet, ut emphyteuſis conſtituatur vel ad certum tempus, vel in perpetuum, & ſi in perpetuum conſtituatur, ut aut ſimpliciter conſtituatur, aut ſaltem pro certis perſonis, ad quas ea tranſmitti poſſit; emphyteuſis utique concedi poteſt tam ad certum tempus, quam in perpetuum, ſive ſimpliciter, ſive determinative, nominatis illis perſonis, ad quas tranſmitti debeat.

Clarius hæc evadent ex jure hæreditario, de quo ſuo loco dicemus: neque enim doceri poteſt, quænam naturaliter de jure hæreditario tenenda ſint, antequam de imperio privato actum fuerit.

§. 30.

BIU Cujas

§. 30.

De potestate alienandi emphyteutæ ademta.

Si alienandi potestas emphyteutæ ademta, alienatio ab eo facta nulla est: naturaliter tamen jus emphyteuticum non amittitur, nisi expresse ita fuerit conventum. Consensu vero domini emphyteuseos etiam in hoc casu emphyteuta emphyteusin alienare potest. Et enim cum ex contractu emphyteutico non plus acquisiverit emphyteuta, quam in eum conferre voluit constituens (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*); si alienandi potestatem eidem ademit, nec emphyteusin alienare licet (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quodsi ergo hoc non obstante alienare is audet, alienatio nullo fit jure, adeoque nulla est. *Quod erat primum.*

Enimvero etsi alienatio subsistere non possit, ut nullum sit jus ejus, in quem jus suum transferre voluit emphyteuta; ex eo tamen minime sequitur, quod jus suum amittat, sed tantummodo quod ad eum redire debeat, aut, si ipse habere nolit, ad eos, ad quos transmitti potest ex contractu. Naturaliter itaque jus emphyteuticum non amittitur, si alienatio fiat, alienandi potestate per contractum ademta. *Quod erat secundum.*

Quodsi vero expresse ita fuerit conventum, ut emphyteusis amitti debeat, si alienetur; pœna contractui adjecta est (§. 606. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum dandum sit, quod pœnæ nomine promissum (§. 611. *part.* 3. *Jur. nat.*); si emphyteutæ alienandi potestas sub pœna caducitatis ademta & is nihilominus emphyteusin alienet, ea amittitur. *Quod erat tertium.*

Denique cum quilibet jus suum remittere possit, quando nil facit contra jus tertii (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*); dominus quoque emphyteuseos jus suum prohibendi aut irritam faciendi alienationem emphyteuseos remittere potest, si voluerit. Quamobrem cum hoc faciat, si in alienationem consentit (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.* & §. 95. *part.* 3. *Jur. nat.*); quin consensu domini emphyteuseos ea alienari possit, etiamsi in contractu emphyteutico jus alienandi emphyteutæ fuerit ademtum, dubitandum non est. *Quod erat quartum.*

(*) Perinde est, sive dominus emphyteuseos in alienationem consentiat nondum factam, an in jam factam: casu enim priore eam permittit, casu autem posteriore ratihabet. Utroque modo jus suum remittit, seu declarat, emphyteutam ad non alienandum sibi non esse debere obligatum (§. 95. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 31.

De potestate alienandi emphyteusin permissa.

Si alienandi potestas permissa emphyteutæ vel cum, vel sine consensu domini emphyteuseos; in casu priori alienatio sine consensu domini facta invalida, in posteriori novum emphyteutam invitus suscipere tenetur, nisi quid committatur juri ipsius adversum. Et enim si alienandi potestas non permissa emphyteutæ nisi cum consensu domini emphyteuseos; emphiteutæ non competit jus alienandi sine ejusdem consensu (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*), consequenter cum alienatio nullo jure fiat, quæ fit absque consensu domini directi; absque ejusdem consensu facta nulla est. *Quod erat primum.*

Ast si alienandi potestas absque consensu domini emphyteutæ permissa, in hujus arbitrio positum est, in quemnam jus suum transferre velit. Quoniam itaque domino emphyteuseos nullum comoetit jus contradicendi (§. 29.), novum emphyteutam is invitus suscipere tenetur. *Quod erat secundum.*

Quoniam vero nemo quicquam facere potest, quod est contra jus alterius (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*); si emphyteusis in eum transferri nequit, in quem eam transferre vult emphyteuta, nisi dominus emphyteuseos admittere debeat, quod juri suo adversatur, novum emphyteutam suscipere non tenetur. *Quod erat tertium.*

Civile adeo est, non naturale, quod domini consensus semper sit requirendus; si tamen is intra duos menses consentire nolit, etiam ipso dissentiente alienare liceat. Videtur equidem con-

BIU Cujas

ſenſus domini ſemper requirendus, ſi eum cum nonnullis a dominio directo, ſeu parte proprietatis domino competente (§. 3.) derivare velis: quoniam tamen proprietas hæc reſtricta eſt (§. *cit.*), reſtrictio vero in contractu emphyteutico definienda (§. 26.), & ex hoc æſtimandum eſt jus emphyteutæ ac domini emphyteuſeos (§. 27.); naturaliter ſtandum eſt eo, quod conventum fuerit (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*). Et, ſi vel maxime detur, quod tamen dari minime poteſt, ex dominio directo fluere, neceſſitatem conſenſus ad alienationem requirendi: cum tamen quilibet jus ſuum remittere poſſit (§. 117. *p.* 3. *Jur. nat.*), illud non obſtat, quominus conveniri poſſit, abſque conſenſu domini licitam eſſe debere emphyteuſeos alienationem.

§. 32.

De dominio ſuperiori recognoſcendo.

Emphyteuta ſe obligare tenetur, quod dominum emphyteuſeos pro domino ſuperiori recognoſcere velit. Etenim emphyteuta ſe obligat domino emphyteuſeos ad canonem in recognitionem dominii directi ſolvendum (§. 20. 14.). Quamobrem etiam ſeſe obligare tenetur, quod eum pro domino directo ſeu ſuperiori recognoſcere velit.

Nimirum emphyteuta recognoſcit dominium directum, quatenus agnoſcit, rem emphyteuticam non prorſus ſibi propriam eſſe, adeoque ſibi ſtandum eſſe contractu emphyteutico, nec quicquam faciendum, quod eidem adverſatur (§. 28.), conſequenter in iis, quæ in eodem contractu ſibi reſervavit, vel in ſui commodum pactus eſt dominus emphyteuſeos, ſequendam eſſe hujus voluntatem.

§. 33.

De contractu emphyteutico cum novo emphyteuta renovando.

Contractus emphyteuticus cum novo emphyteuta renovandus. Etenim novus emphyteuta ſe obligare tenetur, quod dominum emphyteuſeos pro domino ſuperiori recognoſcere velit (§. 32.), adeoque huic competit jus ab illo exigendi, ut hoc faciat (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam itaque hoc jus invito auferri minime poteſt (§. 336. *p.* 3. *Jur. nat.*); neceſſe eſt, ut etiam novus emphyteuta ſe obliget domino emphyteuſeos, quod eum pro domino ſuperiori recognoſcere velit conſequenter nil quicquam facere, quod contractui emphyteutico adverſum. Neceſſe igitur eſt, ut contractus emphyteuticus cum ipſo renovetur (§. 393. 788. *part.* 3. *Jur. nat.*).

Non eſt quod inde inferas, conſenſum domini ſemper requirendum eſſe ad alienationem emphyteuſeos: renovatio enim contractus emphyteutici fieri poteſt, etiamſi abſque conſenſu domini emphyteuſis fuerit translata, quippe qui novum emphyteutam ſuſcipere tenetur (§. 31.), conſequenter contractum emphyteuticum etiam invitus renovare debet.

§. 34.

Laudemium quid ſit.

Honorarium, quod pro renovatione contractus emphyteutici domino directo ſolvendum, dicitur *Laudemium*.

Quoniam laudemium vocabulum barbarum eſt: honotarium iſtud Latinius dici quidam exiſtimant laudativum, ad imitationem donativi. Enimvero cum plura ſint vocabula barbara in Jure recepta, quæ ex eo extirpare velle ridiculum foret; ideo nulla quoque ratio ſuadet, cur vocabulum laudemium rejicere velimus (§. 147. *Diſc. prælimin.*). Immo quamvis laudativum adjective uſurpetur, non tamen ſubſtantive in eo ſignificatu occurrit apud Autores Latinos, quem vi definitionis habere debet, ut adeo non ſine ratione dubitetur, num Latine loqui putandus ſit, qui vocabula in ſermone Latino recepta in alio ſignificatu adhibet, quam quem in eodem habent. Abſonum vero eſt in verbis eſſe nimis ſcrupuloſum, ubi ſoli veritati litatur. Sunt qui relevium, ſeu relevamentum, aut etiam foriſcapium appellare malunt, quod nomina hæc magis convenire videantur honorario noſtro. Aſt quis hanc legem terminis imponet, ut nomina vi derivationis convenire debeant rebus ſuis? Acquieſcendum igitur eſt in terminis receptis, qualeſcunque tandem fuerint.

§. 35.

BIU Cujas

§. 35.

In quo laudemium consistat & quo fine constituatur.

Quoniam laudemium honorarium est, quod pro renovatione contractus emphyteutici domino directo solvendum (§. 34.), honorarium vero donum pecuniarium, quod remunerandi animo datur (§. 731. *part.* 4. *Jur. nat.*); *laudemium in pecunia numerata consistit*, consequenter *si dominus emphyteuseos velit, ut novus emphyteuta sibi solvat laudemium, ex proprietate, quam retinet, commodum quoddam percipere vult, quoties emphyteusis in alium transfertur, seu alienatur.*

Si laudemium a novo emphyteuta solvendum, & canon quotannis solvendus non in modico consistat; dominium directum non prorsus sterile est, sed lucrosum, etiamsi non eadem sit domini utilis ac directi utilitas.

§. 36.

Quomodo jus ad laudemium acquiratur & ejus quantitas determinetur.

An laudemium dari debeat & quando ac quantum dari debeat, mutuo consensu domini emphyteusin constituentis ac primi acquirentis in contractu emphyteutico determinandum. Quoniam enim laudemium commodum est, quod ex proprietate, quam retinet dominus emphyteuseos, percipit, quando ea alienatur, seu in aliam personam transfertur (§. 35.); an dari debeat laudemium & quando ac quantum dari debeat, ad eam legem pertinet, qua proprietas in emphyteusi restringitur (§. 12.). Quamobrem cum mutuo consensu emphyteutæ ac domini emphyteuseos in contractu emphyteutico, quo emphyteusis constituitur & acquiritur (§. 15.), definiendum sit, quomodo proprietas restricta esse debeat (§. 26.); an laudemium dari debeat & quando ac quantum dari debeat, mutuo consensu domini emphyteusin constituentis ac primi acquirentis in contractu emphyteutico determinandum.

De essentia igitur emphyteuseos non est, ut laudemium a novo emphyteuta solvatur, cum unice pendeat a voluntate constituentis ac primi acquirentis. Quamobrem locorum quoque consuetudines variant, ut alibi laudemium saltem solvatur in translatione in extraneum, alibi vero etiam si in liberos vel alios hæredes emphyteusis transmittitur, immo alicubi nullum solvatur, nisi ex partium conventione. Similiter quantitas laudemii variat civiliter. Olim erat pars quinquagesima pretii, l. ult. C. de jur. emphyt. hodie regulariter pro singulis centenis pretii præstantur quinque, alicubi vero decem. Naturaliter cum laudemium omne sit conventionale, *vi prop. præs.* quantitas quoque arbitraria est.

§. 37.

De obligatione novi emphyteutæ, ut laudemium solvat.

Si laudemium solvendum, emphyteuta nonnisi sub hac conditione emphyteusin alienare potest, ut novus emphyteuta solvat. Potest tamen cum eo convenire, ut laudemium pro rata inter se ac novum emphyteutam dividatur, vel ut ipse solvat: sed non obstante hac conventione dominus emphyteuseos habet sibi obligatum novum emphyteutam ad laudemium præstandum. Etenim cum in contractu emphyteutico conveniatur, quod laudemium solvi debeat & quantum debeat solvi (§. 36.); dominus emphyteutam sibi obligat ad non transferendum emphyteusin in alium nisi sub conditione laudemii præstandi. Quamobrem nonnisi sub hac conditione alienare potest (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Quod erat primum.*

Enimvero cum domino emphyteuseos perinde sit, sive laudemium ipsi solvatur ab emphyteuta novo, sive a vetere, sive ab utroque simul, modo ipsi solvatur; nil quoque obstat, quo minus inter utrumque ita conveniri possit, ut laudemium vel totum, vel pro parte solvatur a transferente. *Quod erat secundum.*

Quoniam tamen vi contractus emphyteutici alienatio fieri nequit nisi sub hac conditione, ut novus emphyteuta laudemium solvat *per demonstrata*, adeoque ex eodem jus habet dominus emphyteuseos exigendi ab hoc laudemium (§. 27.), quod invito au-

BIU Cujas

auferri nequit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*); non obstante conventione de laudemio vel parte ejus a transferente solvenda novum emphyteutam sibi obligatum habet ad solvendum laudemium integrum. *Quod erat tertium.*

Aliud est accipere solutionem ab alio, aliud est non habere sibi obligatum ad solvendum eum, qui debet, sed alium. Conventio de laudemio vel parte ejus a transferente solvenda pertinet tantummodo ad transferentem & novum emphyteutam, qua convenitur ut ille pro hoc solvat, non vero ad dominum emphyteuseos, ut is non novum emphyteutam, sed transferentem sibi habeat obligatum vel in solidum, vel pro parte: quæ obligatio nasci nequit sine ipsius consensu (§. 393. *p.* 3. *Jur. nat.*), etsi novus emphyteuta liberetur, si vetus solvat (§. 716. *part.* 5. *Jur. nat.*), nec ulla adsit ratio, cur solutionem accipere recuset emphyteuseos dominus, consequenter irritam faciat conventionem. Ipsius nimirum non interest, quomodocunque de solutione laudemii inter se conveniant transferens ac novus emphyteuta (§. 622. *part.* 3. *Jur. nat.*); conventio tamen ista fieri nequit, nisi salvo jure domini, ne debitor invitus ipsi obtrudatur.

§. 38.

Jus exigendi laudemium quale sit.

Jus exigendi laudemium est jus in re. Quoniam enim dominus emphyteuseos laudemium sibi solvi vult, ut commodum aliquod percipiat ex proprietate, quam retinet (§. 35.); jus id exigendi a novo emphyteuta ipsi competit vi proprietatis, quam in re habet (§. 3.). Unde porro patet, ut supra de canone (§. 24.), jus exigendi laudemium esse jus in re.

Jus adeo hoc non nascitur ex contractu emphyteutico, sed in eodem tantummodo reservatur domino emphyteusin constituenti, qui vi proprietatis jus in re sibi reservare potest, quodcunque visum fuerit (§. 131. *part.* 2. *Jur. nat.*). Unde etiam hinc sequitur, novum emphyteutam manere obligatum ad solvendum laudemium, etiamsi transferens onus ejus subeat, vel conventione inter transferentem ac novum emphyteutam idem dividatur. Equidem vulgo jus exigendi laudemium non habetur pro reali ab interpretibus Juris civilis; sunt tamen inter eos, qui dissentiunt. Nec contrariatur propositioni præsenti, quod quibusdam in locis, teste *Franckio* de laud. c. 23. n. 3. venditor laudemium solvere cogatur, & teste *Knichenio* de pact. investit. p. 2. c. 4. n. 190. moribus Fuldensibus idem inter emtorem ac venditorem dividatur, jure enim positivo tam scripto, quam non scripto jus quoddam adimi potest, quod naturaliter competere debebat.

§. 39.

Laudemium quando exigendum,

Laudemium statim exigi potest, quando contractus emphyteuticus renovatur. Datur enim pro renovatione contractus emphyteutici (§. 34.), consequenter eodem renovato statim debetur. Quamobrem cum debitor ad solvendum statim compelli possit; die præterlapso, quo quid debetur (§. 667. *part.* 5. *Jur. nat.*); laudemium statim exigi potest, quando contractus emphyteuticus renovatur.

§. 40.

An laudemium debeatur mutato domino emphyteuseos.

Naturaliter laudemium debetur, domino emphyteuseos mutato, si ita fuerit conventum: non debetur, si expresse ita conventum non fuerit. Etenim in contractu emphyteutico determinandum, quando solvi debeat laudemium (§. 36.) & ex eo jus domini emphyteuseos metiendum (§. 27.). Quodsi ergo ita conventum fuerit, ut laudemium debeatur, domino emphyteuseos mutato, casu existente debetur: sin vero ita conventum non fuerit, nec debebitur.

Neque vero absurdum est, ut laudemium debeatur, domino emphyteuseos mutato. Datur enim pro renovatione contractus emphyteutici, qua opus est, si dominus emphyteuseos mutetur.

§. 41.

BIU Cujas

§. 41.

An dominio emphyteuseos mutato contractus emphyteuticus renovandus.

Si dominus emphyteuseos mutatur, contractus emphyteuticus renovandus, nisi in eodem expresse contineatur, quod non modo dominum præsentem pro domino superiori recognoscere velit, verum etiam futurum alium quemcunque, seu quemcunque successorem ejus legitimum. Etenim emphyteuta se obligare tenetur, quod dominum emphyteuseos pro domino superiori recognoscere velit (§. 32.). Quamobrem si dominus emphyteuseos mutetur, necesse est ut huic quoque sese ad hoc obliget emphyteuta, consequenter ut cum eodem contractus emphyteuticus renovetur (§. 393. 788. *part. 3. Jur. nat.*). *Quod erat unum.*

Enimvero si in contractu emphyteutico vetere emphyteuta sese jam obligaverit, quod non modo dominum præsentem pro domino superiori recognoscere velit, verum etiam futurum alium quemcunque, seu quemcunque ejus successorem legitimum; non opus est, ut domino novo se denuo obliget, consequenter nec necesse est, ut contractus emphyteuticus renovetur. *Quod erat alterum.*

Nimirum si emphyteuta promittit, quod etiam successorem legitimum quemcunque alium pro domino superiori recognoscere velit: promissio fit sub conditione, si contingat dominium directum in alium transferri. Conditione igitur hac existente, obligatio statim sese actu exerit (§. 482. *part. 3. Jur. nat.*), neque adeo opus est, ut tum demum contrahatur. Hoc tamen non obstante, cum novo domino contractus non inutiliter renovatur, quoniam obligatio, quæ ab eventu suspensa nunc fit valida & ad personam certam restringitur, contractu renovato confirmatur. Quodsi ergo non inutile videatur obligationem, quæ jam adest, juramento confirmari (§. 902. *part. 3. Jur. nat.*); nec inutile existimari potest in casu præsenti obligationem confirmari expressa promissione in eam personam collata, cui obligatus esse debet emphyteuta: ita scilicet perinde ac per juramentum arcentur omnes tacitæ exceptiones ac conditiones (§. 908. *p. 3. Jur. nat.*).

§. 42.

An dominium directum sine consensu emphyteutæ transferri possit.

Ad transferendum dominium directum non requiritur consensus emphyteutæ. Etenim dominus emphyteuseos, cui competit dominium directum, jus suum habet, non dependenter ab emphyteuta, quemadmodum hic dominium utile (§. 13.), cum proprietas per se ad eundem spectet (§. 32.). Quamobrem nulla ratio est, cur sine consensu emphyteutæ de jure suo disponere minime possit (§. 851. *Ontol.*). Ad dominium adeo directum transferendum consensus emphyteutæ minime requiritur.

Quodsi dicas, non repugnare, etsi rarius, aut forsan nunquam contingat, ut quis dominium directum in alium transferat, ac utile sibi reservet, adeoque dominus emphyteuseos jus suum habeat ab emphyteuta; dubium hoc nullum est. Etenim si tale quid fieri ponamus, dominium plenum sub conditione emphyteuseos constituendæ in alterum transfertur, cum alias pro domino superiori agnosci minime posset, atque adeo tum quoque emphyteuta jus suum habet a domino emphyteuseos, hic vero jus suum possidet independenter ab eodem. Hæc nimirum tantummodo differentia est, quod emphyteuta legem præscribere possit, sub qua emphyteusin sibi constitui velit, cum alias potior in eo sit voluntas constituentis.

§. 43.

Quale jus sit emphyteusis.

Emphyteusis est jus in re. Est enim dominium utile (§. 12.), adeoque continet jus utendi fruendi prorsus irrestrictum una cum parte quadam proprietatis (§. 1.). Enimvero jus utendi fruendi & proprietas dominii partes sunt (§. 136. *part. 2. Jur. nat.*), dominium vero est jus in re (§. 779. *part. 3. Jur. nat.*). Emphyteusis itaque jus in re est.

Dominium inter emphyteutam & dominum emphyteuseos dividitur in partes potentiales, ita ut quoad commodum emphyteutæ jus sit potius, quoad proprietatem vero domini emphyteuseos, qui ideo etiam dominus superior audit. Habet adeo uterque jus in re; non tamen commune, sed separatum, quia dominium in partes potentiales actu divisum, ita ut aliud jus sit emphyteutæ, aliud domini emphyteuseos.

§. 44.

BIU Cujas

§. 44.

Quando emphyteusis temporaria extinguatur.

Si emphyteusis conceditur ad certum tempus, tempore elapso extinguitur. Etenim si emphyteusis conceditur ad certum tempus, veluti ad decem, vel viginti annos, per se patet, constituentem noluisse, ut ultra hoc tempus jus emphyteutæ duret. Quamobrem cum acceptatione sua plus juris in re emphyteutica acquirere non potuerit emphyteuta, quam in eum conferre voluit constituens (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*); nec ultra hoc tempus jus emphyteutæ durare valet. Tempore igitur, ad quod emphyteusis fuit contracta, elapso, eadem extinguitur.

Emphyteuta jus suum habet ex contractu emphyteutico (§. 11. 15.), adeoque ex eo æstimanda ejus duratio. Si igitur tu emphyteusin non contraxisti nisi ad decennium, decennio elapso tibi amplius competere nequit.

§. 45.

Quando emphyteusis ad certas personas restricta extinguatur.

Si emphyteusis conceditur pro certis personis, his omnibus extinctis & ipsa extinguitur. Etenim si emphyteusis conceditur pro certis personis, evidens est, constituentem non modo voluisse, ut ea, cum qua contraxit, persona emphyteusin habeat, verum etiam in personas alias, quæ nominantur, successive transmittatur. Quamobrem primus acquirens non modo sibi eandem acquirit, dum cum constituente contrahit (§. 11. 15.), verum etiam ceteris, quæ nominantur, personis, in quas ea successive transmittenda, quemadmodum contractum fuit. Quoniam vero ultra personas nominatas nemini jus quoddam acquirere potuit primus acquirens (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*); si emphyteusis conceditur pro certis personis, his omnibus extinctis & ipsa extinguitur.

Ex. grat. Si emphyteusis acquiritur pro te & omnibus descendentibus tuis; emphyteusis successive transmittitur ad descendentes, quamdiu tales existunt. Quodsi ultimus descendentium moriatur, eum nemo amplius sit, pro quo emphyteusin acquisiverit primus acquirens; ea cum ultimo descendente extinguitur. Quodsi emphyteusis contracta tantummodo pro descendentibus masculis, cum ultimo masculo ipsa extinguitur; si promiscue pro omnibus descendentibus, non extinguitur, quamdiu fœminæ a primo acquirente descendentes supersunt.

§. 46.

Quando emphyteusis simpliciter in perpetuum contracta extinguatur.

Si emphyteusis in perpetuum simpliciter contrahitur; pro omnibus personis contracta intelligitur, ad quas jus aliquod in re ab acquirente transmitti potest, nec extinguitur, quamdiu istiusmodi persona extat. Etenim si emphyteusis in perpetuum simpliciter contrahitur, cum certæ personæ non nominentur, pro quibus contracta esse debeat, neque ad solam personam primi acquirentis ea restringatur; necesse omnino est, ut pro omnibus personis contracta intelligatur, ad quas jus in re, quale est emphyteusis (§. 43.) ab acquirente transmitti potest. *Quod erat unum.*

Quoniam itaque emphyteusis vi contractus emphyteutici ab acquirente successive transmittitur in eas personas, in quas jus in re ab ipso transmitti potest (§. 11. 15.); ea extingui nequit, quamdiu persona istiusmodi extat. *Quod erat alterum.*

Jus in re, quod habemus, transmitti ad personas alias, nobis mortuis, suo ostendetur loco, quando de jure hæreditario acturi sumus. Quoniam vero de hoc jure nondum agere licuit, principiis, a quibus dependet, nondum demonstratis; hæredum quoque mentionem facere noluimus, in quos transmittitur jus omne defuncti, quod ex dominio descendit, nec mere personale est. Sufficit itaque hic supponi transmissionem jurium in re in personas alias, nobis mortuis, tanquam possibilem, etsi suo demum loco constare possit, hoc recte sumi. Facile autem patet, si tanquam nota supponere velis, quæ alio demum loco demonstrari possunt, propositionem præsentem hunc habere sensum, quod emphyteusis in perpetuum simpliciter contracta transeat ad omnes ab intestato hæredes, nec extinguatur, quamdiu hæres ab intestato existit, qui cognatione primum acquirentem quocunque gradu attingit.

§. 47.

BIU Cujas

§. 47.

De alienatione emphyteuseos pro certis personis constitutæ.

Si emphyteusis pro certis personis constituitur & alienandi potestas conceditur; naturaliter ita conveniri potest, ut ad alienationem requiratur consensus eorum, ad quos transmitti debebat, emphyteuta mortuo, vel ut eorum consensu non sit opus. Etenim quale jus competat emphyteutæ in re alienanda, ex contractu emphyteutico æstimandum (§. 28.). Quamobrem cum a voluntate constituentis pendeat, quomodo jus, quod erat suum, in emphyteutam conferre velit (§. 11. *p.* 3. *Jur. nat.*), consequenter num is sine consensu eorum, ad quos mortuo emphyteuta emphyteusis transmitti debebat, an vero nisi cum horum consensu alienandi potestatem habere debeat, nec emphyteuta acceptatione sua plus juris acquirere possit, quam in eum conferre vult constituens (§. 382. *p.* 3. *Jur. nat.*); quin naturaliter ita conveniri possit, ut ad alienationem requiratur consensus eorum, ad quos emphyteusis transmitti debebat, emphyteuta mortuo, vel ut horum consensu ad eandem opus non sit, si emphyteusis pro certis personis constituatur cum alienandi potestate, dubitandum non est.

Civile adeo est, quod ad alienationem nunquam requiratur consensus eorum, pro quibus contracta erat.

§. 48.

Quid in casu dubio præsumendum.

Si de consensu eorum in alienationem, ad quos transmittenda erat emphyteusis, in contractu emphyteutico nihil expresse dictum; naturaliter præsumtio est contra consensum, præsertim si alienandi potestas sine consensu domini emphyteuseos concessa. Etenim si ad alienationem requirendus est consensus eorum, ad quos emphyteusis transmitti poterat, constituens jus alienandi magis restringere voluit, quam si alienatio absque illorum consensu permissa, quod per se patet. Quodsi ergo de consensu eorundem ad alienationem requirendo nihil expresse dictum in contractu emphyteutico, nec ita constituens potestatem alienandi restringere voluisse videtur, ut consensu isto ad alienationem sit opus. Quamobrem naturaliter præsumtio est contra consensum. *Quod erat unum.*

Quodsi alienandi potestas sine consensu domini emphyteuseos concessa; constituens quam minimum eandem restringere voluit, consequenter multo magis præsumitur, nec ita restringere voluisse eandem, ut consensu eorum, ad quos ab eo transmitti poterat, sit opus. *Quod erat alterum.*

Quomodo restricta esse debeat proprietas, mutuo consensu emphyteutæ ac domini in contractu emphyteutico definiendum (§. 26.). Quod adeo voluntarium est, de eo expresse conveniendum, consequenter nec admittendæ sunt restrictiones, de quibus expresse nil dictum. Sane si tibi simpliciter conceditur alienandi potestas, libera tibi simpliciter concessa intelligitur, ita ut domini emphyteuseos ad alienationem consensu non sit opus: si enim velit constituens, ut sine suo consensu alienatio fieri non possit, id expresse indicandum. Eodem igitur modo si alienandi potestas tibi conceditur, quæ pro certis personis contracta, libera tibi concessa intelligitur, ut harum consensu ad alienationem non demum sit opus. Quodsi ponamus fundos steriles meliorationis causa in emphyteusin datos, aliæ adhuc præsumtionis rationes dari poterant, de quibus tamen ut dicamus opus non est.

§. 49.

De emphyteuta moriente ante tempus, ad quod emphyteusis concessa.

Si emphyteusis ad certum tempus concessa, mortuo emphyteuta transmittitur ad eum, qui in bonis defuncti succedit, & moriens eam pro suo arbitrio in alium transferre potest in eventum mortis, nisi obstet jus tertii. Etenim si emphyteusis ad certum tempus contracta, antequam id præterlapsum fuerit, jus hoc emphyteutæ auferri invito nequit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*); adeoque in bonis ipsius est (§. 451. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem qui succedit, emphyteuta mortuo, in bonis ipsius, is etiam succedit in emphyteusi, seu emphyteusis ad eum transmittitur. *Quod erat unum.*

BIU Cujas

Et quoniam emphyteusis ad certum tempus concessa non conceditur pro certis personis, ad quas adeo emphyteuta mortuo transferri debeat; liberum est emphyteutæ, in quem eam in eventum mortis transferre velit, quatenus id salvo jure tertii fieri potest (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*). Moriens itaque emphyteusin pro arbitrio suo in alium transferre in eventum mortis potest, nisi obstet jus tertii. *Quod erat alterum.*

Quando de jure hæreditario acturi sumus, ostendemus, quatenus libera sit in eventum mortis disponendi de bonis suis potestas. Accidere quoque potest, ut moriens ex ære alieno laboret, neque adeo in præjudicium creditorum de emphyteusi, etsi temporaria, disponere possit. Ne igitur sciolis cavillandi ansam demus, restrictionem addere libuit in altera propositionis præsentis parte.

§. 50.

Qua lege emphyteusis alienetur, vel transmittatur.

Emphyteuta emphyteusin sub eo lege alienat, sub qua primum contracta fuit, vel in alium transmittit, seu talis alienatur aut transmittitur emphyteusis, qualem ex contractu emphyteutico acquisivit primus acquirens. Potest tamen in alienatione adjicere legem, quæ priori, qua contracta, non contrariatur, seu eadem salva adjici potest. Jus enim tam emphyteutæ, quam emphyteuseos domini metiendum est ex contractu emphyteutico (§§. 27.), quo emphyteusis constituta & acquisita (§. 15.), seu contracta fuit. Quamobrem cum per se pateat, non aliud jus ab emphyteuta in alium transferri, aut transmitti posse, quam quod habet; emphyteusis talis alienatur aut transmittitur, qualem primus acquirens ex contractu emphyteutico acquisivit, seu sub ea lege alienatur, aut transmittitur, sub qua primum contracta fuit. *Quod erat primum.*

Et quoniam domino emphyteuseos jus suum, quod ex contractu emphyteutico sibi reservatum, auferri nequit (§. 336. *part.* 3. *Jur. nat.*); in alienatione emphyteuseos adjici nequit lex, quæ legi, sub qua primum contracta fuit, adversatur. *Quod erat secundum.*

Quia vero emphyteuta de jure suo disponere potest pro suo arbitrio, quamdiu nil facit, quod est contra jus domini emphyteuseos (§. 11. *part.* 3. & §. 910. *p.* 1. *Jur. nat.*); dum emphyteusin in alium transfert, seu alienat (§. 662. *part.* 2. *Jur. nat.*), ei legem novam adjicere potest, quæ priori, sub qua contracta, non contrariatur. *Quod erat tertium.*

Ex. gr. Si quis emphyteusin vendit, eam vendere potest sub pacto retrovenditionis, quia retrovenditio non est contra jus domini emphyteuseos.

§. 51.

De tempore, ad quod emphyteusis temporaria alienatur.

Quoniam emphyteusis alienari nequit nisi sub ea lege, sub qua primum contracta fuit, seu talis, qualis ex contractu emphyteutico primum acquisita (§. 50.); *Si emphyteusis ad certum tempus concessa, ultra istud tempus in alium transferri, vel transmitti nequit*, consequenter *tempore isto elapso, novus emphyteuta eandem amittit* (§. 44.).

Nimirum emphyteusis temporaria alienando converti nequit in perpetuam nec ad certum annorum numerum restricta ad plures annos ultra extendi potest.

§. 52.

Quomodo emphyteusis perpetua, si alienetur, transmitti possit.

Ex eadem ratione *si emphyteusis in perpetuum simpliciter contracta, vel determinative pro certis personis concessa; in priori casu simpliciter, in posteriori determinative pro istiusmodi personis, quales nominatæ fuerant in prima acquisitione, alienatur*, consequenter *in quales personas transmitti poterat a primo acquirente, in tales etiam eodem ordine transmitti potest ab emphyteuta novo.*

Ex. gr.

BIU Cujas

Ex. gr. Si emphyteusis contracta pro liberis cujuscunque gradus alienatur; a novo quoque emphyteuta transmitti potest in liberos suos. Quodsi illa contracta fuerit pro omni hærede ab intestato; ab emphyteuta quoque novo in eum transmittitur, qui ab intestato hæres ipsi existit. Nimirum emphyteusis contracta in perpetuum simpliciter, transmissibilis est ad quemlibet successorem ab intestato. Ea igitur etiam transfertur in alium tanquam transmissibilis ad quemlibet ipsius successorem. Similiter emphyteusis contracta pro liberis cujuscunque gradus transmissibilis est ad liberos cujuscunque gradus. Quamobrem etiam ut transmissibilis in liberos cujuscunque gradus transfertur in alium. Facile apparet, si rem penitius inspicere libuerit, quando emphyteusis constituitur in perpetuum, vel pro quolibet successore ab intestato, vel pro certis personis, veluti descendentibus masculis, aut masculis & fœminis simul, non intelligi præcise successores, vel descendentes primi acquirentis: sed potius eos, qui emphyteutæ morienti extituri sunt successores ab intestato, vel ab eo descendentes. In alienatione itaque lex, juxta quam transmitti debet ab emphyteuta moriente emphyteusis in alium, minime mutatur. Atque hoc modo intelligitur, quod in alienatione emphyteuseos nihil committatur ab emphyteuta, quod sit contra jus eorum, qui ipsi ab intestato succedunt. Quamdiu enim emphyteusis non alienatur, nonnisi spem conditionatam habent succedendi in eadem, si ante mortem ea alienata non fuerit, quæ adeo non ante in jus erigitur, quam emphyteuta mortuo & emphyteusi non alienata. Quamprimum vero ea alienatur, spes incerta, quam habebant, evanescit, nec jus suscitare potest.

§. 53.

An laudemium solvendum ab eo, qui in emphyteusi succedit.

Si emphyteuta mortuo emphyteusis transmittitur in alium, novus emphyteuta laudemium solvere tenetur. Idem fieri debet, si adhuc vivus emphyteusin in eum transfert, in quem post mortem ipsius transmitti debebat. Etenim in utroque casu novus emphyteuta succedit in locum anterioris, quod per se patet. Quamobrem cum contractus emphyteuticus cum novo emphyteuta sit renovandus (§. 33.), pro renovatione autem contractus emphyteutici solvendum sit laudemium (§. 34.); in utroque etiam casu propositionis præsentis laudemium solvendum.

Aliud est, si expresse in contractu emphyteutico laudemium ad eum casum fuerit restrictum, quo in extraneum transfertur emphyteusis: quod fieri utique potest (§. 36.).

§. 54.

An laudemium solvendum si emphyteusis alienata redeat ad alienantem.

Si emphyteusis alienata modo quocunque iterum ad te redeat; quando eam denuo acquiris, laudemium solvere teneris. Etenim si emphyteusis quomodocunque alienatur, qui alienat emphyteuta esse desinit, & qui eam acquirit, emphyteuta fit; quodsi vero ad eum, qui alienaverat, iterum redit, is jam rursus fit emphyteuta (§. 13.). Quamobrem cum novus emphyteuta laudemium solvere teneatur, quicunque fuerit (§. 37. 53.); non modo is laudemium solvere tenetur, qui a te emphyteusin acquirit, sed tu etiam solvere teneris, si alienata quocunque modo ad te iterum redit.

Ex. gr. Ponamus te emphyteusin vendere Titio cum pacto de retrovendendo. Quodsi eandem a Titio rursus emis, laudemium solvere teneris, quemadmodum solverat Titius, cum a te emisset. Similiter ponamus te emphyteusin transferre in filium tuum, in quem te mortuo transmitti debebat. Ponamus porro, filio tuo mortuo emphyteusin ad te redire. Tu solvere teneris laudemium, quemadmodum solverat filius tuus, cum illam a te acciperet. Nimirum si laudemium solvendum, emphyteusin vendere nequis Titio nisi sub hac conditione, ut laudemium solvat (§. 37.), nec pactum de retrovendendo quicquam detrahere potest juri domini emphyteuseos, sed ejus respectu pro non adjecto habetur (§. 50.). Quodsi ergo emphyteusin iterum a Titio emis, quoad dominum emphyteuseos perinde est, sive is ad vendendum tibi fuerit obligatus, sive ultro faciat, & utrum tibi, an alii vendat. Quoniam itaque ipse tanquam emphyteuta emphyteusin alienare nequit, nisi sub conditione, ut novus emphyteuta, seu qui emphyteusin ab eo acquirit, laudemium solvat (§. 37.); tu utique laudemium solvere teneris. Similiter quando in filium tuum emphyteusin transfers, in quem te mortuo transmitti poterat, si eam ad finem usque vitæ retinuisses (*not.* §. 52.); in eum transferre nequis, nisi sub hac conditione, ut laudemium solvat (§. 53. 37.). Quodsi vero eodem mortuo emphyteusis in te transmittitur, tu ad laudemium solvendum obligatus es (§. 53.). Neque transferri potest sub hac conditione, ut si ad te redire contingat emphyteusin laudemium non denuo sit solvendum, cum tale pactum alienationi adjici repugnet (§. 50.). Equidem non ignoro, dissentire inter se quoad propositionem

BIU Cujas

præsentem interpretes Juris civilis; sed cum lege positiva nil sit definitum, standum est eo, quod naturali ratione constitutum, adeoque verior est eorum sententia, qui nobiscum sentiunt.

§. 55.

Quid fiat emphyteusi finita.

Si emphyteusis finitur, seu nemo amplius est, cui ea competere possit, dominus emphyteuseos fit rei, quæ emphyteutica fuerat, pleno jure dominus. Etenim quando emphyteusis constituitur, ea vel constituitur ad certum tempus, vel in perpetuum, sive simpliciter, adeoque pro omni successore, vel determinative pro certis, quæ nominantur, personis (§. 29.), & tempore elapso, vel nullo successore existente emphyteusis extinguitur (§. 44. & seqq.). Quamobrem constitui nequit nisi ea lege, ut, quando emphyteusis finitur, dominium utile, quod in emphyteusis constitutione separatur a directo (§. 12. 3.), non amplius separatum esse debeat. Quoniam itaque dominium utile continet jus utendi fruendi cum parte quadam proprietatis (§. 1.), directum vero partem proprietatis reliquam (§. 3.), plenum autem dominium jus utendi fruendi ac omnem proprietatem continet (§. 136. *part.* 2. *Jur. nat.*); quando emphyteusis finitur, qui erat dominus directus, adeoque partem tantummodo proprietatis habebat (§. 4.), dominium plenum ipso jure habet, consequenter pleno jure rei, quæ emphyteutica fuerat, fit dominus.

Proprie dici nequit, jus emphyteutæ conjungi cum jure domini emphyteuseos, quoniam illud extinctum est, ac ideo quia extinguitur, dominium, quod erat divisum, plenum iterum est, quodque divisum in duobus subjectis existebat, jam indivisum in uno subjecto subsistit. Acquiritur vero plenum dominium ab eo, qui directum habet, ex lege constitutionis. Quodsi emphyteusis non extingueretur, sed subsisteret, nullo successore existente, nec ea esset lex constitutionis, ut, qui dominium directum habet, jam pleno jure sit dominus; emphyteusis evaderet res nullius, quemadmodum suo loco constabit, quando de successione ab intestato acturi sumus: quod tamen dici haudquaquam potest.

§. 56.

Quale jus ad rem emphyteuticam habeat dominus emphyteuseos.

Quoniam emphyteusi finita *dominus emphyteuseos* fit rei, quæ emphyteutica fuerat, pleno jure dominus (§. 55.); idem *jus conditionatum ad rem emphyteuticam habet pleno jure possidendam, aut si mavis spem rem emphyteuticam pleno jure possidendi, quæ emphyteusi finita in jus erigitur.*

Non repugnat, ut dominus emphyteuseos habeat & jus in re, & simul jus ad rem: jus enim in re habet, quatenus ipsi competit proprietas, etsi restricta, in re emphyteutica, jus vero ad rem, quatenus eam pleno jure possidere debet, emphyteusi finita, seu plenum dominium rei, quæ emphyteutica fuerat, ipso jure acquirere, quod dominium directum, quod jam habet, absorbet. Jus autem hoc nonnisi conditionatum est, cum suspendatur a casu, quo nemo existit, cui emphyteusis competere possit.

§. 57.

An emphyteusi finita consolidatio fiat.

Si emphyteusis finitur, seu nemo amplius est, cui ea competere possit; consolidatio fit. Etenim si emphyteusis finitur, ut nemo amplius sit, cui ea competere possit, dominus emphyteuseos fit rei, quæ emphyteutica fuerat, pleno jure dominus (§. 55.), seu dominium plenum acquirit ex lege constitutionis (*not.* §. *cit.*). Quoniam itaque dominium plenum continet proprietatem omnem cum jure utendi fruendi (§. 136. *part.* 2. *Jur. nat.*), eam quoque partem proprietatis, quam dominus emphyteuseos ante habebat, & in qua dominium directum consistebat (§. 12. 13. 3.), idem continet. Quamobrem cum consolidatio fiat, si jus acquiris, quo id, quod jam ex alia causa habes, continetur (§. 1136. *part.* 5. *Jur. nat.*); quando emphyteusis finitur, ut nemo amplius sit, cui ea competere possit, consolidatio fit.

Equa-

BIU Cujas

Equidem vulgo dicitur, consolidatione finiri emphyteusin, quando moritur emphyteuta sine successore, ut adeo consolidatio allegetur tanquam ratio emphyteuseos finitæ, non vero extinctio emphyteuseos tanquam ratio consolidationis. Qui vero ita sentiunt, emphyteusin ad dominum emphyueuseos reverti & ita dominium utile cum directo in uno subjecto conjungi putant, ut adeo emphyteusis, quæ duo subjecta requirit, in quibus dominium directum & utile separatim existunt, subsistere amplius nequeat, consequenter necessario finiri debeat. Nobis vero convenientius visum, rem paulo aliter concipi. Nimirum emphyteusis constituitur & acquiritur contractu, quo contrahentes conveniunt in separationem dominii directi ac utilis (§. 15.), vel ad certum tempus, vel in perpetuum sive simpliciter, pro quolibet scilicet successore, vel determinative, pro certis personis (§. 29.). Quando itaque nemo existit, cui ex contractu emphyteutico emphyteusis debetur, ea utique extinguitur, aut, si mavis, vi ipsius contractus finitur. Quamobrem contractui emphyteutico non tam tacite ineit ea lex, quod illo casu emphyteusis ad dominum directum reverti, quam quod hic pleno jure dominus esse debeat. Neque enim dominus emphyteuseos succedit in jus emphyteutæ, ut cum dominio directo conjungatur; sed emphyteusi extincta dominium plenum acquirit, quod directum, ut ante diximus (*not.* §. 56.), absorbet. Quodsi vero rem ita concipias, quod jura ista, quæ dominium directum ac utile constituebant, simul sumta constituant dominium plenum, adeoque si in uno subjecto coalescant, dominium, quod erat deminutum in uno subjecto, jam redintegretur; dici quidem potest, emphyteuseos constitutioni tacite inesse debere hanc legem, ut emphyteusi extincta, dominium utile revertatur ad dominum directum, consequenter hoc modo fieri consolidationem (§. 1509. *part.* 5. *Jur. nat.*), non tamen satis apte dicitur consolidatione finiri seu extingui emphyteusin: neque enim emphyteusis revertitur ad dominum directum & quia cum dominio directo conjungitur, extinguitur, sed potius jus, quod in emphyteuseos constitutione a dominio pleno fuerat separatum, ad jus, quod constituenti aut ab eo alii reservatum fuerat, revertitur, quia emphyteusis extinguitur. Atque hoc modo conjunctione jurium separatorum fit consolidatio, quæ efficit dominium plenum, quod ex lege constitutionis acquirere debet, qui erat dominus directus. Non inanes fingimus subtilitates, cum sine iis non satis intelligantur, quæ dicuntur, nec quæ dicuntur, satis inter se cohæreant, si ad distinctas notiones revocentur. Atque hinc patet, quo sensu admitti possit, consolidationem fieri conjunctione jurium (§. 1509. *part.* 5. *Jur. natur.*), quo sensu autem ista conjunctio magis spectanda sit tanquam consequens consolidationis (*not.* §. 1136. *part.* 5. *Jur. nat.*). Eo utique animo contrahitur emphyteusis, ut, si nemo sit, cui vi contractus emphyteutici competere queat, jura, quæ dominium directum & utile separatim constituebant, iterum dominium plenum efficere debeant, sed vel ideo hac ipsa lege, ut dominium plenum tum sit ejus, qui habuerat directum. Eadem voluntate, qua jura a se invicem separata fuerunt, itidem conjunguntur, cum utrumque pendeat a contractu emphyteutico, adeoque a voluntate emphyteusin contrahentium proficiscatur.

§. 58.

An dominus emphyteuseos habeat jus protimiseos, si emphyteusis alienatur.

Si emphyteusis alienatur, jus protimiseos naturaliter non competit domino emphyteuseos, nisi expresse ita fuerit conventum. Quale enim sit jus emphyteutæ, ex contractu emphyteutico dijudicandum (§. 28.). Quodsi ergo expresse non fuerit conventum, ut domino emphyteuseos jus protimiseos competere debeat, si emphyteusis alienatur, nec hoc jus eidem competere potest. Quamobrem patet, naturaliter domino non competere jus protimiseos, si emphyteusis alienatur, nisi expresse ita fuerit conventum.

Quando ita convenitur, ut dominus emphyteuseos habeat jus protimiseos, potestas alienandi magis restringitur, quam si libere alienare possit, cuicunque voluerit. Quomodo igitur restricta esse debeat potestas alienandi emphyteutæ concessa, ex contractu emphyteutico utique æstimandum, neque magis restringi potest, quam in eodem fuerat restricta. Civile adeo est, quando absque speciali conventione jus protimiseos tribuitur domino emphyteuseos, quando in extraneum alienatur, sive simpliciter, sive tantummodo quando venditur.

§. 59.

De remissione emphyteuseos.

Emphyteuta in gratiam domini emphyteuseos emphyteusin remittere potest, & quando hoc facit, dominus emphyteuseos fit jure pleno dominus rei emphyteuticæ: remissio tamen hæc fieri nequit, domino emphyteuseos invito. Quilibet enim jus suum remittere potest, quando nil fit contra jus tertii (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam ergo emphyteuta in gratiam domini emphyteuseos, adeoque voluntate ipsius, emphyteusin remittens, nihil

BIU Cujas

nihil facit, quod est contra jus ejusdem, ex iis autem, quæ de emphyteusi demonstrata sunt, abunde patet, nec quicquam fieri, quod sit contra jus tertii cujusdam; quin emphyteuta in gratiam domini emphyteuseos emphyteusin remittere possit, dubitandum non est. *Quod erat primum.*

Enimvero quando emphyteuta emphyteusin remittit, eadem extinguitur (§. 97. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum dominus emphyteuseos, rei emphyteuticæ pleno jure dominus fiat, quando ea extinguitur (§. 55.); quando emphyteuta in gratiam domini emphyteuseos emphyteusin remittit, hic rei, quæ emphyteutica fuerat, pleno jure fit dominus. *Quod erat secundum.*

Denique cum emphyteuta emphyteusin acquisiverit ex contractu (§. 15.), quem servare obligatur (§. 789. 794. *part.* 3. *Jur. nat.*), consequenter a quo recedere nequit, domino emphyteuseos invito; nec eodem invito emphyteusin remittere potest. *Quod erat tertium.*

Vulgo emphyteuta jus suum cedere dicitur domino emphyteuseos, vel etiam eidem renunciare: ast prius non satis convenit notioni cessionis (§. 81. *part.* 3. *Jur. natur.*), posterius rite explicandum, nimirum ut intelligatur jus a dominio pleno separatum ad constituendum dominium utile, non vero in specie emphyteuticum (§. 103. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ut igitur rectius omnia inter se consentiant, dicere maluimus, quod emphyteuta jus suum remittat, hoc est, quod declaret, nolle sese, ut dominus emphyteuseos patiatur, se omnem utilitatem ex re emphyteutica percipere, seu eadem uti frui, & de eadem disponere, quemadmodum vi contractus emphyteutici disponere poterat.

§. 60.

An remissione emphyteuseos consolidatio fiat.

Quando emphyteuta in gratiam emphyteuseos domini emphyteusin remittit, consolidatio fit. Quando enim emphyteuta emphyteusin in gratiam domini ejus remittit, hic rei, quæ emphyteutica fuerat, fit pleno jure dominus (§. 59.). Unde porro eodem modo, quo ante (§. 57.), patet, consolidationem fieri.

Relegenda hic sunt, quæ paulo ante (*not.* §. 17.) annotavimus. Notandum vero remissionem fieri posse vel gratis, vel pro certo pretio. Quando enim dicitur emphyteuta jus suum donare domino, id intelligendum est de remissione gratuita; quando vero dicitur vendere, de remissione pro certo pretio facta. Unde jus protimiseos, quod domino emphyteuseos competit, aliter explicari non potest, quam quod emphyteuta remittere velit emphyteusin, si solvat pretium, quod alius emtor offert, aut si det pretium donatario, quod solveret emtor, siquidem vendi deberet, aut quod vulgo dicitur, pretium æquum. Ceterum etsi nobis accurate sit loquendum, qui terminis singulis determinatum tribuimus significatum, cum methodus nostra non ferat inconstantiam loquendi; in verbis tamen non sumus scrupulosi, ut propterea alios erroris redarguere, vel cum iis ferram contentionis reciprocare velimus. Patet vero etiam non in hoc casu emphyteusin finiri, quia consolidatio fit; sed potius ex adverso consolidationem fieri, quia emphyteusis extinguitur. Interpretes Juris Romani in eo non consentiunt, num emphyteusis cedi, aut, ut nos loqui amamus, remitti debeat domino emphyteuseos jure protimiseos, quando extraneo donatur; ast naturaliter utrumque conveniri posse patet, prouti visum fuerit contrahentibus (§. 28.).

§. 61.

De dominio directo ad utile accedente.

Si emphyteuta dominium directum acquirit; pleno jure rei, quæ emphyteutica fuerat, fit dominus & emphyteusis extinguitur. Quodsi enim emphyteuta dominium directum acquirit, eam partem proprietatis acquirit, quæ cum in constitutione emphyteuseos dominium utile accepisset (§. 12.), eidem fuerat ademta (§. 3.). Quoniam itaque dominium utile accedente directo efficitur plenum, quale erat ante emphyteuseos constitutionem; emphyteuta pleno jure rei, quæ emphyteutica fuerat, fit dominus. *Quod erat unum.*

Quoniam itaque dominium non amplius divisum est, nec divisum in duobus subjectis subsistit, ut alius sit dominus directus, alius utilis, quemadmodum emphyteusis re-

BIU Cujas

requirit (§. 12.); nec ea amplius subsistere potest, adeoque per se extinguitur. *Quod erat alterum.*

Dominium directum cum dominio emphyteuseos confundendum non est: etenim dominium emphyteuseos est dominium directum qualificatum per contractum emphyteuticum (§. 27.), & ipsam naturam emphyteuseos (§. 12.). Nimirum vi naturæ emphyteuseos ad proprietatis partem, in qua consistit dominium directum (§. 3.), accedit jus exigendi canonem, & per contractum emphyteuticum jus exigendi præcise tantum canonem atque laudemium, una cum jure sub certa conditione emphyteutam privandi emphyteusi, si ita visum fuerit, aliisque juribus conventionalibus, quæ pro arbitrio contrahentium variare possunt. Abunde igitur patet dominium emphyteuseos, quod domino ejusdem competit, plurimum differre a dominio directo, ac multo latius patere. Omnia autem ista jura, quæ ad dominium directum accedunt, ut in emphyteuseos constitutione certam acquirat formam, quam per se non habet, respectiva sunt, nec sine emphyteusi, ad quam referuntur, concipi possunt. Jus adeo domini emphyteuseos, quod in dominio directo qualificato consistit, in emphyteutam transferri nequit; sed cum in eum transfertur aut transmittitur dominium directum, quale per se est, hoc est, quatenus consistit in ea proprietatis parte, quæ dominio utili adhuc deest, ne sit plenum, omnia ista jura, quæ ad dominium directum accesserunt, ut dominium emphyteuseos prodiret, exspirant, cum non habeant subjectum, in quo subsistere possunt. Extinguuntur autem vel voluntate domini, qui, dum dominium directum in emphyteutam transfert, ea remittere tenetur (§. 97. *part.* 3. *Jur. nat.*), vel voluntate legis, quæ successionem in dominio directo emphyteutæ defert, quemadmodum suo loco constabit. Alia igitur est ratio dominii directi ad utile, quam utilis ad directum accedentis, quando emphyteuta moritur nullo successore relicto, prouti abunde patet ex iis, quæ supra annotavimus (*not.* §. 57.). Dum vero omne jus, quod dominus emphyteuseos qua talis habet, extinguitur; omnis quoque extinguitur obligatio emphyteutæ (§. 97. *p.* 3. *Jur. nat.*), ex qua illud ortum suum habet (§. 23. *part.* 1. *Jur. natur.*). Quando vero dominium utile liberatur ab istis obligationibus, jus emphyteuticum esse desinit, ac contractus emphyteuticus finitur (§. 15.). Quodsi ea perpendas, quæ passim annotavimus: haud difficulter apparet, si singula minutim persequi vellemus, multo majore prolixitate opus fore, non invita methodo nostra, qua usi sumus, ut adeo non habeant, quod de eadem conquerantur, qui regiam ad scientiam viam desiderant, qualem non dari recte jam olim dixit *Euclides*.

§. 62.

De domino emphyteuseos sine successore mortuo.

Si dominus emphyteuseos moritur sine successore, dominium directum non accedit ad emphyteutam, nisi expresse ita fuerit conventum; sed dominium emphyteuseos res nullius evadit. Etenim emphyteutæ jus metiendum est ex contractu emphyteutico (§. 17.). Quando emphyteusis constituitur, dominium saltem utile sub conditione certi canonis in recognitionem dominii directi præstandi cum proprietate certa lege restricta, quæ scilicet contrahentibus placuerit, in emphyteutam confertur (§. 15.). Quodsi ergo in contractu emphyteutico non fuerit dictum, quod dominium directum ad utile accedere debeat, si dominus emphyteuseos moriatur sine successore; nec hoc jus sibi arrogare potest emphyteuta. *Quod erat primum.*

Ast si expresse ita fuerit conventum, ut dominium directum ad utile accedere debeat, domino emphyteuseos sine successore mortuo; cum jus ex contractu acquisitum emphyteutæ auferri minime possit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*); mortuo domino emphyteuseos sine successore, dominium directum statim accedit ad emphyteutam. *Quod erat secundum.*

Quoniam vero in casu primo dominium directum ad emphyteutam non accedit, *per demonstrata*, adeoque ab utili separatum manet, nemo tamen existit, in quem transmittatur, *per hypoth.* cum subsistente emphyteusi dominium emphyteuseos quoque subsistat, hoc evadit res nullius (§. 6. *p.* 2. *Jur. nat.*). *Quod erat tertium.*

§. 63.

Quinam dominium emphyteuseos sine successore mortuo fit res nullius (§. 62.), res nullius vero acquiritur occupando (§. 174. part. 2. Jur. nat.); dominium emphyteuseos sine successore mortuo, dominium emphyteuseos occupando acquiritur

ab

BIU Cujas

phyteuſeos acquirat. *ab eo, qui occupandi jus habet*, conſequenter cum jus occupandi naturaliter promiſcue competat omnibus (§. 179. *part.* 2. *Jur. nat.*), *domino emphyteuſeos ſine ſucceſſore mortuo, dominium emphyteuſeos occupare poteſt, qui voluerit, & qui occupat, ſtatim fit dominus emphyteuſeos*; *Quodſi* vero *emphyteuta idem occupet*, cum non poſſit habere animum niſi acquirendi dominium directum, ſine quo cetera jura ad dominium emphyteuſeos ſpectantia ſubſiſtere nequeunt (*not.* §. 61.), *dominium directum acquirit*, ceteris nimirum juribus, quæ ad dominium emphyteuſeos ſpectant, evaneſcentibus, *atque emphyteuſis extinguitur* (§. 61.).

Hæc quidem ita ſeſe habent naturaliter: civiliter vero vel diſponi poteſt, ut dominium directum accedat ad utile, ſicque emphyteuſis extinguatur, vel dominium emphyteuſeos accedat fiſco, aut alii, cui jus lege tributum, prouti ſuo loco clarius eluceſcet.

§. 64.

Circa alienationem obſervanda. *Si emphyteuta emphyteuſin alienat, id domino denunciandum eſt, & quidem ante alienationem perfectam, ſi abſque conſenſu ejuſdem fieri nequit, vel eidem jus protimiſeos competit, aut etiam ea jam perfecta, ſi conſenſu domini ad alienandum non ſit opus, nec domino jus protimiſeos competit.* Etenim ſi emphyteuſis alienatur, dominus novum nanciſcitur emphyteutam, cum quo contractus emphyteuticus renovandus (§. 33.), & qui canonem emphyteuticum eidem ſolvere poſthac tenetur (§. 20.). Neceſſe igitur eſt, ut dominus emphyteuſeos norit, quemnam emphyteutam ſit habiturus, conſequenter ſi emphyteuta emphyteuſin alienat, id domino denunciandum. *Quod erat primum.*

Quodſi emphyteuta emphyteuſin alienare nequit ſine conſenſu domini, per ſe patet, quod ipſo inſcio alienari non poſſit. Atque adeo cum alienatio ſine conſenſu domini foret invalida (§. 31.); neceſſe omnino eſt, ut emphyteuta domino denunciet ſe alienare velle & conſenſum ejus ad alienationem requirat, conſequenter denunciatio fieri debet, antequam eadem fuerit perfecta. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi jus protimiſeos domino emphyteuſeos competit, ſi is idem pretium emphyteutæ dare velit, quod alius emtor offert, alienatio in extraneum fieri nequit (§. 1108. *p.* 4. *Jur. nat.*). Idem intelligitur, ſi pretium æquum dare velit, quando emphyteuta emphyteuſim extraneo donare vult. Patet adeo denuo denunciationem fieri debere, antequam alienatio perficiatur. *Quod erat tertium.*

Enimvero ſi conſenſui domini ad alienationem non ſit opus, nec jus protimiſeos eidem competat; cum denunciatione tantummodo opus ſit, ut norit dominus, quem habiturus ſit emphyteutam novum, *per demonſtrata n.* 1. ea utique fieri poteſt alienatione jam perfecta. *Quod erat quartum.*

Poteſt tamen etiam ita conveniri, ut in omni caſu denunciatio fieri debeat ante alienationem perfectam honoris cauſa, ita ut eam irritam facere poſſit dominus, ſi illa fuerit amiſſa (§. 28.).

§. 65.

De denunciatione fraudulenta. *Non licet in denunciatione pretium minus nominare, quam dedit emtor, ut laudemium minus ſolvatur; nec majus, quam emtor offert, ut dominus nolit uti jure protimiſeos.* Etenim utrumque fit animo fraudandi dominum emphyteuſeos (§. 147. *part.* 5. *Jur. nat.*). Quamobrem cum nemo alterum fraudare debeat (§. 148. *part.* 5. *Jur. nat.*); nec in denunciatione nominare liceat pretium minus, quam dedit emtor, ut laudemium minus ſolvatur (*not.* §. 36.), neque etiam majus, quam emtor offert, ut dominus nolit uti jure protimiſeos.

§. 66.

Effectus denunciationis fraudulentæ. *Ob denunciationem fraudulentam, qua vel ad diminuendum laudemium pretium minus, vel ad impediendum exercitium juris protimiſeos pretium majus nominatur, quam offert*

BIU Cujas

offert emtor, emphyteusis naturaliter non amittitur, nisi expresse ita fuerit conventum: alias in casu priori tantummodo laudemium supplendum, in posteriori dominus alienationem rescindere potest, si verum pretium offerre velit. Etenim si pretium minus fuerit nominatum in denunciatione, ut laudemium minus solutum fuerit, quam solvendum fuerat, emphyteuta damnum dat dolo suo domino (§. 488. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum damnum dolo datum sit resarciendum (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*); emphyteuta non obligatur nisi ad damnum datum resarciendum, consequenter naturaliter emphyteusin ob denunciationem fraudulentam ad diminuendum laudemium factam non amittit. *Quod erat primum.*

Quoniam vero damnum resarcitur, si defectus laudemii suppletur (§. 572. *part.* 2. *Jur. nat.*); emphyteuta quoque ex denunciatione fraudulenta ad diminuendum laudemium facta non tenetur, nisi ad laudemium supplendum. *Quod erat secundum.*

Quando in denunciatione fraudulenta pretium majus nominatur, quam offert emtor, ad impediendum exercitium juris protimiseos; denunciatio fit contra jus domini emphyteuseos (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Sed ex eo, quod emphyteuta quid facit, quod est contra jus domini, veluti quod impedire conetur, ne jure protimiseos utatur, minime sequitur, quod emphyteusin amittere debeat, cum hoc ratio sufficiens amissionis non sit (§. 56. *Ontol.*). Naturaliter itaque emphyteusin non amittit emphyteuta ob denunciationem fraudulentam, quæ tendit ad impediendum exercitium juris protimiseos. *Quod erat tertium.*

Quoniam vero dominus errore inducitur, ut nolit jure protimiseos uti; nonnisi sub hac conditione declarasse intelligitur, se eodem uti nolle, si tantum pretium offeratur ab emtore. Quamobrem cum conditionate tantummodo renunciet juri protimiseos (§. 103. *part.* 3. *Jur. nat.*), idem vero invito auferri minime possit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*); hac denunciatione non obstante idem adhuc salvum manet. Quodsi ergo fraude detecta eodem adhuc uti velit, uti potest, adeoque alienationem rescindere, si verum pretium dare velit (§. 1108. *part.* 4. *Jur. nat.*). *Quod erat quartum.*

Quodsi denique expresse ita conveniatur, ut emphyteusis amissa esse debeat ob denunciationem fraudulentam, eodem modo patet eam amitti, quo supra (§. 20.) ostendimus in simili casu amitti emphyteusin ob canonem non solutum. *Quod erat quintum.*

Non inutiliter ita convenitur, ut emphyteusis ob fraudulentam denunciationem amittatur: quoniam hoc modo impeditur, ne facile fraus commiatur. Neque enim pœna conventionali in genere, ac caducitatis hic in specie aliud intenditur, quam ut magis securi simus, ne alter desit obligationi suæ.

§. 67.

An jus protimiseos alii cedere possit.

Dominus emphyteuseos jus protimiseos alii cedere nequit. Etenim jus domini emphyteuseos metiendum est ex contractu emphyteutico (§. 27.). Quodsi ergo in eodem expresse fuerit conventum, quod domino emphyteuseos jus protimiseos competere debeat; cum hoc pacto potestas alienandi restringatur, jus protimiseos domino emphyteuseos qua domino reservatum ad personam ejus ita restrictum intelligitur, ut in alium transferri minime possit. Quamobrem cum cessione in alium transferatur (§. 81. *part.* 3. *Jur. nat.*); dominus emphyteuseos jus protimiseos alii cedere nequit.

Aliud omnino est in hoc consentire, ut, si dominus emphyteuseos idem offerat pretium, quod alius emtor extraneus, vel si donatario pretium æquum solvere velit, emphyteusis in extraneum transferri non possit; aliud vero, ut, si dominus emphyteuseos alium emtorem nominet, qui idem pretium solvere, aut donatario pro re pretium solvere velit, is sit præferendus. Quodsi dominus jus protimiseos alii cedere possit, cum cessionarius acquirat jus cedentis (§. 84. *p.* 3. *Jur. nat.*), perinde omnino foret, ac si præferendus esset emtor, quem dominus habet, emtori, qui est emphyteutæ. Quamobrem dici nequit, dum domino emphyteuseos in contractu emphyteutico reservatum fuit jus protimiseos, id actum esse, ut etiam idem jus competere debeat ei, cui dominus idem cedere voluerit. Equidem non nego, naturaliter nil obstare, quo minus ita conveniri possit; sed tacite hoc conventum fuisse, dum jus protimiseos domino emphyteuseos reservatum, pernego.

BIU Cujas

§. 68.

De alienatione emphyteuseos salvo consensu domini facta.

Si ad alienationem emphyteuseos consensus domini requirendus; sub clausulæ: salvo consensu domini: *alienari potest.* Etenim si alienatur sub clausula: *salvo consensu domini;* alienatio non fit nisi sub conditione ratihabitionis, ut scilicet subsistat, si dominus eam ratihabuerit, seu in jam factam consentiat, si vero noluerit consentire, aut jure protimiseos ipsi competente uti, alienatio non valeat. Quoniam itaque alienatione sub hac clausula facta domino jus suum non adimitur, nec ullo modo diminuitur, adeoque nil committitur, quod est contra jus ipsius (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quod facere non licet (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*); nil sane obstat, quo minus emphyteusis alienari possit sub hac clausula: *Salvo consensu domini*, etiamsi fuerit conventum, seu emphyteusis sub hac lege contracta, ne alienatio fieri possit sine consensu domini.

Si domino competit jus protimiseos; salvo ejus consensu, salvum etiam est jus istud. Etenim si jure protimiseos uti voluerit, alienationem jam factam non ratihabet, dissensu suo declarato, atque adeo alienatio non subsistit & ipse jure protimiseos utitur.

§. 69.

An alienatio ista liberet a pœna commissi.

Quoniam emphyteusis alienari potest sub clausula: *salvo consensu domini*, si ad eam ejus consensus requirendus (§. 68.); *ubi alienatio sine consensu domini sub pœna caducitatis fuerit prohibita, emphyteusin non committit, seu in pœnam commissi non incidit emphyteuta, siquidem alienatio fiat sub clausula*: salvo consensu domini.

Pœna commissi supponit violationem juris, quod alter respectu rei, quæ amittitur, habet. Si vero in casu præsenti alienatio fit salvo jure domini, jus ejus non violatur, consequenter pœnæ commissi locus non est, etsi fuerit conventa.

§. 70.

De re ab emphyteuta non deterioranda.

Emphyteuta rem emphyteuticam deteriorare non debet. Proprietas enim in emphyteusi inter dominum emphyteuseos & emphyteutam divisa (§. 12. 3.), consequenter jus disponendi de ipsa substantia rei inter utrumque divisum (§. 131. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam vero emphyteusis ita concessa, ut dominus emphyteuseos certo casu pleno jure rem emphyteuticam habere debeat (§. 55.); ipsius interest, ne res deterioretur (§. 622. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum nemo quicquam facere debeat, quod est contra jus ipsius (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec rem alienam deteriorare liceat (§. 647. *part.* 2. *Jur. nat.*); nec emphyteuta rem emphyteuticam deteriorare debet.

Res emphyteutica etsi sit quodammodo sua, non tamen prorsus suam dicere potest emphyteuta, cum ea etiam sit domini emphyteuseos, cujus jus quoad proprietatem potius jure emphyteutæ. Quando itaque emphyteusis concessa, in emphyteutam equidem translatum est jus omnem utilitatem ex re emphyteutica percipiendi, nec eam participat dominus emphyteuseos, & hic canonem accipit conventum, sive majorem, sive minorem utilitatem percipiat emphyteuta (§. 18. 22.); non tamen jus utendi fruendi liberum prorsus ac irrestrictum in emphyteutam collatum intelligitur, nisi salva substantia, adeoque sub hac lege, ne res emphyteutica deterioretur. Quoniam ab initio fundi steriles ac inculti meliorandi causa in emphyteusin dabantur; tam per se patebat, quod emphyteutæ non liceat fundum deteriorare, quam quod meliorare debeat. Quamobrem posthac etiam lege positiva cautum, ut ob deteriorationem insignem emphyteusis committatur.

BIU Cujas

§. 71.

De jure domini, si res emphyteutica deteriorretur:

Naturaliter dominus emphyteuseos pati non debet, ut emphyteuta rem emphyteuticam deteriorem reddat, ob deteriorationem tamen jure suo non cadit emphyteuta, nisi expresse ita fuerit conventum: tenetur tamen domino ad id, quod interest. Etenim emphyteuta rem emphyteuticam deteriorare non debet (§. 70.). Quamobrem cum ex obligatione emphyteutæ nascatur jus domino emphyteuseos (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*); dominus pati minime debet, ut emphyteuta rem emphyteuticam deteriorem reddat. *Quod erat primum.*

Enimvero quoniam ipsi competit jus non patiendi, ut emphyteuta rem emphyteuticam deteriorem reddat, *per demonstrata*, adeoque eum adigendi, ne faciat (§. 235. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ex eo minime sequitur, quod jure suo cadere debeat emphyteuta, si rem insigniter deteriorem reddat. Naturaliter itaque ob insignem rei deteriorationem emphyteuta suo jure non cadit. *Quod erat secundum.*

Quodsi vero expresse ita fuerit conventum, ut ob insignem rei deteriorationem emphyteusis committatur; contractui emphyteutico pœna adjecta est (§. 606. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem si res insigniter ab emphyteuta deterioretur, emphyteusis committitur, seu emphyteuta eam amittit (§. 611. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Quod erat tertium.*

Denique si emphyteuta rem deteriorem reddat, obligationi suæ non satisfacit (§. 70.). Quamobrem cum certo casu res emphyteutica ad dominum pleno jure redire debeat (§. 55.), ex re autem deteriorata minor utilitas percipiatur, quam percipi poterat, si deteriorata non fuisset, ipsaque res minoris pretii fiat, quod per se patet; damnum utique incurrit dominus ac lucrum, quod ad ipsum pervenire poterat, cessat, si emphyteuta rem deteriorem reddat, quia hic obligationi suæ non satisfacit. Tenetur itaque emphyteuta domino emphyteuseos ad id quod interest (§. 629. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Quod erat quartum.*

Quoniam molestum est adigere emphyteutam, ne rem deteriorem reddat, &, sicubi reddiderit, ut interesse præstet; consultum est ut pœna conventionalis adjiciatur, sive ut emphyteusis amittatur, sive ut in alium voluntate domini sit transferenda, prout circumstantiæ particulares æquitatem pœnæ definiverint.

§. 72.

Si fundus meliorationis causa datus deterioretur.

Si fundus meliorationis causa in emphyteusin datur, emphyteuta tamen eundem meliorem non reddit, sed potius deteriorem; dominus emphyteuseos eidem jus suum auferre potest. Etenim si fundus meliorationis causa in emphyteusin datur, inter emphyteutam & dominum emphyteuseos convenitur, quod is fundum meliorare, & propterea in eodem emphyteusis ipsi constituta esse debeat, ut adeo unica ratio sit, cur omnem utilitatem solus percipiat, quia fundum meliorem reddit, ac reliqua jura consequatur, quæ ex contractu ad emphyteusin spectant. Enimvero si pacta mutuas præstationes continent, & unus pactscentium præstare nolit, quod debet, nec aliter ad id præstandum tenetur, quod ipse debet (§. 827. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem si emphyteuta fundum meliorem reddere negligat, immo potius eundem prorsus deteriorem reddat; nec dominus emphyteuseos concedere tenetur, ut ipse dominium utile in fundo habeat. Jus igitur suum emphyteutæ auferre potest (§. 12.).

Quoniam apud Romanos primum fundi steriles meliorationis causa in emphyteusin dabantur; ideo ipsa naturæ lege ob deteriorationem fundi jure suo privari poterat emphyteuta: id quod deinde universaliter receptum, etiam ubi fundi non steriles in emphyteusin dari cœperunt.

BIU Cujas

§. 73.

De immutatione fundi emphyteutici. *Si meliorationis causa emphyteusis constituta, & fundus immutatione melioretur; cum immutare licet, nisi expresse fuerit conventum, ne immutetur: ex adverso eum immutare non licet, si immutatione deterioretur, nisi quid de immutatione specialius fuerit conventum.* Etenim si meliorandi fundi causa emphyteusis constituta, emphyteuta obligatur ad dandum operam, ut fundum pro virili meliorem reddat, quod per se patet. Quodsi ergo fundus immutatione meliorari possit; quin hoc naturaliter facere liceat dubitandum non est) §. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Quod erat primum.*

Quoniam tamen jus emphyteutæ metiendum est ex contractu emphyteutico (§. 28.); si expresse fuerit conventum, ne fundus immutetur, nec hoc facere licet. *Quod erat secundum.*

Ex adverso cum emphyteuta rem emphyteuticam deteriorare non debeat (§. 70.), si fundus immutatione deterioretur, emphyteuta eum immutare nequit. *Quod erat tertium.*

Si vero de immutatione fundi specialius quid fuerit conventum; eodem standum esse, patet ut ante (*n.* 2.). *Quod erat quartum.*

Ex. grat. Naturaliter non repugnat, ut solius immutandi fundi causa emphyteusis constituatur, veluti si piscina, vel sylva in agrum convertenda, non habita ratione, utrum major utilitas ex agro, quam ex piscina, vel sylva percipiatur. Ex adverso etiamsi meliorandi fundi causa emphyteusis constituta, & major utilitas ex agro, quam ex piscina, vel sylva percipi possit; conveniri tamen potest, ne piscina, vel sylva immutetur, quamvis piscinam vel sylvam qua talem, quantum tibi datur, meliorare debes.

§. 74.

Cujusnam sit fructuum periculum. *Periculum fructuum omne ad solum emphyteutam spectat.* Etenim emphyteutæ competit dominium utile (§. 12.); adeoque ex re emphyteutica omnem utilitatem percipit solus (§. 2.). Quodsi ergo damnum in fructibus contingat, nulla ratio est, cur id participare debeat dominus emphyteuseos, ad quem nihil fructuum pervenit. Periculum adeo fructuum omne ad solum emphyteutam spectat.

Canon nimirum solvitur in recognitionem dominii directi (§. 14.), minime autem pro usu rei (*not.* §. *cit.*). Quid tamen juri interno conveniat, si canon in modico non consistat, ut quidem primario detur in recognitionem dominii directi, secundario autem simul ad communicandam utilitatem; supra jam demonstravimus (§. 23.).

§. 75.

De oneribus ad emphyteutam spectantibus. *Emphyteuta omnia onera ferre debet.* Etenim omnem utilitatem ex re emphyteutica solus percipit (§. 12. 2.) & tanquam dominus utilis (§. 12.) proprietatem quoque in re habet, etsi certa conventione restrictam (§. 1. 26.), consequenter fructus ex re percipit tanquam sua. Quamobrem si qua onera præstanda sint sive ratione fructuum, sive ratione rei ipsius; ea ferre debet emphyteuta.

Emphyteuta dominus est rei emphyteuticæ, etsi dominium habeat dependens ab alio, quo facultas ejus disponendi de substantia rei certo modo restringitur, quemadmodum ex hactenus demonstratis abunde patet. Ex re igitur sua omnia sentit tam incommoda, quemadmodum commoda percipit. Pars proprietatis, quæ dominum directum facit dominum superiorem, minuit quidem proprietatem, non tamen utilitatem, ut adeo quoad usum rei ac pretium, quod propter eum eidem statuitur, perinde sit, ac si res prorsus esset emphyteutæ propria, cum ab alienante dominus directus eandem acquirere non possit, nisi soluto pretio, quod alius emtor offert. Nulla igitur foret ratio, cur ullum onus imponendum sit domino directo. Quodsi dicas, id fieri posse respectu canonis, si is non consistat in modico; cum canon mutuo consensu contrahentium constituatur (§. 16.) & quantumlibet exiguus sufficiat (§. 17.), absonum utique foret magnum sol-

vi

BIU Cujas

vi canonem & respectu hujus dominum directum obligatum esse ad onera participanda. An vero juri interno conveniat & quando, ut canon, vel pars ejus remittatur ob onera extraordinaria, quæ omnem propemodum utilitatem consumunt, dijudicandum est ex iis, quæ supra demonstravimus (§. 23.).

§. 76.

Si res tota interit, emphyteusis extinguitur. Si enim res interit, dominium, quod in ea habemus, interit (§. 352. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque nec alius utile, alius directum in ea amplius habere (§. 1. 3.), consequenter nec in recognitionem directi, quod nullum est, canon aliquis solvi potest. Quoniam itaque emphyteusis est dominium utile in re immobili sub conditione certæ pensionis annuæ in recognitionem dominii directi præstandæ, qui canon dicitur (§. 14.); concessum (§. 12.); emphyteusis utique extinguitur, si res tota interit. *De totali rei emphyteuticæ interitu.*

Interit cum re & directum, & utile dominium, quoniam utrumque sine ea consistere nequit. Quamobrem tam dominus directus, quam emphyteuta jus suum amittit, nec ulla amplius subsistere potest obligatio ex contractu emphyteutico enata.

§. 77.

Si pars rei emphyteuticæ perit, damnum sentit emphyteuta, nec de canone propterea quicquam remittendum, nisi is fructibus respondeat, quibus diminutis & ipse diminuendus, vel in specie circa casus fortuitos in contractu emphyteutico quid fuerit conventum. Etenim emphyteuta habet dominium utile (§. 12.), cui tantummodo deest pars quædam proprietatis, ne sit plenum (§. 1.), & dominium directum, quod in hac proprietatis parte consistit (§. 3.), domino emphyteuseos tantummodo tribuit spem, plerumque admodum incertam, fore ut res emphyteutica pleno jure ad ipsum revertatur (§. 56. & §. 44. & *seqq.*). Quoad emphyteutam adeo res emphyteutica parum differt a re prorsus propria. Quodsi ergo pars rei perit, adeoque damnum in re contingit; hoc utique ad emphyteutam spectare debet, cum ratio nulla sit, cur cum domino emphyteuseos communicari debeat. *Quod erat primum.* *De particulari rei emphyteuticæ interitu.*

Quodsi igitur canon fructibus non respondeat, sed in modico consistat; is unice datur in recognitionem dominii directi (§. 12. 17.). Quamobrem cum parte rei emphyteuticæ pereunte emphyteusis subsistat in ea, quæ superest parte; canon adhuc solvendus erit in recognitionem dominii directi, nec propterea minuendus, quamvis minorem jam percipiat utilitatem emphyteuta (§. 17.). *Quod erat secundum.*

Enimvero si canon fructibus respondeat, non unice in recognitionem dominii directi, sed & ad communicandam utilitatem ex re emphyteutica percipiendam dari intelligitur (§. 17.). Quamobrem cum parte rei emphyteuticæ intereunte minorem utilitatem percipiat emphyteuta, quam ante perceperat; in hoc omnino tacite consensisse videntur contrahentes, ut, si pars rei emphyteuticæ intereat, nec tanta amplius ex eadem utilitas percipi possit, quanta ex integra percipiebatur, canon pro rata minuatur. Parte igitur intereunte, canon, qui fructibus respondet, diminuendus. *Quod erat tertium.*

Quodsi denique in contractu emphyteutico circa casus fortuitos expresse quid fuerit conventum, cum ex eodem metiendum sit omne jus emphyteutæ ac domini emphyteuseos (§. 15.); quod erit conventum, id valebit. *Quod erat quartum.*

Nihil in hisce difficultatis est, modo ea ad animum revoces, quæ paulo ante uberius annotavimus (*not.* §. 75.). Si ædificia, veluti horrea aut stabula, in prædio emphyteutico deflagrent; damnum hoc utique sentit emphyteuta, nec ulla ratio suadet, cur ad dominum quoque directum aliquo modo id pertinere debeat propter eam proprietatis partem, quæ ipsi nonnisi spem incertam prædium istud aliquando obtinendi pleno jure tribuit. Nimis remota est ista utilitas, quam ut propter eam præsens damnum participare debeat. Si canon fructibus non respondet, nec habetur

BIU Cujas

betur ratio magnitudinis rei emphyteuticæ, sive adeo casu quodam diminuatur, sive augeatur, canon propterea nec augetur, nec diminuitur. Quemadmodum vero jura istiusmodi pendent originarie a voluntate constituentium; ita mirum non est, quod hominum quoque voluntate pacta pro lubitu immutari possint. Et hoc modo dici potest, homines sibi constituere jura pro utilitate sua: ut tamen licite ita constitui possint, a jure immutabili omnino arcessendum. Sed de his apertius dicemus suo loco.

§. 78.

De oppignoratione rei emphyteuticæ.

Si emphyteuta rem emphyteuticam sine consensu domini emphyteuseos alienare potest, sine ejus consensu eandem etiam oppignorare potest. Quodsi enim res oppignoratur, seu hypotheca in eadem constituitur; in creditorem confertur jus rem oppignoratam vendendi sub ea conditione, nisi statuto tempore solvatur (§. 1145. *part.* 5. *Jur. nat.*) & creditor, nisi debitum solvatur statuto tempore, rem oppignoratam vendere potest (§. 1144. *part.* 5. *Jur. nat.*). Quodsi ergo emphyteuta rem emphyteuticam sine consensu domini emphyteuseos alienare potest, nil sane obstat, quo minus etiam eandem sine illius consensu oppignorare possit: quodsi vero sine consensu domini alienare nequit, nec sine ejusdem consensu jus vendendi conditionatum in alium transferre, consequenter nec rem emphyteuticam sine illius consensu oppignorare potest.

Equidem interpretes Juris civilis vulgo simpliciter affirmant, emphyteutam rem emphyteuticam sine consensu domini emphyteuseos oppignorare posse, etsi jure civili alienatio sine consensu domini facta pœnam caducitatis adjunctam habeat; hæc tamen inter se minime cohærent, adeoque mirum videri minime debet, quod in Jure naturæ, in quo una concordia, una consequentia locum habet, in diversam sententiam abeamus, nec desint inter illos, qui jure civili consensum domini ad oppignorationem requirunt. Ceterum non nego, in Jure civili oppignorationem, sine consensu domini cum alienatione absque consensu domini sub pœna caducitatis prohibita conciliari posse. Nimirum jure civili consensus domini directi potissimum requiritur honoris gratia, & ut deliberare queat, num jure protimiseos uti velit, consensum autem sine justa causa denegare minime valet, sed invitus novum emphyteutam suscipere tenetur. Opignoratio itaque jure civili, si rem penitius inspicias, fieri potest sine consensu domini, ut nihil committatur, quod est contra jus ipsius. Etenim si contingat, rem emphyteuticam vendi debere, antequam venditio perficiatur, consensus domini honoris gratia requiri & spatium deliberandi lege definitum concedi potest, num ipse pretium solvere velit, quod offert emtor alius. Naturaliter vero consensus, de quo in contractu emphyteutico conventum, ad alienationem necessario requiritur, ut sine eo alienatio non sit valida: si vero nihil de eo fuerit conventum, libertas alienandi prorsus irrestricta competit emphyteutæ, cujus jus quoad alienationem naturaliter unice ex contractu emphyteutico metiendum (§. 27.). Contractum autem naturaliter quoad ea, quæ eidem tacite insunt, aliter interpretari non licet, quam ut principiis Juris naturalis consentiat. Id vero notari adhuc meretur, quamvis admittatur, jure civili oppignorationem sine consensu domini emphyteuseos fieri non debere; non tamen hinc sequi, quod pœna caducitatis, cui subest alienatio absque consensu domini emphyteuseos facta, etiam ad oppignorationem absque ejusdem consensu factam trahenda sit: neque enim aliud inde sequitur, quam quod oppignoratio, tanquam nullo jure facta, sit ipso jure nulla, ita ut nec pœna pecuniaria coerceri possit, nisi expresse ita fuerit lege constitutum, quemadmodum sancitum est in Ordinat. provinc. VVurtemberg. tit. 16. §. 1. 2.

§. 79.

An consensus in oppignorationem contineat renunciationem juris protimiseos.

Si dominus emphyteuseos in oppignorationem consentit; eo ipso non renunciat juri protimiseos, quod ipsi competit. Quando enim dominus emphyteuseos in oppignorationem consentit, eo ipso declarat, se consentire, ut, nisi emphyteuta debito tempore solvat, inde satisfiat creditori (§. 1143. *part.* 5. *Jur. nat.*), adeoque res emphyteutica vendatur (§. 1144. *part.* 5. *Jur. nat.*). Enimvero hoc ipso nondum declarat, quod, siquidem contingat rem oppignoratam vendi, ipse pro eo, quod emtor offeret, pretio eandem habere nolit. Quoniam itaque jus protimiseos in hoc consistit, ut dominus emphyteuseos præferatur alii emtori, si idem pretium solvere velit, quod is offert (§. 1108. *p.* 4. *Jur. nat.*), nec juri suo renunciat, qui non sufficienter significat, se in gratiam alterius

jus

BIU Cujas

jus quæsitum habere nolle (§. 102. *part.* 3. *Jur. nat.*); dominus emphyteuseos non renunciat juri protimiseos, quod ipsi competit, si in oppignorationem consentit.

Tantum abest, ex consensu in oppignorationem colligi posse animum renunciandi juri protimiseos, ut potius hoc ipsum jus motivum esse possit, cur dominus directus in oppignorationem consentiat, quando nimirum rem emphyteuticam pleno jure habere mallet, ac facile prævidet fore, ut emphyteuta rem emphyteuticam vendere cogatur, siquidem debitum solvere velit. Quamvis adeo consensus in oppignorationem contineat consensum in alienationem conditionatam; hic tamen consensus differt a consensu in alienationem puram præsentem: nimirum in casu præsenti alienatio conditionata non certam supponit personam, quemadmodum præsens pura, consensus autem in alienationem non continet renunciationem juris protimiseos, nisi consentias, ut in hanc personam, vel saltem in genere in personam aliam quamcunque res alienetur.

§. 80.

Si jus emphyteuticarium oppignoratur; creditori non competit jus nisi in jure emphyteutæ: ast si res emphyteutica oppignoratur, eidem competit jus in ipsa re emphyteutica. Etenim si jus emphyteuticarium oppignoratur, jus creditori constituitur in jure, quod in re emphyteutica habet emphyteuta; ast si res emphyteutica oppignoratur, jus eidem constituitur in ipsa re emphyteutica (§. 1142. *part.* 5. *Jur. nat.*). Quamobrem cum creditor plus juris acquirere non potuerit, quam in eum contulit oppignorans (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*); si jus emphyteuticarium oppignoratur, creditori non competit jus nisi in jure emphyteutæ, ast si res emphyteutica oppignoratur, eidem competit jus in ipsa re emphyteutica.

Differentia inter oppignorationem juris & rei emphyteuticæ.

Non inanis est distinctio inter oppignorationem juris emphyteuticarii & rei emphyteuticæ, qua etiam utuntur Dd. Etenim jus emphyteuticarium extingui potest salva ipsa re, præsertim jure civili, quo non una de causa committitur, atque tum non parum refert nosse, utrum jus emphyteuticarium oppignoratum fuerit, an vero res emphyteutica ipsa, prout ex sequentibus eluceſcit.

§. 81.

Quoniam creditori non competit jus nisi in jure emphyteutæ, nihil autem juris in ipsa re emphyteutica, quando jus emphyteuticum oppignoratur (§. 80.); *si emphyteusis extinguitur, jus quoque creditoris in jure emphyteuticario sibi oppignorato extinguitur, seu pignus solvitur* (§. 1240. *part.* 5. *Jur. nat.*).

Effectus oppignorationis juris emphyteuticarii.

Nimirum si jus emphyteuticarium oppignoratur, & hoc extinguitur, res oppignorata perit, adeoque pignus solvitur (§. 1255. *part.* 5. *Jur. nat.*),

§. 82.

Similiter quia creditori competit jus in ipsa re emphyteutica, quando eadem ipsi oppignoratur (§. 80.); *si emphyteusis extinguitur, jus creditoris in re emphyteutica sibi oppignorata salvum manet, adeoque eandem sibi adhuc obligatam habet.*

Effectus oppignorationis rei emphyteuticæ.

Patet adeo, plurimum referre, utrum res emphyteutica oppignorata fuerit, an saltem jus emphyteuticarium, cum in priori casu cum emphyteusi non extinguatur jus pignoris, vel hypothecæ, extinguatur vero in casu posteriori.

§. 83.

Si dominus emphyteuseos tantummodo consensit in oppignorationem juris emphyteuticarii; emphyteusi finita, vel amissa, debitum creditori solvere non tenetur; ast si consensit in oppignorationem rei emphyteuticæ, solvere tenetur. Quando enim jus emphyteuticarium oppi-

De effectu consensus in oppignora-

BIU Cujas

tionem juris emphyteutici & rei emphyteuticæ.

oppignorarur, extincta emphyteusi jus quoque creditoris in eodem extinguitur (§. 81.). Quodsi ergo dominus emphyteuseos tantummodo consensit in oppignorationem juris emphyteuticarii, dum finita, vel amissa emphyteusi res emphyteutica pleno jure ad ipsum revertitur (§. 55.), nulla sane ratio est, cur res emphyteutica pro debito obligata esse debeat, pro quo tantummodo obligatum fuerat jus emphyteuticarium. Dominus adeo emphyteuseos propterea quod jam pleno jure rei, quæ emphyteutica fuerat, dominus fit, creditori ad nihil tenetur, consequenter nec solvere debitum, pro quo ipsi obligatum fuerat jus emphyteuticarium. *Quod erat unum.*

Enimvero quando ipsa res emphyteutica oppignoratur, emphyteusi licet extincta, jus tamen suum in eadem retinet creditor (§. 82.). Quamobrem si dominus in oppignorationem rei emphyteuticæ, quæ sine consensu ipsius oppignorari non poterat *per hypoth.* consensit, quando amissa, vel finita emphyteusi rei, quæ emphyteutica fuerat, pleno jure dominus fit (§. 55.), jus creditoris, cui oppignorata fuit, in eadem adhuc subsistit. Dominus itaque creditori debitum, pro quo ea obligata fuit, solvere utique tenetur. *Quod erat alterum.*

Utrumque clarissime percipitur, si consensum in oppignorationem utramque distincte expendere velis. Etenim si dominus emphyteuseos non consentit nisi in oppignorationem juris emphyteuticarii, hoc ipso declarat, se consentire, ut, nisi debitum statuto tempore solvatur, ex jure emphyteuticario creditori satisfiat (§. 1142. *p. 5. Jur. nat.*), consequenter emphyteusis vendatur, ut de ejus pretio creditori satisfieri possit (§. 1145. *part. 1. Jur. natur.*). Quoniam vero emphyteusis extincta vendi nequit; per se patet, creditori ex jure emphyteuticario satisfieri non posse. Ast non minus liquet, consensum in oppignorationem juris emphyteuticarii non producere posse obligationem debitum solvendi, quando ex jure emphyteuticario creditori satisfieri impossibile est. Quodsi enim dominus consentiens hunc animum haberet, in oppignorationem rei emphyteuticæ ipsius, non vero saltem juris emphyteuticarii consensisset. Si is in oppignorationem rei emphyteuticæ consentit, tum declarat, se consentire, ut, nisi debitum statuto tempore solvatur, ex ipsa re satisfiat creditori (§. 1142. *part. 5. Jur. natur.*): quæ adeo cum voluntate ipsius obligata sit pro debito, etiamsi extincta emphyteusi pleno jure rédeat ad dominum emphyteuseos, non tamen redit nisi pro debito isto obligata, adeoque dominus debitum solvere tenetur. Quoniam civiliter emphyteusis multis modis amitti potest, ideo consultum est, ut dominus emphyteuseos in oppignorationem consentiens expresse declaret se non consentire nisi in oppignorationem juris emphyteuticarii, ne scilicet emphyteuta oppignoret, nisi quod suum est, non vero simul eidem oppignorare liceat, quod est domini directi.

§. 84.

De consensu domini ad oppignorationem requisito.

Naturaliter sine consensu domini emphyteuseos jus quidem emphyteuticarium oppignorari potest; sed res ipsa emphyteutica oppignorari nequit. Etenim si jus emphyteuticarium oppignoratur, finita vel amissa emphyteusi, dominus emphyteuseos non tenetur solvere debitum, pro quo jus istud obligatum fuerat (§. 83.). Quando itaque emphyteuta jus emphyteuticarium, adeoque jus suum, alteri oppignorat; eo ipso nihil facit, quod est contra jus domini emphyteuseos (§. 236. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem nil obstat, quo minus sine consensu domini naturaliter jus emphyteuticarium oppignorari possit. *Quod erat alterum.*

Enimvero si res ipsa oppignorari debet, cum nemo oppignorare possit, quod est alterius (§. 1165. *part. 5. Jur. nat.*), necesse utique est, ut etiam dominus emphyteuseos, qui non minus jus in eadem re habet, quam emphyteuta (§. 12. 13.), in oppignorationem consentiat, alias enim non res per se, sed saltem qua emphyteutica pro debito obligata erit, consequenter re vera non ipsa res, sed saltem jus emphyteuticarium: quod est contra hypothesin. Atque adeo patet, repugnare naturaliter, ut sine consensu domini emphyteuseos ipsa res emphyteutica oppignoretur. *Quod erat alterum.*

Quando itaque emphyteutæ conceditur potestas absque consensu domini alienandi emphyteusin; jus ipsi non est nisi jus emphyteuticarium absque ejusdem consensu oppignorandi, seu rem, qua emphyteuticam. Atque ita intelligendam esse propositionem superiorem de oppignoratione rei emphyteuticæ (§. 78.), patet. Ceterum vix est, ut moneamus, hæc ita sese habere, si in con-

BIU Cujas

contractu emphyteutico non aliter fuerit conventum, utpote ex quo metiendum est jus emphyteutæ (§. 28.). Nil enim obstat, quo minus etiam ita conveniri possit, ut emphyteutæ liceat rem ipsam oppignorare absque consensu domini emphyteuseos, cujus alias intererat, ne fieret (§. 83.).

§. 85.

De oppignoratione rei emphyteuticæ absque consensu domini.

Quoniam absque consensu domini emphyteuseos nonnisi jus emphyteuticarium, nequaquam vero res ipsa oppignorari potest (§. 84.); *si emphyteuta rem, in qua emphyteusin habet, absque consensu domini oppignoret, nonnisi jus emphyteuticarium oppignorasse intelligitur*, consequenter *cum emphyteusi jus pignoris extinguitur* (§. 81.).

Nimirum oppignoratio rei emphyteuticæ absque consensu domini facta subsistere nequit tanquam rei simpliciter, subsistere tamen potest tanquam emphyteuticæ, seu quoad jus emphyteuticarium (§. 84.). Quamobrem cum contrahentes noluerint nihil egisse; contractus ipsorum subsistere debet, quantum valere potest. Emphyteuta igitur rem oppignorans, jus, quod in ea habet, oppignorasse censetur.

§. 86.

De servitute ab emphyteuta rei emphyteuticæ imposita.

Emphyteuta sine consensu domini emphyteuseos servitutem in re emphyteutica constituere potest; hæc tamen servitus cum emphyteusi extinguitur. Quando enim servitus constituitur in re emphyteutica, hæc vicino prædio, vel personæ cuidam utilitatem quandam præstat (§. 1267. 1270. *part.* 5. *Jur. nat.*). Quamobrem cum omnis rei utilitas ad emphyteutam, tanquam dominum utilem (§. 12.), solum spectet (§. 2.), quin de ea sine consensu domini, contra cujus jus nihil fit (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), disponere pro lubitu suo, adeoque quamdiu jus emphyteuticarium durat servitutem in re emphyteutica constituere possit, dubitandum non est. *Quod erat unum.*

Enimvero si emphyteusis extinguitur, vel finitur, dominus emphyteuseos fit rei emphyteuticæ pleno jure dominus (§. 55.) & durante emphyteusi jam jus conditionatum habet pleno jure rem emphyteuticam possidendi (§. 56.). Quoniam igitur servitus omnis dominium diminuit (§. 1274. *part.* 5. *Jur. nat.*), nemo vero contra jus alterius, quidpiam facere potest (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*); emphyteuta quoque servitutem prædio emphyteutico imponere nequit ultra tempus, quo emphyteuticarium jus subsistit, duraturam. Quamobrem quando servitutem imposuit, ea cum emphyteusi extingui omnino debet. *Quod erat alterum.*

Non est quod objicias, prædium servitute deteriorari (§. 1275. *part.* 5. *Jur. nat.*), emphyteutam vero prædium emphyteuticum deteriorare (§. 70.), consequenter servitutem eidem imponere non posse. Etenim dum servitus expirat, quando emphyteusis finitur; dominus directus rem emphyteuticam a servitute liberam accipiens minime deterioratam accipit, nec utilitati ejus ideo quidpiam decedit, quod solum durante emphyteusi servierit. Servitute ab emphyteuta prædio emphyteutico imposita, si rem penitius inspicias, non ipsum prædium, sed jus emphyteuticarium deterioratur.

§. 87.

Emphyteuticatio & subemphyteuticatio quid sit.

Emphyteuticatio vocatur constitutio emphyteuseos in re adhuc libera ab emphyteusi: at *subemphyteuticatio* appellatur constitutio emphyteuseos in re, in qua emphyteusin habet constituens. Et emphyteusis in emphyteusi constituta *subemphyteusis* appellatur.

Quemadmodum nimirum sublocatio dicitur locatio rei sibi locatæ, quæ fit a conductore (§. 1208. *part.* 4. *Jur. nat.*); ita etiam subemphyteuticatio vocatur emphyteuticatio rei, in qua quis emphyteusin habet, quæque adeo fit ab emphyteuta.

BIU Cujas

§. 88.

An subemphyteuticatio naturaliter licita.

Subemphyteuticatio naturaliter licita, seu emphyteuta alteri emphyteusin constituere potest in re, in qua ipse emphyteusin habet. Cum enim dominium utile emphyteutæ proprium sit (§. 12.), atque adeo eodem, quemadmodum ceteros omnes, ita quoque ipsum dominum directum excludat (§. 119. *part.* 2. *Jur. nat.*); nil sane obstat, quo minus emphyteuta de dominio utili, tanquam re sua, prouti sibi visum fuerit, disponat. Quodsi itaque dominium utile alteri cuidam eadem lege concedere velit, ut se dominum directum agnoscat, a quo nempe jus suum habet, & in recognitionem dominii directi quotannis certum canonem solvat; quin naturaliter hoc facere possit, dubitandum non est. Quamobrem cum istiusmodi concessio dominii utilis emphyteusis sit (§. 12.); naturaliter emphyteuta emphyteusin constituere potest in re, in qua ipse emphyteusin habet, adeoque subemphyteuticatio naturaliter licita (§. 87.).

Quemadmodum conductor ædes, quas conduxit, vel integras, vel partem earundem sublocare; ita quoque emphyteuta rem, in qua ipse emphyteusin habet, vel integram, vel partem ejus subemphyteuticare potest. Affinis quodammodo est emphyteuticatio locationi, atque adeo non mirum, quod hanc etiam imitetur quoad sublocationem.

§. 89.

Quomodo fieri debeat.

Subemphyteuticatio aliter fieri nequit, nisi salvo jure domini emphyteuseos. Etenim nil facere licet, quod est contra jus alterius (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque nec emphyteuta in subemphyteuticatione quicquam facere potest, quod est contra jus domini emphyteuseos. Quamobrem subemphyteuticatio aliter fieri nequit, nisi salvo jure domini emphyteuseos.

Permissum est emphyteutæ de jure suo disponere pro arbitrio suo, sed ita, ut nil committat quod est contra jus domini emphyteuseos, quippe quod facere non licet. Quando vero lex prohibitiva & permissiva inter se colliduntur, permissiva cedit prohibitivæ (§. 211. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), ut adeo jam fieri non possit, quod alias licitum fuerat (§. 208. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 90.

Contractus subemphyteuticationis qualis esse debeat.

Quoniam subemphyteuticatio aliter fieri nequit, nisi salvo jure domini emphyteuseos (§. 89.); *contractus, quo subemphyteuticatio fit, nihil continere debet, quod contrarietur contractui emphyteutico, quo emphyteusis primum constituta ac postea renovata.*

Quando res emphyteutica subemphyteuticatur, contractu perinde opus est, ac si emphyteusis primum perficitur. Ast cum emphyteuta nec seipsum ab obligatione, quam contraxit, liberare (§. 674. *part.* 3. *Jur. nat.*), nec jus ex contractu emphyteutico quæsitum domino emphyteuseos auferre possit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*); quando de subemphyteuticatione contrahitur, nihil conveniri potest, quod vel juri domini emphyteuseos, quod ex contractu acquisivit, vel obligationi emphyteutæ, quam contraxit, seu quæ ex isto contractu descendit, repugnat.

§. 91.

Quatenus is subsistat.

Quoniam *contractus subemphyteuticus* nil continere debet, quod contrarietur contractui emphyteutico (§. 90.); *quoad id, quod juri domini emphyteuseos ex contractu emphyteutico quæsito, vel obligationi emphyteutæ ex eodem contractu descendenti repugnat, non subsistit, subsistit tamen quoad reliqua.*

Naturaliter negotium quodlibet subsistit, in quantum subsistere potest. Qui enim voluerunt, ut subsistat totum, illi etiam voluerunt, ut subsistat quoad quamlibet partem, consequenter etiam quoad

BIU Cujas

quoad ea, quæ quo minus subsistant nihil impedit. Nulla vero ratio est, cur negotium totum irritum esse debeat, quia unum vel alterum subsistere nequit. Plura sunt, quæ simul promittuntur, & ad quæ promittendo te obligas (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quodsi eorum quædam ita sint comparata, ut ad ea præstanda te obligare non potueris; hæc quidem valide promittere non potuisti, ast hinc tamen minime sequitur, quod nec ad ea te obligare potueris, quæ quominus valide promitteres, nil obstabat. Contractus adeo subemphyteuticus subsistit, in quantum contractus emphyteuticus hoc permittit.

§. 92.

Quoniam contractus subemphyteuticus subsistere nequit quoad ea, quæ contractui emphyteutico repugnant (§. 91.); *si in contractu emphyteutico expresse dictum, ne subemphyteuticare liceat, contractus subemphyteuticus, totus nullus est, nec valet subemphyteuticatio.* *Quando totus nullus.*

Nimirum in casu præsenti emphyteuta sese obligavit, quod subemphyteuticare nolit, & dominus emphyteuseos sibi reservavit jus non patiendi, ut subemphyteuticetur. Emphyteuta igitur subemphyteuticans facit, quod dominus emphyteuseos irritum facere potest, ipse autem nullo jure facit.

§. 93.

Cum subemphyteuticatio aliter fieri nequeat, nisi salvo jure domini emphyteuseos (§. 89.), huic autem emphyteuta obligetur ad canonem quotannis solvendum (§. 12. 14.); *non obstante subemphyteuticatione emphyteuta domino emphyteuseos canonem quotannis solvere tenetur, ac si subemphyteuticatio facta non fuisset.* *De canone facta subemphyteuticatione adhuc solvendo.*

Subemphyteuticatio negotium est, quod emphyteutam saltem respicit, nullo autem modo ad dominium emphyteuseos pertinet, adeoque respectu hujus perinde est, ac si nulla esset subemphyteuticatio, consequenter emphyteuta præstare tenetur, ad quod ex contractu emphyteutico obligatus est. Canon, quem solvit subemphyteuta, solvendus est emphyteutæ, quem is pro domino directo suo agnoscit, quemadmodum sublocatione facta conductori tanquam locatori suo pensionem solvit, qui a conductore rem denuo conduxit; conductor autem pensionem, quam debet ex contractu locationis conductionis, locatori solvere tenetur, nulla habita ratione sublocationis.

§. 94.

Similiter quia subemphyteuticatio aliter fieri nequit, quam salvo jure domini emphyteuseos (§. 93.); *emphyteuta, non obstante subemphyteuticatione, manet respectu domini emphyteuseos emphyteuta & emphyteusis inter hosce subsistit.* *An emphyteuticatio quicquam immutet in emphyteusi.*

Quemadmodum sublocatio nihil immutat in locatione, sed ea inter locatorem ac conductorem eodem modo subsistit, ac si sublocatio nulla facta fuisset; ita etiam subemphyteuticatio in emphyteusi primum constituta nihil immutat, sed emphyteusis inter emphyteutam & dominum emphyteuseos eodem modo subsistit, ac si subemphyteuticatio facta non fuisset.

§. 95.

Quoniam non obstante subemphyteuticatione emphyteusis inter dominum emphyteuseos & emphyteutam eodem modo subsistit, quo ante (§. 94.); *quando emphyteuta ex contractu emphyteutico emphyteusin in alium transferre, vel transmittere potest, jus suum quod ex contractu subemphyteutico ipsi quæsitum in alium transfert, vel transmittit,* cum in hac translatione nil fieri possit contra jus subemphyteuticarium (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*), *respectu domini autem emphyteuseos ipsa emphyteusis translata, vel transmissa intelligitur.* *De translatione juris emphyteuticarii facta sub emphyteuticatione.*

Nimirum sicuti dominus emphyteuseos jus suum retinet, facta subemphyteuticatione; ita quoque

BIU Cujas

emphyteutæ jus ſuum integrum manet, quod ex contractu emphyteutico habet, niſi quatenus de eo in gratiam alterius diſpoſuit in ſubemphyteuticatione. Reſpectu domani emphyteuſeos perinde eſt, ac ſi in jure emphyteutico nihil prorſus fuiſſet immutatum, quæ enim in ſubemphyteuticatione accidit mutatio tantummodo emphyteutam & ſubemphyteutam reſpicit.

§. 96.

Quomodo ſubemphyteuſis perimatur.

Si emphyteuſis quomodocunque finitur, cum eadem ipſa quoque ſubemphyteuſis perimitur: ſubemphyteuſis vero ex propria lege finiri poteſt, ſtante adhuc emphyteuſi. Quando enim emphyteuſis quomodocunque finitur, dominus emphyteuſeos fit rei, quæ emphyteutica fuerat, pleno jure dominus (§. 55.). Quoniam itaque ſubemphyteuticatio fieri nequit niſi ſalvo jure domini emphyteuſeos (§. 89.); jus ſubemphyteuticarium ſubſiſtere nequit in re, quæ emphyteutica fuerat, emphyteuſi finita, adeoque cum emphyteuſi perimitur ipſa ſubemphyteuſis. *Quod erat unum.*

Enimvero quando ſubemphyteuticatio fit, emphyteuta emphyteuſin alteri conſtituit in re, in qua ipſe emphyteuſin habet (§. 87.), & jus ipſius tanquam domini directi & ſubemphyteutæ ex contractu proprio, nimirum ſubemphyteutico, metiendum (§. 27.). Quamvis adeo ex lege propria, quæ ex contractu ſubemphyteutico eſt, ſubemphyteuſis finiatur, ut adeo ſubemphyteutæ jus extinguatur; non tamen propterea extingui poteſt jus emphyteutæ, quod ex contractu ſibi proprio habet, ſiquidem vi ejuſdem adhuc ſubſiſtit. Subemphyteuſis itaque ex lege propria finiri poteſt, ſtante adhuc emphyteuſi. *Quod erat alterum.*

Nulla in hiſce difficultas eſt, modo emphyteuſin originariam & ſubemphyteuſin tanquam duas res diverſas ſeparatim conſideres, niſi quatenus emphyteuta duplicem perſonam repræſentat, nimirum perſonam emphyteutæ quoad emphyteuſin originariam, ſeu primitivam, perſonam vero domini emphyteuſeos quoad ſubemphyteuſin, ſeu emphyteuſin derivativam. Quando jus emphyteutæ extinguitur, quod in re emphyteutica habet; nullum quoque jus in eadem alteri concedere valet. Nihil adeo magis naturale eſt, quam ut emphyteuſis derivativa cum primitiva, ſeu originaria ſimul perimatur, ſeu ſubemphyteuſis cum emphyteuſi finiatur. Enimvero quamvis jus deſinat, quod in ſubemphyteuticatione alteri conceſſit emphyteuta; non tamen propterea jus, quod ipſe in re habet, emphyteuticarium interire debet, cum jus ſuum minime dependeat a jure ſubemphyteutæ, quemadmodum dominus directus non amittit propterea jus ſuum in re emphyteutica, quod jus emphyteutæ in eadem expirat, quia illud ab hoc minime dependet.

§. 97.

De effectu ſubemphyteuſeos finita.

Si ſubemphyteuſis extinguitur, ſeu finitur emphyteuta jure emphyteuticario integro, quod in re emphyteutica habet, ipſe fruitur. Etenim quando ſubemphyteuſis finitur, nemo amplius eſt, qui jus ſubemphyteuticarium in re emphyteutica habet. Quamobrem cum reſpectu ſubemphyteutæ emphyteuta repræſentet perſonam domini emphyteuſeos, tanquam eam conſtituentis (§. 13. 87.), finita autem emphyteuſi dominus directus fiat rei, quæ emphyteutica fuerat, pleno jure dominus (§. 55.), adeoque eodem jure fruatur, quod ante conceſſionem emphyteuſeos ipſi competebat; emphyteuta quoque finita ſubemphyteuſi jure emphyteuticario integro, quod in re emphyteutica habet, ipſe frui debet.

Nimirum in ſubemphyteuticatione jus emphyteuticarium originarium reſpondet dominio pleno, quod habet concedens in originaria emphyteuſeos conſtitutione. Jus, quod concedens in conſtitutione emphyteuſeos in alterum transfert, juri ſuo demitur: hac igitur extincta, cum non amplius ademtum ſit, tale erit, quale fuerat ante emphyteuſeos conſtitutionem. Quemadmodum itaque finita emphyteuſi originaria, dominus emphyteuſeos, qui vel ipſe concedens eſt, vel in locum ejus ſucceſſit, plenum dominium habet; ita emphyteuta, finita ſubemphyteuſi, jus ſuum emphyteuticarium integrum habet.

§. 98.

BIU Cujas

§. 98.

Contractus libellarius dicitur, quo dominus alteri rem suam certo interveniente pretio ea lege dat, ut quotannis certum canonem solvat, ac stato tempore, possessore licet non mutato, contractum certo pretio vel arbitrario numerato renovet. *Jus*, quod ex isto contractu acquiritur, *libellarium* vocari solet. *Contractus libellarius quinam dicatur.*

In Iure feudali vero *contractus libellarius* appellari solet, quando emphyteuta vel Vasallus dat rem emphyteuticam vel feudalem alteri in emphyteusin vel feudum & subemphyteuticatio, quam supra diximus, *libellaria concessio* vocatur. Videatur *Schardius* in Lexico Juridico. Exemplum in eo significatu, qui vocabulo tribuitur in definitione, esto tale. Vendo tibi domum meam pro pretio mille thalerorum, ea lege, ut quotannis in festo Joannis Baptistæ mihi solvas canonem decem thalerorum & exacto quolibet quinquennio contractus renovetur, soluto pretio quinquaginta thalerorum. Convenit hoc jus in eo cum emphyteusi, quod quotannis certus canon sit solvendus, & contractus certo pretio numerato renovandus; differt tamen ab eadem, quod dominus jus libellarium alteri concedens nihil proprietatis in re retineat, ac renovandus sit contractus non mutato possessore.

§. 99.

Quoniam *dum jus libellarium constituitur* præter pretium, quod domino pro re solvitur, solvendus etiam quotannis canon est ac solvendum præterea pretium pro contractu stato tempore renovandum (§. 98.); *pretium, quod pro re solvitur, imminui debet pro ratione canonis ac pretii in renovatione contractus stato tempore solvendi.* *Quodnam pretium intervenire debeat in contractu libellario.*

Nimis ab æqualitate in contractibus naturaliter observanda, nisi aliter visum fuerit, recederetur, si quis vero pretio rem emeret, ac hoc non obstante non modo canonem annuum, verum etiam certum pretium stato tempore pro contractu renovando solvere teneretur. Facile adeo apparet, si æqualitas observari debet, quantum datur, summam, quæ prodit, si canon quotannis solutus, donec stato tempore renovetur contractus, per numerum annorum elapsorum multiplicetur & factum addatur pretio solvendo, quando contractus renovatur, non superare debere usuras legitimas sortis, qua deficit pretium pro re numeratum a pretio vero, per tantum annorum intervallum percipiendas. Ex. gr. Si domum tibi vendo pro pretio mille thalerorum, cum pretium verum sit 1400. deficit illud a vero 400. adeoque perinde est, ac si tibi domum ementi 400. thaleros credidissem, ut domum emere posses. Intervallo quinque annorum ego perciperem usuras 100. quotannis nempe 20. Quoniam vero mihi tantummodo singulis annis solvuntur 10. iniquum non est, si quinquennio elapso solvantur præter decem in fine anni quinti adhuc quinquaginta. Quoniam vero naturaliter usuræ legitimæ determinandæ sunt ex utilitate, quam debitor ex usu pecuniæ percipit (§. 1411. *part.* 4. *Jur. nat.*); ideo si æquitatem naturalem spectes, quantitas canonis & pretii in renovatione contractus numerandi proportionanda est pensioni, quæ pro tanta utilitate solveretur, detracta rata pretio pro juris constitutione soluto conveniente. Ex. gr. ponamus, si agrum loces, te pensionem annuam accipere centum thalerorum. Pretium verum agri esse 2500. & me emtorem tibi solvere 1000. ea lege, ut canon quidam annuus constituatur & anno quovis quinto contractus certo pretio numerato renovetur. Cum perinde sit ac si tu solvisses pro agro communi 1500. tibi competent quasi socio quotannis 60. consequenter intra annos quinque accipere debes 300. Quodsi ergo canon annuus determinetur 20. thalerorum, in fine anni quinti tibi adhuc desunt 200. Quamobrem æquitati maxime convenit, ut in fine anni quinti præter canonem tibi solvantur thaleri 200. dum contractus renovatur. Ab æquitate adeo ne discedat contractus, consultius est ut eundem ad quasi societatem reducas, præsertim si usurarum quantitas civiliter determinetur.

§. 100.

Dominum juris libellarii appellare lubet, eum, cui canon & pretium pro renovando contractu libellario solvendum. *Dominus juris libellarii.*

Ita appellare lubet ad imitationem domini emphyteuseos (§. 13.): sicuti enim se habet dominus emphyteuseos ad emphyteusin, ita etiam sese habet dominus juris libellarii ad jus libellarium. Uterque nimirum est constitutor juris in re sua, & propterea ab eo, qui rem possidet, cer-

BIU Cujas

certam percipit penſionem annuam ac propter contractum renovandum pretium certum. Immo apte etiam dominum juris libellarii vocamus, cum jus exigendi canonem ac pretium pro renovatione juris ſit res incorporalis, quæ eſt in dominio ipſius, ei autem, qui rem ex contractu libellario habet, inhæret obligatio ſolvendi canonem ac pretium pro renovatione juris, ex qua jus iſtud oritur (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 101.

Res libellaria quanam dicatur.

Rem libellariam vocare lubet, quæ ex contractu libellario habetur, ſeu in qua jus libellarium conſtitutum.

Fit hoc denuo ad imitationem rei emphyteuticæ.

§. 102.

Quale ſit jus domini juris libellarii.

Dominus juris libellarii jus in re libellaria habet. Etenim onus ſolvendi canonem & pretium pro renovando contractu inhæret ipſi rei libellariæ, adeoque dominus juris libellarii rem libellariam ad hanc ſolutionem ſibi quaſi obligatam habet, & obligatio ſolvendi canonem ac pretium dictum a re derivatur in poſſeſſorem. Quamobrem cum ex hac obligatione naſcatur jus domini (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*); is utique jus in re libellaria habet (§. 778, *p.* 3. *Jur. nat.*).

§. 103.

De re alienata, ubi canon non fuit ſolutus, nec contractus renovatus.

Quoniam jus exigendi canonem & pretium pro renovatione contractus, quod competit domino juris libellarii (§. 100.), eſt jus in re (§. 102.), adeoque, utpote rei inhærens ac invito minime auferendum (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*), cum re tranſit ad quemlibet poſſeſſorem; *ſi canone non ſoluto nec contractu tempore ſtato renovato, res libellaria alienatur, novus poſſeſſor canonem non ſolutum ac pretium, quod pro renovando contractu ſolvendum fuerat, ipſe adhuc ſolvere tenetur.*

Nihil hic ſingulare eſt: idem enim obtinet in omni jure in re, quoties nimirum ex re tibi quidpiam præſtandum, ut hanc tibi obligatam habeas, & ex hac obligatio derivetur in poſſeſſorem ejus. Aliud omnino eſt habere ſibi obligatam perſonam per ſe, aliud vero habere ſibi eandem obligatam per rem. Ibi perſona eſt certum individuum phyſicum; hic vero eadem deſignatur per rem, quam poſſidet, adeoque quilibet ejus poſſeſſor eſt, qui præſtare tenetur id, ad quod rem tibi obligatam habes.

§. 104.

Quale ſit dominium in re libellaria.

Qui rem ex contractu libellario habet, pleno jure dominus eſt. Etenim dum de jure libellario contrahitur, dominus rem ſuam alteri dat pro certo pretio ea lege, ut quotannis certum canonem ſolvat, ac ſtato tempore, poſſeſſore licet non mutato, contractum certo pretio vel arbitrario numerato renovet (§. 98.). Patet, adeo in hoc contractu dominium transferri cum onere quodam, nequaquam vero ullo modo reſtringi. Quoniam itaque dominium nullo modo reſtrictum plenum eſt, quod per ſe patet; qui rem ex contractu libellario habet, pleno jure dominus eſt.

In jure igitur libellario nullum eſt dominium directum, nec in hujus recognitionem ſolvitur canon, quemadmodum im emphyteuſi. Eſt potius contractus libellarius ſpecies quædam, aut, ſi mavis caſus quidam particularis emtionis venditionis, qua ob pretium juſto multo minus res emta perpetuo quodam onere afficitur, ſeu res cum onere venditur, quod cum eidem inhærere debeat, pretium ejus imminuit, prouti ex iis abunde claret, quod ſupra annotavimus (*not.* §. 99.).

§. 105.

BIU Cujas

§. 105.

Quoniam *qui rem ex contractu libellario habet*, pleno jure dominus est (§. 104.); *sine consensu* quoque, *immo inscio ac invito domino juris libellarii de re libellaria prout visum fuerit disponere potest* (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*); adeoque etiam *eandem alienare ac immutare sine illius consensu potest* (§. 665. 660. *part.* 2. *Jur. nat.*). *An de libellaria re sine consensu domini juris libellarii disponi possit.*

Nihil enim fit contra jus domini libellarii juris, cui jus suum salvum manet, quomodocunque res immutetur, & in quemcunque ea transferatur. Ab onere enim, quæ rei inhæret, eandem nemo liberare potest (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*), nisi dominus juris libellarii, qui jus suum remittere potest (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 106.

Quoniam dominus rei libellariæ pleno jure dominus est (§. 104.), *quando dominus juris libellarii jus suum remittit, nihil dominio accedit, quod in re habet ejus dominus*, sed cum hac remissione jus libellarium extinguatur & dominus rei ab obligatione sua liberetur (§. 97. *part.* 3. *Jur. nat.*), *res libellaria ab onere suo libera evadit ac libellaria esse desinit.* *Effectus remissionis juris libellarii.*

Parum refert, utrum remissio ista fiat gratis, an pro certo pretio, nec in casu posteriori dici potest, si accurate loquendum, dominum juris libellarii *jus* suum vendere domino rei libellariæ. Hoc enim jus huic foret inutile. Non aliud agi potest inter dominum juris libellarii & dominum rei libellariæ, si hic liberari velit ab onere solvendi canonem & renovandi stato tempore contractum pro certo pretio, quam ut jus libellarium extinguatur & res ab onere suo liberetur. Hoc autem fit, quando jus suum remittit dominus juris libellarii, non vero per hoc, quod id acquirat dominus rei libellariæ. Ecquis acquirere vult jus, quod sibi non modo prorsus inutile, sed quod ne quidem exercere potest? Immo si ponamus jus, quod erat domini libellarii, a domino rei libellariæ acquiri; per hanc ipsam acquisitionem non desinit esse jus a dominio rei diversum, ut adeo, qui erat dominus rei libellariæ, nunc etiam sit dominus juris libellarii, adeoque duplicem repræsentet personam: quod quam sit absurdum facile intelligitur, si animum advertere velis ad ea, quæ hinc porro consequuntur.

§. 107.

Si dominus juris libellarii rem libellariam acquirit; jus libellarium extinguitur. Et enim quando rem libellariam acquirit, in locum ejus succedit, qui eam ex contractu libellario habebat. Quamobrem cum hic sit pleno jure dominus (§. 104.); plenum dominium in re, quæ libellaria fuerat, consequitur. Quoniam itaque jam omnem ex re percipit utilitatem vi dominii (§. 136. *part.* 2. *Jur. nat.*); impossibile est ut ex ipsa re ipsi quid præstetur, consequenter obligatio solvendi canonem ac renovandi pretio certo numerato contractum per se exspirat. Jus igitur libellarium extinguitur (§. 98.). *De jure libellario extincto, re libellaria a domino illius acquisita.*

Onus rei impositum in gratiam tui subsistere nequit, quando res tua evadit. Absonum enim est rei suæ imponere onus in gratiam sui, dum manet sua. Quod ex re tibi præstandum foret, jam tuum est, neque adeo opus est, ut tibi des, quod jam habes. Ita absurdum foret, si quis obligatus sibimetipsi esse deberet ad solvendum canonem ex re sua, ex qua omnem utilitatem solus percipit, & ad renovandum cum seipso jus percipiendi canonem a seipso. Jus adeo libellarium sua sponte ruit, quamprimum dominus ejus pleno jure rem acquirit.

§. 108.

Jus censiticum est jus annui reditus ex re aliena immobili recipiendi: ipse autem reditus *Census* vocatur. Quando rem immobilem vendens dominus per pactum adjectum censum in eadem sibi reservat, *Census reservativus* appellari solet: quando autem quis censum in re aliena sibi emit, aut sibi donatum accipit, *Census constitutus* vocatur. *Census quid sit.*

Di-

BIU Cujas

Distinctio inter censum reservativum & constitutum parum utilitatis habet. Sive enim eundem in re a te alienata tibi reserves, sive eundem in re aliena aut oneroso, aut lucrativo titulo acquiras, in ipsa substantia juris propterea nihil mutatur. Quod enim vulgo dicitur, censum reservativum solvi in memoriam pristini dominii, ast constitutum non item, nullum habet effectum juris. Per inconstantiam loquendi jus censiticum quoque *census* vocari solet.

§. 109.

Quale jus sit jus censiticum.

Quoniam census præstatur ex re (§. 108.); *jus censiticum ipsi rei inhæret*, consequenter *qui jus censiticum habet, jus in re habet* (§. 778. *p.* 3. *Jur. nat.*), atque *adeo rem ipsam ad præstandum censum sibi obligatam habet, quæ adeo censum debet* (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Ex re adeo obligatio solvendi censum derivatur in ejus possessorem, a quo igitur exigitur, quicunque tandem fuerit.

§. 110.

Bona censitica, Censualis, Dominus census.

Res immobilis, quæ censum debet, dicitur *Bonum censiticum*. Qui censum solvere tenetur, seu bonum censiticum possidet, *Censualis* appellatur. Qui vero jus censiticum habet, *Dominum census* vocare lubet.

Ex. gr. Emo reditum annuum quadraginta thalerorum mihi præstandum ex prædio tuo pretio mille thalerorum. Reditus hic erit census, mihi in prædio tuo competit jus censiticum, prædium tuum erit bonum censiticum, tu censualis es, ego dominus census sum. Enimvero possum etiam tibi constituere liberaliter jus quotannis percipiendi ex prædio meo quadraginta thaleros, tumque prædium meum efficio bonum censiticum, & reditus annuus 40. thalerorum erit census.

§. 111.

Censualis quale habeat dominium.

Censualis est pleno jure dominus. Census enim est reditus annuus, quem censualis ex re sua præstare tenetur alteri, vel quia is hunc sibi reservavit dum dominium in illum transtulit, vel quia ipse censualis tanquam dominus sive liberaliter, sive pro certo pretio in re sua eundem constituit (§. 108.). Patet adeo præstationem census non esse nisi onus, quod vel alienationi, veluti venditioni, fuit adjectum, vel quod ipse dominus rei suæ, quam retinuit, ultro imposuit (§. 585. *part.* 3. *Jur. nat.*). Enimvero per hoc, quod onus rei imponitur, vel adjicitur, seu possessor ejus ad aliquid præstandum alteri obligatur (§. *cit.*), minime impeditur, quo minus is de ipsa re, & usu ac fructu ejus pro arbitrio suo disponat. Quamobrem cum dominium plenum habeat, qui de substantia, usu ac fructu rei suæ pro arbitrio suo disponere potest (§. 131. 135. 136. *part.* 2. *Jur. nat.*); censualis utique plenum dominium habet, adeoque pleno jure dominus est (§. 124. *part.* 2. *Jur. nat.*).

Atque in eo differt census ab emphyteusi, quod emphyteuta habeat tantummodo dominium utile, dominus vero emphyteuseos directum; censualis autem & utile, & directum, scilicet plenum. Melior adeo est censualis, quam emphyteutæ conditio, præsertim jure civili, quo multis modis emphyteusis committi potest. Bonum etiam censiticum præstat libellario, quoniam hic non opus est renovatione onerosa contractus, quemadmodum in jure libellario (§. 98.).

§. 112.

Contractus censualis.

Contractus censualis appellatur, quo de censu convenitur.

Etenim census vel reservatur a domino rem suam alienante, aut alteri in re sua, quam retinet, constituitur (§. 108.). Utrobique censualis promittere debet se hunc censum præstare velle, & in alterum jus eum exigendi transferre. Conveniendum quoque est de quantitate census & de aliis huc spectantibus. Istiusmodi autem conventiones utique pactum sunt (§. 788. *part.* 3.

BIU Cujas

part. 3. Jur. nat.), vel, quod naturaliter perinde est, contractus (§. 793. *part. 3. Jur. natur.*). Atque adeo patet sine contractu nec acquiri jus censiticum, nec bona effici censitica, nec obligationem contrahi censualis.

§. 113.

Census consistere potest tam in pecunia numerata, quam in re quacunque alia corporali mobili. Etenim census definitur conventione inter dominum in re alienata eundem sibi reservantem & censualem, cui res alienatur, vel inter dominum in re sua alteri censum constituentem & alterum, cui constituitur (§. 108.). Quamobrem cum inter se convenire possint, quomodo ipsis visum fuerit; census tam in pecunia numerata, quam in re quacunque alia corporali mobili consistere potest, prouti scilicet placuerit contrahentibus. *Census in quonam consistat.*

Valet hic idem, quod de canone diximus superius, qui ab emphyteuta solvendus (§. 19.). Nimirum etiam census consistere potest in frumento, vino, oleo, ovibus, vitulis, gallinis, anseribus, ovis, butyro ac ita porro. Cum pretia rerum varient, utilius est accipere res, quibus indigemus, quam pecuniam paratam, & censuali quoque haud raro commodius est solvere res alias, quas habet, quam paratam pecuniam. Sed hæc attenduntur in deliberationibus de censu definiendo; nullum autem in Jure momentum habent.

§. 114.

Si quis alteri censum constituit liberaliter in re sua, a constituentis voluntate unice pendet, qualem & quantum constituere velit. Idem intelligitur, si quis sibi censum in re alteri donata reservat. Quodsi census ematur, intra limites usurarum licitarum contineri, vel utilitati ex re percipiendæ proportionari debet in ratione pretii, quod solvitur, ad pretium verum rei. Quodsi vero venditor sibi reservet censum in re vendita, pretium imminui debet, quod ab emtore solvitur, detrahendo pretium æquum census reservati. Si quis enim liberaliter, hoc est, gratis alteri censum constituit in re sua, cum jus censiticum donetur (§. 48. *part. 4. Jur. nat.*), a constituentis utique voluntate pendet, qualem & quantum constituere velit censum (§. 130. *part. 4. Jur. nat.*). *Quod erat primum.* *Quomodo census definiendus.*

Quodsi quis rem alteri donet ac censum sibi reservet, cum a donatoris unice voluntate pendeat, qua lege donare velit (§. 130. *part. 4. Jur. nat.*); denuo patet, ab ejus voluntate unice pendere, qualem & quantum censum sibi reservare velit. *Quod erat secundum.*

Si quis censum emat, perinde est, ac si quis pecuniam in perpetuum credat sub usuris in rem immobilem alterius, ut adeo, quod quotannis solvendum, sit loco usurarum. Quamobrem patet censum intra limites usurarum licitarum contineri debere. Quoniam itaque in hoc casu usuræ naturaliter licitæ sunt, quæ habent ad mercedem fundi locati eam rationem, quam habet quantitas pecuniæ creditæ ad pretium fundi (§. 1411. *part. 4. Jur. nat.*); quod tunc intra hunc modum contineri debeat census patet. *Quod erat tertium.*

Quoniam denique si venditor sibi reservat censum in re vendita, perinde est ac si in eadem sibi emeret censum, postquam vendidit; omnino liquet, pretium census per modo demonstrata *n.* 3. determinandum detrahendum esse a pretio vero rei venditæ. *Quod erat quartum.*

Quod supra annotavimus, cum de jure libellario ageremus (*not.* §. 99.), ad illustrandum quoque partem alteram propositionis præsentis applicari potest. Quodsi census proportionetur utilitati ex re percipiendæ; non præcise observanda est ratio pretii, quod solvitur, ad pretium verum rei, quando multum periculum sustinendum censuali, a quo liber est dominus census, quamvis hoc non obstet, quo minus ita possit contrahi, ut census habeat ad utilitatem ex re percipiendam eam rationem, quam habet pretium pro censu solutum ad pretium rei (§. 1411. *p. 4. Jur. nat.*). In contractibus rigor geometricus observari nequit, multo minus contractus pro invali-

valido declarandus, qui eidem parum convenit, cum unicuique liberum sit de re sua statuere, prouti sibi visum fuerit (§. 118. *p. 2. Jur. nat.*), modo absit animus defraudandi alterum (§. 149. *p. 5. Jur. nat.*).

§. 115.

De durationе juris censitici.

Jus censiticum perpetuum est, nisi expresse aliter fuerit conventum, ut vel in certum tempus, vel pro certis personis census constitutus esse debeat. Etenim census reditus annuus est ex re aliena percipiendus, vel quia in re alienata sibi reservatur ab alienante, vel quia eundem sibi quis emit, aut liberaliter constitutum ab alio accipit (§. 108.). Quodsi ergo nihil dicatur in contractu censuali, quo de censu convenitur (§. 112.), quod tantummodo in certum tempus, vel pro certis personis constitutus esse debeat; is utique animus contrahentium fuisse videtur, ut census iste ex re perpetuo præstetur. Quamobrem jus censiticum perpetuum est, si non expresse aliter fuerit conventum. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam a voluntate domini pendet, qua lege dominium rei suæ in alterum transferre (§. 11. *part.* 3. *Jur.*), vel jus quoddam in re sua alteri constituere velit (§. 984. *p.* 3. *Jur. nat.*); quin in contractu censuali ita conveniri possit, ut vel in certum tempus, vel pro certis personis census constitutus esse debeat, dubitandum non est. *Quod erat alterum.*

In certum tempus constituitur census, si is solvendus per annos quinquaginta, quibus elapsis bonum, quod fuerat censiticum, liberum evadit. Pro certis personis constituitur, si census solvendus ei, pro quo constituitur, & omnibus ex eo descendentibus masculis, vel omnibus hæredibus ab intestato. Etsi enim in hoc conveniat jus censiticum cum emphyteusi (§. 29.), non tamen propterea bonum censiticum efficitur emphyteuticum, cum emphyteusis in hoc potissimum differat a jure censitico, quod in illa dominium directum ac utile a se invicem sint separata, in hoc autem dominium plenum sit penes censualem. Naturaliter valent pacta, prouti fuerit conventum, modo nihil contineant, de quo ita conveniri non licebat.

§. 116.

Quomodo bonum censiticum liberum evadat.

Si dominus census jus suum remittit, sive hoc faciat gratis, sive pro certo pretio; bonum censiticum fit liberum, seu censiticum esse desinit. Quoniam enim dominus census jus censiticum habet (§. 110.), adeoque jus censum exigendi (§. 108.); quando jus suum remittit (sive hoc faciat gratis, sive pro certo pretio, parum refert), jus censum exigendi extinguitur & censualis ab obligatione censum solvendi liberatur (§. 97. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam adeo bonum, quod censiticum erat, censum non amplius debet (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), bonum autem censiticum non est, quod censum non debet (§. 110.); si dominus census jus suum remittit, bonum censiticum tale esse desinit, adeoque liberum fit.

Jus censiticum censuali nec donari, nec vendi potest: utrumque enim requirit translationem ejus in censualem (§. 48. *part.* 4. & §. 675. *p.* 2. *atque* §. 939. *part.* 4. *Jur. nat.*). Ast repugnat censuali jus exigendi censum e re sua & eundem sibimetipsi obligatum esse ad eundem ex re sua solvendum. Quamobrem dominus census in gratiam censualis tantummodo declarare potest, quod nolit censualem sibi esse obligatum ad censum solvendum, seu ex re ista censum sibi deberi, quod dum facit, jus suum remittit (§. 95. *part.* 3. *Jur. nat.*). Neque etiam aliud intenditur, dum bonum censiticum liberum esse vult censualis, vel etiam dominus census. Censualis enim liberari debet ab obligatione solvendi censum, quæ ex re sua in ipsum derivatur. Ut ab ea liberetur, non opus est, ut jus censiticum acquirat, sed sufficit, ut extinguatur: id quod fit remissione juris (§. 97. 99. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam in cessione juris id itidem in alterum transfertur (§. 81. *part.* 3. *Jur. nat.*); ideo nec dominus census jus suum censuali cedere potest. Equidem per inconstantiam loquendi, quæ ubivis regnat, quando termini non accurate definiuntur, nec in fixo constanter significatu adhibentur, dici etiam solet, jus censiticum cedi censuali: non tamen propterea in re a nobis dissentiunt, qui ita loquuntur. Quodsi enim mentem suam distincte explicare debeant, tandem utique constabit, quod cessio juris non aliud significare debeat quam juris remissionem. Nobis vero non modo recte sentiendum, verum etiam recte loquendum, unumquodque proprio suo nomine efferendo.

§. 117.

BIU Cujas

§. 117.

De pretio pro remissione census solvendo.

Si jus censiticum pro certo pretio remittitur; censualis idem pretium solvere tenetur, quod solveret emtor census. Etenim quoad dominum census perinde est, sive jus suum vendat, sive remittat pro certo pretio. Quamobrem cum æquum sit, ut pro eo pretio vendatur, quod solvendum foret emtori, si hunc censum in re aliena sibi constituendum emere vellet; si jus censiticum pro certo pretio remittitur, censualis utique solvere tenetur pretium idem, quod solveret emtor census.

Jus censiticum aliquid æstimabile est (§. 114.), ac ideo emi potest constituendum, vendi quoque eodem pretio potest constitutum. Et quia repugnat censualem emere jus censiticum (*not.* §. 116.), quoad dominum census vero, qui gratis jure suo carere non vult, perinde est, sive pretium accipiat pro jure in alterum translato, sive pro eodem censuali remisso, idem omnino pretium solvendum, quando jus censiticum remittitur, quo æstimatur, quando in re aliena constituendum. Ita nimirum observatur in contractu, quo de remissione juris censitici convenitur, æqualitas, ut dominus census tantum recipiat, quantum lucratur censualis. Contractus vero, quo de remissione convenitur, est contractus do ut facias, seu facio ut des (§. 160. 163. *part.* 5. *Jur. nat.*). Nec obstat, contractum do ut facias spectari posse tanquam emtionem venditionem (§. 176. *part.* 5. *Jur. nat.*): etenim in eo factum merx est, quæ emitur, adeoque in præsenti casu, remissio juris. Quamvis vero absonum sit censualem emere jus censiticum, seu jus exigendi censum e re sua; non tamen absurdum est, eundem emere remissionem juris. Atque in eo differt cessio juris censitici a remissione: quando enim contractus, quo de illa convenitur, & qui est contractus do ut des (§. 145. *part.* 5. *Jur. nat.*), spectari debet tanquam emtio venditio, merx est jus censiticum, quæ emitur non factum, seu cessio juris. Videmus adeo, quam apte omnia inter se cohæreant, si terminorum significatum fixum tuemur, ita ut una sit concordia.

§. 118.

De jure censitico extincto per acquisitionem boni censitici.

Si dominus census bonum censiticum acquirit; jus censiticum extinguitur. Etenim si dominus census bonum censiticum acquirit, tum fit pleno jure ejus dominus, quemadmodum fuerat censualis (§. 111.), hujus nimirum jure in ipsum translato. Quoniam itaque omnem ex re jam percipit utilitatem (§. 135. 136. *part.* 2. *Jur. nat.*), jus censiticum vero consistit in jure annuum quendam reditum ex re percipiendi (§. 108.); evidens omnino est jus censiticum cum pleno dominio, quod quis in eadem re habet, consistere non posse. Illud igitur ab hoc perimitur, atque adeo jus censiticum extinguitur, si dominus census acquirit bonum censiticum.

Vidimus jam ante, jus censiticum & plenum dominium in eodem subjecto consistere non posse (*not.* §. 116.). Perinde nimirum est, sive utrumque conjungi debeat in persona domini census, sive in persona censualis, cum in utroque casu unusquisque sibi deberet ex re sua, quod jam suum est. Quemadmodum itaque jus censiticum extinguendum, ut liberum possideatur a censuali; ita dominium plenum per se perimit jus censiticum, quando illud acquirit dominus census, atque ideo ab eodem possidetur liberum. Non est, quod dicas, dominum census bonum censiticum, quod acquirit, iterum qua tale alienare posse, salvo jure censitico, quod habet. Etenim jus censiticum ut in alienatione sibi reservet, non opus est, ut bonum, quod alienatur, sit vel fuerit censiticum, sed hac ipsa reservatione censiticum efficitur, cum antea non esset (§. 108.). Pendet nimirum a voluntate alienantis, utrum sub lege censuali rem alienare velit, nec ne (§. 11. *p.* 3. *Jur. nat.*), etsi censitica non fuerit.

§ 119.

Extinctio juris censitici per interitum rei.

Si res censitica interit, jus censiticum extinguitur. Etenim si res interit, ea non amplius existit (§. 541. *Ontol.*). Quoniam itaque in re non existente jus nullum habere potes, quod per se patet; jus quoque censiticum in re non amplius existente habere nequis. Cum re igitur censitica ipsum jus censiticum interit, seu illa intereunte extinguitur.

BIU Cujas

Si res cenſitica interit, nemo amplius eſt, qui dominium in ea habet (§. 352. *p. 2. Jur. nat.*), conſequenter nec eſt amplius, qui tibi obligatus ſit ad cenſum ſolvendum. Inhæret jus cenſiticum ipſi rei, ex qua obligatio in poſſeſſorem ejus derivatur (§. 109.). Quid ergo mirum, cum re interire jus, quod eidem inhæret, & qui poſſeſſor eſſe deſinit, liberari ab obligatione, qua tanquam poſſeſſor tenetur?

§. 120.

Jus ſuperficiei quid ſit, quid ſuperficiarius.

Jus ſuperficiei ſeu *ſuperficiarium* eſt jus habendi ſuo ſumtu ædificium in ſolo alterius. Per inconſtantiam loquendi vocatur etiam *Superficies*, quod eſt ædificium ſolo impoſitum abſque ſolo ſpectatum (§. 400. *part. 2. Jur. nat.*). Qui jus ſuperficiei habet *Superficiarius* appellatur; is qui dominium fundi habet, nomen *Domini fundi*, ſeu *ſoli* retinet.

In definiendo Jure ſuperficiei non prorſus conveniunt interpretes Juris Romani. Nos retinemus eam, quam dedit *Struvius* in Juriſprud. Romana Germ. for. lib. 2. tit. 12. §. 17. & in hoc ſignificatu demonſtrare lubet, quid jus naturæ de eodem diſponat. Neque etiam anxie in hoc Jure laborandum eſt de definitione. Sufficit enim tale jus, quale hic definitur, conſtitui poſſe, adeoque non ſumi, quod repugnat; denominatio vero arbitraria eſt.

§. 121.

De ædificio in ſolo extante, vel non extante, dum jus ſuperficiei conſtituitur.

Quoniam ſuperficiario, dum jus ſuperficiei in eum confertur, conceditur, ut habeat ædificium ſuo ſumtu in ſolo alterius (§. 120.); *ſi in ſolo nullum adhuc extat ædificium, ipſi competit jus ædificium ſuo ſumtu in ſolo alterius extruendi: ſi vero ædificium in eodem jam extat, neceſſe eſt ut dominium ſuperficiei in eundem transferatur a domino, retento dominio in ſolo.*

Uterque caſus attenditur etiam in Jure Romano: neque enim opus eſt, ut propterea jura a ſe invicem diſtinguantur, ſi ſuperficiarius vel ipſe ædes extruat in ſolo alterius, vel jam extructas a domino ſoli accipiat. Habet nimirum in utroque caſu ædificium ſuo ſumtu in ſolo alieno

§. 122.

Quale jus in ſolo competat ſuperficiario.

Quoniam ædificium ſeu ſuperficies eſt ſuperficiarii, ſolum vero, cui impoſitum domini fundi (§. 120.); *dominus fundi non concedit ſuperficiario niſi uſum fundi ſui*, ſeu cum dominus fundi eodem uti non poſſit, *jus utendi in eum transfert, ipſe autem in ſuperficie, ſeu ædificio impoſito jus nullum habet* (§. 120. *part. 2. Jur. nat.*).

Ædificium alias non intelligitur ſine fundo, cui cohæret, ita ut ſolum, cui impoſitum, ſpectetur tanquam pars ædificii, & qui ædificium emit, emiſſe quoque intelligitur ſolum, cui cohæret, niſi expreſſe conveniatur; quamadmodum in præſenti, ut dominium in ſolo retinere debeat venditor (§. 121.). Enimvero in caſu præſenti dominium in ſuperficie diſtinguendum eſt a dominio in ſolo, ita ut duo ſint dominia, quæ in diverſis ſubjectis ſubſiſtunt, & propterea ædificium hic intelligitur ſine fundo, etſi eidem ita cohæreat, ut, ſalva ſubſtantia ab eodem ſeparari nequeat. Quoniam vero dominus fundi fundo ſuo uti nequit, quamdiu alius ædificium in eo habet; ideo jus utendi, quod alias domino competit (§. 136. *part. 2. Jur. nat.*), in ſuperficiarium utique conferre tenetur, quamvis ea lege, ut non aliter utatur, niſi ut ædificium in eo habeat. Equidem non ignoro, interpretes Juris Romani jus ſuperficiarii non appellare dominium, ſed jus dominio ſimile; nulla tamen ratio eſt, cur dominium ſuperficiei ſuperficiario tribui nolis, utpote qui ipſis non diſſentientibus inſtar domini de ſuperficie diſponere poteſt. Non eſt dominus ædificii, quatenus ædificium complectitur & ſuperficiem, & ſolum, cui cohæret, quemadmodum vulgo intelligitur: aſt ſi ſpectatur tanquam a ſolo diſcretum, etſi actu ab eodem ſeparari nequeat ac alium in locum dimoveri, quemadmodum hic fieri debet, non minus dominus ſuperficiei eſt, quam ſi etiam dominus fundi eſſet. In ſe autem non repugnat, cum ſuperficies & ſolum, cui ea impoſita, ſint res duæ diverſæ, ut alius ſit dominus ſuperficiei, alius dominus fundi.

§. 123.

BIU Cujas

§. 123.

An concessio juris superficiei sit gratuita.

A domini fundi voluntate pendet, utrum jus superficiei superficiario gratis concedere, an vero vendere, aut pro certa pensione annua concedere velit. Etenim dominus fundi superficiario constituit jus in solo suo (§. 120.). Enimvero a domini voluntate unice pendet, quale jus alteri constituere velit in re sua (§. 984. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem ab ipsius quoque voluntate pendet, utrum jus superficiei alteri gratis, an pro certo pretio, aut pro certa pensione annua concedere velit.

Dum dominus soli jus superficiei concedit superficiario, revera ipsi non concedit, nisi perpetuum soli sui usum. De usu vero rei suæ dominus pro arbitrio disponere potest (§. 118. *p.* 2. *Jur. nat.*). Potest eum concedere gratis, potest concedere pro certa annua pensione, potest etiam concedere pro certo pretio. In casu primo donat eundem (§. 48. *p.* 4. *Jur. nat.*), in secundo locat (§. 1194. *part.* 4. *Jur. nat.*), in tertio denique vendit (§. 937. *part.* 4. *Jur. nat.*). Hinc vulgo dicitur, jus superficiei constitui vel gratuita concessione, vel mediante venditione, aut locatione conductione.

§. 124.

Solarium quid sit.

Pensio annua, quam superficiarius domino fundi pro usu ejus solvit, vocatur *solarium*.

Solarium adeo non solvitur in recognitionem dominii, quemadmodum canon in recognitionem dominii directi in emphyteusi (§. 14.), quamvis juri superficiei maxime conveniat, ut ad conservandam memoriam dominii in solo solarium solvatur, & retentio dominii in solo inutilis videatur domino, nisi solvatur solarium, siquidem jus superficiei perpetuum esse debet, quale utique est, nisi pacto immutetur & duratio ejus modo quocunque restringatur.

§. 125.

Quinam jus superficiei constituere possit.

Nemo jus superficiarium alteri constituere potest nisi dominus soli. Etenim jus superficiarium est jus in solo alieno alteri constitutum (§. 120.). Sed nemo præter dominum alteri jus quoddam in re aliqua constituere potest (§. 983. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam nemo jus superficiarium alteri constituere potest nisi dominus.

Jus igitur superficiei a non domino constitutum invalidum est, nec diutius durat, nisi quamdiu dominus non contradicit. Quodsi vero ædificium extructum fuerit in alieno fundo, consensu non domini, qui jus superficiei concedere minime poterat; tunc obtinet jus communionis (§. 402. *part.* 2. *Jur. nat.*).

§. 126.

De ædibus in solo jam extructis, in quo jus superficiei constituitur.

Si jus superficiei conceditur in solo, in quo ædes jam extructæ sunt, necesse est ut ædes superficiario ante donentur, vel vendantur. Etenim si jus superficiei conceditur in solo, in quo ædes jam extructæ, dominium superficiei transferendum in superficiarium a domino, retento dominio in solo (§. 121.). Quoniam itaque dominium transferri potest vel gratis, vel pro certo pretio, adeoque superficies vel donari (§. 48. *part.* 4. *Jur. nat.*) vel vendi (§. 937. *part.* 4. *Jur. nat.*); si jus superficiei conceditur in solo, in quo ædes jam extructæ sunt, necesse est ut ædes superficiario ante donentur, vel vendantur.

Non obstat, quod translatio dominii in superficie & constitutio juris superficiei in solo fiat simul, adeoque uno quasi actu: hoc enim non obstante manent duo distincti actus, quorum unus etsi non tempore præcedat alterum, per naturam tamen utriusque præcedere intelligitur. Contractui enim emtionis venditionis ædium adjicitur pactum de retinendo dominio in solo, quod cum ad contractum accedit, hoc ille prior natura sua intelligitur. Atque adeo nisi emtione venditio-

BIU Cujas

ditionis perfecta jus superficiei constitui intelligitur, quippe cui demum locus est superficie sine solo vendita. Idem valet de donatione. Nihil in hisce difficultatis est, modo singulos actus, quos negotium præsens continet, accurate a se invicem distinguas: id quod in Jure naturæ fieri utique debet.

§. 127.

Quomodo jus superficiarium constituatur.

Jus superficiarium naturaliter constituitur pacto. Est enim jus in solo alieno alteri constitutum (§. 120.). Sed naturaliter jus in re aliena constituitur pacto (§. 988. *p.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam jus superficiarium naturaliter pacto constitui debet.

Nimirum de jure superficiario inter se convenire debent superficiarius & dominus soli (§. 123.); & quomodo inter ipsos conventum fuerit, jus superficiei subsistet.

§. 128.

Contractus superficiarius quinam sit.

Contractus superficiarius appellatur, quo de jure superficiario, quod constituitur, inter se conveniunt superficiarius & dominus superficiei, seu quo jus superficiei constituitur & acquiritur.

Constitutio juris superficiei peculiare utique negotium est (§. 120.), quod cum non perficiatur nisi pacto (§. 127.), peculiarem quoque, quemadmodum alia negotia, quæ jura & obligationes producunt, requirit contractum (§. 793. *part.* 3. *Jur. nat*). Trahit autem contractus nomen a negotio, quod eodem perficitur.

§. 129.

Unde metiendum jus & obligatio superficiarii & domini soli.

Quoniam jus superficiarium contractu superficiario constituitur & acquiritur (§. 128.), a constituentis autem voluntate pendet, quomodo jus aliquod alteri in re sua constituere velit (§. 984. *part.* 3. *Jur. nat.*), nec superficiarius plus juris acquirere potest, quam in eum transferre vult constituens, neque hic illum ultra voluntatem suam sibi obligare potest (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*); *omne jus omnisque obligatio tam domini soli, quam superficiarii metiendum est ex contractu superficiario.*

Naturaliter ea, quæ non uno modo fieri possunt in aliquo negotio, conventione contrahentium determinantur, ac ideo contrahentes legem dare contractui dicuntur. Aliter sese res habet in Jure civili, in quo quædam, quæ voluntati contrahentium permittit Jus naturæ, legis autoritate determinantur, quæ adeo certam contractui formam præscribere dicitur. Valent naturaliter omnia, quæ non pugnant cum jure tertii, aut naturaliter illicita sunt.

§. 130.

De jure superficiarii.

Superficiarius superficie in solo alieno posita pro arbitrio uti frui, eamque sine consensu, immo inscio ac invito domino soli, alienare, immutare, ac oppignorare, nec non servitutem eidem imponere potest. Etenim domino soli jus nullum in superficie competit (§. 122.), adeoque superficiarius dominium plenum in ea habet. Quamobrem cum dominium plenum contineat proprietatem ac jus utendi & fruendi (§. 136. *part.* 2. *Jur. nat.*), & qui dominium plenum habet rem suam pro arbitrio suo alienare (§. 665. *part.* 2. *Jur. nat.*), immutare (§. 660. *part.* 2. *Jur. nat.*) & oppignorare (§. 1164. *part.* 5. *Jur. nat.*), eidemque servitutem imponere potest (§. 1267. *part.* 5. & §. 982. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem superficiarius superficie pro arbitrio uti frui, eamque sine consensu, immo inscio ac invito domino soli, alienare, immutare, oppignorare, eidemque servitutem imponere potest.

Interpretes Juris Romani jus hoc omne tribuunt superficiario, consequenter jus omne, quod dominium continet; eidem tamen tribuere nolunt dominium in superficie, sed saltem quasi do-

BIU Cujas

dominium, ac ideo superficiarium quasi dominum vocant. Enimvero cum jus sit facultas moralis agendi (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), qui omnia agere pro arbitrio suo potest, quæ vi dominii agere potest dominus, prorsus independenter ab alio, is utique dominium habere, adeoque dominus esse debet. Non igitur ulla ratio obstat, quo minus in Jure naturæ dominium in superficie tribuamus superficiario cum exclusione domini soli omnimoda, quippe cujus consensu ad nullum actum opus habet, quo de substantia, usu vel fructu superficiei disponit. Ceterum dominium, quod superficiarius in superficie habet, non pertinet ad jus superficiarium: hoc enim in eo consistit, quod superficiem, quæ sua est, habere possit in solo alieno (§. 120.), adeoque non suo. Dominium vero in superficie & jus habendi superficiem in solo alieno sunt utique duo jura separata, nec eodem modo acquiruntur. Etenim quamprimum convenitur, quod superficiario ædificium in solo alterius habere liceat, jus superficiarium ipsi competit, etiamsi nullum adhuc ædificium fuerit extructum, & ex jure superficiario fluit jus extruendi ædificium in solo alterius. Dominium adeo superficiario in ædibus competit, quia eas extruxit suo sumtu. Et quamvis eas extruxerit in solo alieno, non tamen propterea jus quoddam in ædificio habet dominus soli (§. 402. *p.* 2. *Jur. nat.*), quia ædificium extructum est concessione domini soli, qui hoc ipso, dum concessit, juri suo renunciavit (§. 103. *p.* 3. *Jur. nat.*). Quodsi ædes jam sint extructæ, ante donandæ sunt, vel vendendæ superficiario, quam jus superficiei concedi possit (§. 126.), ut adeo dominium in superficie acquiratur, antequam jus superficiarium concipi possit (*not.* §. *cit.*). Hæc satis manifesta sunt per principia juris naturæ. Enimvero cum in Jure Romano superficies in fundo alieno extructa sit domini soli; tum jus superficiarium, quod conceditur superficiario a domino, respicit ipsam quoque superficiem, ut adeo instar domini de superficie disponere liceat superficiario nonnisi jure a domino soli sibi concesso, atque hoc respectu superficiarius tantummodo est quasi dominus superficiei.

§. 131.

Ædes superficiariæ dicuntur, quas habere licet in solo alieno.

Ædes superficiariæ quænam sint.

Facile autem patet, quomodo ædes superficiariæ differant ab aliis. Nimirum ad ædes pertinet etiam fundus, seu solum, cui imponuntur, cum sine solo existere nequeant. Unde communiter ædium dominus est etiam dominus soli, cui impositæ sunt. Enimvero ædes superficiariæ spectantur sine solo, ita ut earum dominus non sit simul dominus soli, sed id recognoscere debeat ab alio, prouti jam supra annotavimus (*not.* §. 122.). *Gajus* eas definit l. 2. ff. de superfic. quod sint eæ, quarum proprietas & civili, & naturali jure ejus est, cujus est solum. Sed quod ædes in conducto solo naturali jure sint ejus, cujus est solum, in eo falluntur Jcti Romani (§. 402. *part.* 2. *Jur. natur.*). Atque hæc ratio est, cur in Jure naturali a Jure civili discedamus in Jure superficiario, quamvis non negemus, quemadmodum deinceps videbimus, jus superficiarium, prouti a Jctis Romanis concipitur, esse casum quendam particularem, quo jus istud per pactum immutatur. Relegenda hic sunt, quæ modo ad paragraphum præcedentem annotavimus & quæ annotavimus supra (*not.* §. 122.). Quia jure Romano ædes superficiariæ sunt domini soli, & superficiarius in iis non habet nisi dominium utile, solum vero conductum intelligitur: ideo superficiarius dicitur etiam quasi inquilinus esse, cum habitet in ædibus quasi conductis, non tamen proprie loquendo inquilinus est, quia instar domini de superficie disponere potest ac ideo pro quasi domino habetur.

§. 132.

De ædibus superficiariis per incendium, vel ruinam sublatis.

Si ædes superficiariæ collabantur, vel conflagrent; superficiario novas extruere licet in solo. Etenim superficiario competit jus habendi ædificium suo sumtu in solo, cui impositæ sunt ædes suæ (§. 120.), quod adeo, quamdiu solum extat, aut tempus, in quod concessum, non præterlapsum, aut personæ non deficiunt, pro quibus constitutum fuit jus, siquidem in certum tempus constitutum, aut pro certis personis supponatur, invito auferri nequit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamvis adeo ædes collabantur, vel conflagrent, nulla tamen ratio est, cur jus amitti debeat, quippe quod non ædibus istis inhæret, quæ per incendium vel ruinam fuerunt sublatæ, sed solo, in quo constitutum. Quamobrem si ædes superficiariæ collabantur, vel conflagrent, superficiario novas in solo extruere licet.

Non ignoro dari Doctores, qui statuunt, jus superficiarium extingui, sublato per incendium vel ruinam ædificio. Enimvero hi perperam jus superficiarium comparant cum usufructu in ædibus

bus alienis conceſſo, quod tamen ab hoc prorſus diverſum eſſe ex anterioribus abunde conſtat. Quamobrem nec deſunt, qui contrariam ſententiam amplectuntur, quam hic adſtruximus. Aliud eſt, ſi expreſſe in contractu ſuperficiario ita fuerit conventum, ut ſublato per caſum quemcunque ædificio non liceat novum extruere. Tum enim dominus ſoli ex conventione liberatur ab obligatione patiendi, ut alius habeat ædificium in ſolo ſuo.

§. 133.

De ſolario convento ſolvendo.

Superficiarius obligatur ad ſolvendum ſolarium conventum. Etenim cum in contractu ſuperficiario de jure ſuperficiario conveniatur (§. 128.); in eodem quoque convenitur, num præſtandum ſit ſolarium, & quale ac quantum ſit præſtandum. Quamobrem cum pacta ſint ſervanda (§. 789.); ſuperficiarius quoque obligatur ad ſolvendum ſolarium conventum.

Nimirum obligatio ſuperficiarii metienda ex contractu ſuperficiario (§. 129.). Quodſi ergo de certo ſolario præſtando in eodem fuerit conventum, ſuperficiarius utique obligatus eſt ad id præſtandum, utpote qui contrahens promittendo ad idem præſtandum ſeſe obligavit (§. 789. 393. *part. 3. Jur. nat.*). Facile intelligitur, ita etiam conveniri poſſe, ut per certum tempus non præſtetur ſolarium, eodem vero elapſo præſtari debeat, vel ut ſolarium non præſtetur, quamdiu ædes poſſidentur a certa perſona, præſtari tamen debeat, quamprimum jus ſuperficiarium transfertur in aliam, ædibus alienatis, vel dominio earundem in aliam tranſmiſſo. Tum vero ſtandum erit eo, quod fuerit conventum (§. 129.).

§. 134.

Quale ſit jus ſolarii exigendi.

Naturaliter dominus ſoli ſuperficiarium tantummodo ſibi obligatum habet ad præſtandum ſolarium, non vero ipſam ſuperficiem, niſi in contractu ſuperficiario hypotheca in eadem expreſſe fuerit conſtituta. Etenim dominus ſoli in ſuperficie nullum jus habet (§. 122.). Quamobrem etſi ſuperficiarius eidem obligatus ſit ad præſtandum ſolarium conventum (§. 133.); ejus tamen nonniſi perſonam ad ſolvendum iſtud obligatam habet, minime autem eidem pro debito hoc ipſa ſuperficies obligata eſt. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi in contractu ſuperficiario hypotheca in ipſa ſuperficie domino ſoli expreſſe fuerit conſtituta, cum hypotheca in re aliqua conſtituta eadem obligetur pro debito debitoris (§. 1163. *part. 5. Jur. nat.*); ſuperficies pro ſolario domini ſoli utique obligata erit. *Quod erat alterum.*

Lege poſitiva utique tacita hypotheca concedi poteſt domino ſoli in ſuperficie, quemadmodum ſuo loco conſtabit. Aſt cum naturaliter jus domini ſoli metiendum ſit ex contractu ſuperficiario, non erit hypothecæ locus in ſuperficie, niſi expreſſæ.

§. 135.

Idem porro expenditur.

Quoniam naturaliter dominus ſoli ſuperficiarium tantummodo ſibi obligatum habet ad præſtandum ſolarium, non vero ipſam ſuperficiem, niſi in contractu ſolario hypotheca in eadem expreſſe fuerit conſtituta (§. 134.); *ſi ſuperficiarius non ſolvit ſolarium, & jus ſuperficiarium alienatur, novus ſuperficiarius ſolarium præteritum ſolvere non tenetur*: quoniam vero jus hypothecæ cum re tranſit ad quemlibet poſſeſſorem (§. 1154. *part. 5. Jur. nat.*), *ſi in contractu ſuperficiario pro ſolario hypotheca in ſuperficie expreſſe fuerit conſtituta, novus ſuperficiarius ſolarium præteritum ſolvere tenetur.*

Jus domini ſoli naturaliter aliunde naſci nequit niſi ex contractu (§. 127.). Quodſi ergo ex eodem tibi non obligatam habes niſi perſonam, nec ab alia niſi ab eadem debitum exigere potes. Quodſi vero res obligata ſit, cum ex eadem tibi ſatisfieri debeat, tum qui rem poſſidet tibi ſolvere tenetur debitum, pro quo obligatur.

§. 136.

BIU Cujas

§. 136.

Superficiarius superficiem possidet, sed non fundum, cujus possessor est dominus soli. Etenim superficiarius plenum dominium habet in superficie, nihil juris in eadem competit domino soli & vice versa superficiarius non habet nisi usum fundi, proprietas vero tota manet penes dominum soli (§. 122.). Quamobrem superficiarius superficiem detinet tanquam suam, non vero detinet tanquam suum etiam fundum (§. 124 *p.* 2. *Jur. nat.*), sed hunc recognoscit a domino soli. Quoniam itaque rem possidet, qui eam detinet tanquam alienam (§. 150. *part.* 2. *Jur. nat.*); ideo superficiarius superficiem quidem possidet, sed non fundum, hujus vero possessor manet dominus, cui competit jus possidendi (§. 157. *part.* 2. *Jur. nat.*). *De possessione superficiarii.*

Non est, quod excipias, cum domino soli ademta sit potentia physica disponendi de fundo pro arbitrio suo, quamdiu superficies solo imposita, consequenter solum non sit in potestate ipsius (§. 461. *part.* 2. *Jur. natur.*), eum fundum non possidere (§. 463. *part.* 2. *Jur. nat.*). Enimvero ipsa concessio usus soli est actus possessorius, cumque hoc modo disponat de eodem dominus & ad hoc modo disponendum superficiario sese obligavit, fieri non potest, ut disponat modo alio. Dici adeo nequit, domino soli ademtam esse potestatem physicam disponendi de solo, etsi eandem ipse libere restrinxerit ad certum actum, aut ita restrictam ab alio acceperit. Si solarium præstatur, solum conductum intelligitur (§. 1194. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quamvis vero conductori jus suum, quod ex contractu habet, auferre minime possis (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*), non tamen propterea conductor rem detinet tanquam suam, consequenter eam possidet, tu vero possessionem amittis. Dissentiunt in eo interpretes Juris Romani, num superficiarius superficiem possideat: id vero inde est, quod isto jure dominium superficiei ei tribui non possit (*not.* §. 131.).

§. 137.

Si dominus soli dominium superficiei acquirit, vel contra superficiarius dominium soli; jus superficiarium extinguitur. Etenim si dominus soli dominium superficiei acquirit, ædificium proprium habet in solo proprio, ac similiter si superficiarius acquirit dominium soli, ædificium itidem proprium in proprio solo habet (§. 121. 122.). Quamobrem cum jus superficiarium in eo consistat, ut quis suo sumtu habeat ædificium in solo alieno (§. 130.); jus superficiarium utique extingui debet, sive dominus soli acquirat dominium superficiei, sive dominus superficiei dominium soli. *De jure superficiario extincto per conjunctionem dominiorum soli & superficiei.*

In neutro casu juris superficiarii quidpiam transfertur ab uno in alterum, sive respicias jus, quod habet superficiarius, sive jus, quod habet dominus soli: sed quicquid juris ex contractu superficiario venit, id totum expirat, quia facta conjunctione dominiorum soli ac superficiei inutile non modo efficitur, verum etiam subsistere amplius nequit. Quoniam vero tam solum est domini ejus, quam superficies superficiarii; conjunctio dominiorum fieri nequit, nisi unus acquirat dominium alterius titulo vel lucrativo, vel oneroso.

§. 138.

Si superficiarius ædes superficiarias alienat, eædem alienantur cum jure superficiario, & si dominus soli fundum alienet, idem alienatur salvo jure superficiarii & cum jure adversus superficiarium. Etenim si superficiarius ædes superficiarias alienat, cum ædes sine solo subsistere non possint, ipsi autem competat jus eas habendi in solo alieno, cui impositæ sunt (§. 120.); necesse utique est, ut ædes alienentur cum jure superficiario. *Quod erat unum.* *De ædibus superficiariis & solo, cui impositæ, alienatis.*

Similiter si dominus alienet fundum, sive solum, cum in eodem dominium retinuerit, dum jus superficiarium concessit (§. 122.), jus tamen habendi in eodem ædificium superficiario invito adimere nequit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quodsi vero pro jure, quod superficiario concessum, is ad certas præstationes obligatur, veluti ad so-

BIU Cujas

larium ſolvendum (§. 133.) ; idem adhuc obligabitur novo domino. *Quod erat alterum.*

Equidem cum nemo quicquam facere poſſit, quod eſt contra jus alterius (§. 919. *part.* 1. *Jur. nat.*), abſolute neceſſarium eſt, ut ſalvo jure ſuperficiarii alienetur ſolum ; non tamen eadem neceſſitas eſt quoad jus adverſus ſuperficiarium. Quoniam enim quilibet jus ſuum remittere (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque debitorem ab obligatione ſua liberare poteſt (§. 97. *p.* 3. *Jur. nat.*); nil ſane obſtat, quo minus dominus ſoli quoad obligationem ſuperficiarii, conſequenter quoad jus ſuum inde pendens (§. 23. *part.* 3. *Jur. nat.*), ut gratiam ſuperficiarii quid immutet, veluti in eum liberet ab onere ſolvendi ſolarium, vel ut ſolarium imminuat. Hoc vero non præſumitur ob alienationem factam, conſequenter niſi de eo expreſſe quid fuerit dictum, novo domino ſoli adverſus ſuperficiarium idem jus competit, quod competebat domino priſtino.

§. 139.

De dominio utili in ædibus ſuperficiariis conceſſo.

Si ita conveniatur, ut quis ædes ſuo ſumtu in ſolo alterius exſtruat & conſervet ac in iis habeat dominium utile ad certum tempus, vel pro certis perſonis, veluti pro ſe & liberis ſuis primi aut etiam ſecundi gradus; vel tale etiam concedatur in ædibus ſuperficiariis jam extructis ea lege, ut certum ſolarium præſtetur; tempore finito, vel perſonis, pro quibus conceſſum jus ſuperficiarium, extinctis, ædes ſolo impoſitæ ſunt pleno jure ejus, cujus eſt ſolum. Etenim ſi in ædibus ſolo alterius impoſitis tibi tantummodo competit dominium utile, dominium directum erit penes dominum ſoli (§. 1. 3.), qui adeo omnem proprietatem in fundo, ſeu ſolo (§. 120.), partem autem proprietatis in ſuperficie habet (§. 3.). Quoniam vero ſuperficiarius plus juris in ſuperficie acquirere non potuit, quam in eum conferre voluit dominus ſoli (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*); ſi ita conventum fuerit, ut dominium utile habeat ad certum tempus, vel id conceſſum fuerit pro certis perſonis, veluti pro primo acquirente ac liberis ejus primi, vel etiam ſecundi gradus, tempore elapſo vel perſonis mortuis, quibus hoc jus competere poterat, jus omne ſuperficiarium utique extinguitur. Enimvero quia dominus ſoli in ſuperficie retinet dominium directum, dum ſuperficiario utile concedit, nec hoc concedit niſi ad certum tempus, vel pro certis perſonis, *per hypoth.* ea omnino lege jus ſuperficiarium conſtitutum intelligitur, ut tempore elapſo, vel nulla amplius perſona exiſtente, cui jus iſtud vi contractus ſuperficiarii competere poterat, ſuperficies pleno jure ſit domini ſoli. Jure ſuperficiario itaque extincto pleno jure ſuperficies ad dominum ſoli pertinet.

Naturaliter hoc obtinere nequit eo in caſu, in quo dominium plenum ſuperficiei eſt penes ſuperficiarium, niſi in contractu ſuperficiario expreſſe fuerit dictum, ut mortuo ſuperficiario, nec ullo ſucceſſore exiſtente, ſuperficies eſſe debeat domini ſoli. Alias enim idem valebit, quod dictum eſt de dominio directo in emphyteuſi (§. 62. 63.). Convenit in caſu propoſitionis præſentis jus ſuperficiarium cum jure emphyteutico in ſuperficie ſaltem conſtituto (§. 12.). Atque adeo ex iis, quæ de emphyteuſi demonſtrata ſunt, facile intelligitur, quid de jure ſuperficiario in hoc caſu tenendum. Hæc vero eſt hypotheſis juris Romani, ut jus ſuperficiarium ſpectetur veluti emphyteuſis in ſola ſuperficie conſtituta, ut adeo inter emphyteuſin in ædibus conſtitutam & jus ſuperficiarium non alia intercedat differentia, quam quod emphyteuta habeat quoque dominium utile in ſolo, ſuperficiarius vero in eodem nihil prorſus juris habeat, conſequenter quæ in fundo latent, veluti ſi theſaurus inveniatur, ſi metallifodina, aut ſalina detegatur, ea quidem ad emphyteutam, minime tamen ad ſuperficiarium pertineat. Variat vero non parum jus ſuperficiarium, ſi ſuperficiario competat dominium plenum in ſuperficie, & ſi tantummodo is dominium utile in eadem habeat. Sed quamvis jure Romano jus ſuperficiarium tantummodo intelligatur de caſu poſteriori, id tamen minime obſtat, quo minus per pactum redigatur ad formam caſus prioris. Ceterum cum hoc jus naturaliter metiendum ſit ex contractu ſuperficiario, quo conſtituitur (§. 129.); non opus eſt, ut de ſingulis, de quibus conveniri poteſt in eo contractu in utroque caſu, ſigillatim diſerte dicamus. Quoniam enim pacta ſunt ſervanda (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*); rata erunt ea omnia, de quibus conventum fuerit, modo non ſint phyſice, vel moraliter impoſſibilia.

§. 140.

BIU Cujas

§. 140.

De jure superficiarii quoad solum.

Superficiarius nullum habet jus in solo; sed tantummodo ad usum soli. Etenim dominus soli in superficiarium tantummodo transfert usum fundi (§. 122.), eumque determinatum, nimirum ut liceat habere ædes suo sumtu in fundo isto (§. 120.). Nullum itaque superficiario concedit jus in ipsum fundum, sed eidem saltem sese obligat ad patiendum, ut is habeat ædes suo sumtu in solo ipsius. Quoniam itaque jus in re non habet is, cui nullum jus in rem ipsam competit (§. 778. *p.* 3. *Jur. nat.*); habet vero jus ad rem, ad quam præstandam alius ipsi obligatus est (§. 781. *part.* 3. *Jur. nat.*); superficiarius utique nullum habet jus in solo, sed tantummodo ad usum soli.

Vulgo equidem dicitur, superficiario competere jus ad solum, quod sibi obligatum habeat dominum ad patiendum, ut habeat ædes suo sumtu in solo ipsius; accuratius tamen dicitur, superficiario competere jus ad usum soli, quippe ad quem tanquam rem incorporalem ipsi præstandam dominus soli obligatur. Ast in verbis simus faciles, quando in re ipsa convenimus.

§. 141.

De locatione ædium superficiariarum.

Superficiarius ædes superficiarias vel integras, vel earum partem alteri pro lubitu locare potest, nisi expresse fuerit conventum, ut ipse solus eas inhabitare debeat. Etenim superficiarius vel est pleno jure dominus superficiei, ita ut nihil juris in eadem habeat dominus soli (§. 122.), vel dominium utile in superficie habet, si ita fuerit conventum (§. 129.), consequenter de usu ac fructu rei tanquam dominus utilis pro arbitrio suo disponere potest (§. 2.). Quamobrem cum domino (§. 1207. *part.* 4. *Jur. nat.*), adeoque etiam ei, qui de usu ac fructu rei instar domini pro arbitrio suo disponere potest, competat jus rem alteri locandi (§. 1194. *part.* 4. *Jur. nat.*); quin superficiarius ædes superficiarias vel integras vel earum partem alteri pro lubitu locare possit, dubitandum non est. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam jus superficiarii metiendum est ex contractu superficiario (§. 129.); si expresse ita fuerit conventum, ut superficiarius solus eas inhabitare debeat, consequenter earum usum alteri concedere nequeat, jus locandi per conventionem ipsi ademtum (§. 1194. *part.* 4. *Jur. nat.*); adeoque locare ædes neque integras, neque partem earundem potest (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Quod erat alterum.*

Fieri potest, ut conveniatur, ne superficiarius ædes superficiarias, vel earum partem locare possit, si dominium utile conceditur in ædibus jam extantibus liberaliter, etsi pro usu fundi, seu soli solvendum sit solarium quoddam, nec conceditur nisi determinative personis certis nominatis, quibus jus superficiarium competere debet. Alias nulla fere ratio est, cur locatio ædium superficiariarum sit prohibenda, vel prohibitio prorsus pugnat cum jure superficiario.

§. 142.

Quando jus superficiarium comprehendat iter, vel viam.

Si ad ædes superficiarias non datur ire nisi per fundum domini soli; cum jure superficiario concessum intelligitur etiam iter. Idem intelligitur de via, si usus ædium superficiariarum eam exigat. Qui enim jus superficiarium concedit alteri, is eidem concedit, ut in solo suo habeat ædes (§. 120.). Quoniam igitur necesse est, ut qui ædes inhabitat ad ædes quoque ire possit; si ad superficiarias ire non datur nisi per prædium domini soli, necesse utique est, ut superficiario quoque concedat jus eundi per prædium, vel fundum suum, ad ædes suas, quas in solo ipsius habet. Atque adeo patet, cum jure superficiario concessum quoque intelligi iter (§. 1327. *part.* 5. *Jur. nat.*). *Quod erat unum.*

Quodsi usus ædium superficiariarum exigat viam; eodem modo patet, viam quo-

BIU Cujas

que in concessione juris superficiarii contineri (§. 1340. *part.* 5. *Jur. nat.*). *Quod erat alterum.*

Ex. gr. Ego tecum convenio, ut in solo tuo horreum meo sumtu habere liceat. Quodsi ad horreum non pateat via, nisi per prædium tuum: ecquis dubitabit, te pati debere, ut per prædium tuum non modo ad horreum eatur & agatur, verum etiam vehatur, ducatur, feratur, trahatur, quicquid in horreum, vel ex eo vehi, duci, ferri aut trahi debet. Per se hoc intelligitur, neque adeo necesse est, ut expresse de eo conveniatur. Quodsi enim dominus soli viam concedere nollet, nec poterat concedere, ut horreum extruam & extructum habeam in solo ipsius: alias enim horreus nullius esset utilitatis. Facile autem intelligitur, jus superficiarium non continere viam, si aliunde, quam per prædium domini soli, ad horreum perveniri possit, quamvis commodius accideret, si pateret via per prædium domini soli. Neque enim quod tibi utilius, id cum onere suo tibi tacite concessisse præsumitur dominus soli (§. 428. 328. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 143.

Quando potestas alienandi ædes superficiarias adempta.

Si dominium saltem utile in superficiariis ædibus conceditur superficiario determinative, nominatis certis personis, pro quibus constitutum jus superficiarium esse debeat; naturaliter potestas alienandi concessa non intelligitur, nisi expresse in contractu superficiario fuerit permissa. Etenim si in superficiariis ædibus dominium saltem utile fuerit concessum superficiario determinative, nominatis certis personis, pro quibus jus superficiarium constitutum esse debet; dominus soli ædium superficiariarum pleno jure fit dominus, si nulla amplius extet persona, pro qua constitutum jus istud (§. 139.). Plurimum adeo interest, utrum personæ nominatæ referantur ad primum acquirentem, an vero ad quemcunque alium, in quem jus superficiarium alienatum fuerit (*not.* §. 52.). Quodsi ex verbis contractus pateat, personas nominatas ad primum acquirentem referri, veluti si dicatur, jus superficiarium competere debere ipsi & ejus liberis primi, vel etiam secundi gradus; tum dubium non est, quin potestas alienandi non sit concessa. Quodsi vero ex verbis contractus non satis pateat, utrum personæ nominatæ ad primum acquirentem referantur, nec ne; ea tamen mens fuisse intelligitur domini soli, a cujus voluntate pendet lex constituendi jus superficiarium (§. 984. *part.* 3. *Jur. nat.*), ut intelligantur personæ in relatione ad primum acquirentem sic nominatæ, cum nulla adsit necessitas, ut a naturali hac interpretatione verborum recedamus, consequenter nec in hoc casu alienandi potestas intelligitur superficiario concessa. Atque adeo patet, in hypothesi propositionis præsentis alienandi potestatem naturaliter competere non posse, nisi in contractu superficiario, ex quo metiendum est jus superficiarii (§. 129.), fuerit permissa.

In Jure naturæ sumitur, dominum soli concedere alteri, ut suo sumtu habeat ædes in eodem. Quicquid ex eo necessario sequitur, id juris naturalis est, si nihil præterea fuerit conventum. Enimvero quicquid conveniri potest de ista concessione, id naturali Jure valet, quatenus pacta eodem jure sunt servanda (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*). Et per hæc pacta etiam immutari possunt, quæ alias forent juris naturalis, quatenus naturaliter de jure proprio unicuique permissum est disponere pro lubitu suo. Quodsi hæc probe perpendas, facile intelliges, quomodo reperire liceat, quæ de negotio quocunque valeant jure naturali.

§. 144.

An laudemium sit solvendum, ædibus superficiariis alienatis.

Naturaliter etiam ita conveniri potest, ut superficie alienata novus superficiarius cum domino soli contractum superficiarium renovare & laudemium certum solvere teneatur. Quoniam enim dominus soli jus superficiario constituit in solo suo (§. 120.), ab ejus voluntate pendet, qua lege idem constituere velit (§. 984. *p.* 3. *Jur. nat.*). Quodsi ergo aliter constituere nolit, nisi ut superficie alienata novus superficiarius cum domino soli contractum superficiarium renovet ac laudemium certum solvat; quin ita conveniri possit, quando de jure superficiario contrahitur (§. 128.), dubitandum non est.

No-

BIU Cujas

Novum superficiarium ad præstandum laudemium alicubi adstringunt mores, quemadmodum observat *Frantzkius* de Laudem. c. 3. n. 3. c. 4. n. 45. & c. 13. n. 1. Nil enim obstat, quo minus jus superficiarium constituatur ad imitationem juris emphyteutici, cum jus emphyteuticum constitui possit in sola superficie, ita ut dominus emphyteuseos maneat dominus soli pleno jure. Et revera jus superficiarium, quale agnoverunt Romani, non differt a jure emphyteuticario in sola superficie constituto. Quamobrem nec dubitandum, quod huc respexerint, qui mores solvendi laudemium pro susceptione novi superficiarii introduxerunt, quia novus emphyteuta regulariter juxta Jus civile laudemium solvit. Quodsi animo recolas, quæ modo dicta sunt (*not.* §. 144.), nihil supererit circa propositionem præsentem difficultatis.

§. 145.

Si superficiario tantummodo dominium utile in superficie concessum; novus superficiarius solarium præteritum non solutum solvere tenetur. Quodsi enim superficiario tantummodo dominium utile in superficie concessum, solarium non modo is solvit pro usu fundi seu soli tanquam conductor (§. 1195. *part.* 4. *Jur. nat.*), verum etiam in recognitionem dominii directi, quod habet dominus soli in ipsa superficie (§. 1. 3.). Jus igitur, quod habet superficiarius in superficie, convenit cum jure emphyteuticario (§. 12.). Quamobrem cum novus emphyteuta solvere teneatur canonem præteritum nondum solutum (§. 25.); novus quoque superficiarius solarium præteritum nondum solutum solvere tenetur. *De canone præterito a novo superficiario solvendo.*

Nimirum quando tantummodo dominium utile conceditur superficiario in superficie, ad jus emphyteuticarium animum attendisse intelliguntur contrahentes. Quamobrem in eo casu ex jure emphyteuticario statuendum quoque est de jure superficiario, nisi contractus superficiarius aliud aperte loquatur.

§. 146.

Naturaliter superficiario competit jus superficiem vindicandi adversus quemlibet possessorem, etiam adversus ipsum dominum soli. Etenim naturaliter superficiarius est dominus superficiei pleno jure, nec quicquam in ea competit domino soli (§. 120. 122.). Quamobrem cum domino competat jus rem suam vindicandi adversus quemlibet possessorem (§. 544. *part.* 2. *Jur. nat.*); naturaliter superficiario competit jus superficiem vindicandi adversus quemlibet possessorem, etiam adversus ipsum dominum. *De jure vindicandi superficiem.*

Quodsi dominium utile tantummodo sit concessum in superficie, dominio pleno non deest nisi pars quædam proprietatis (§. 1.), domino directo, hic domino soli, reservata (§. 3.). Quamobrem cum dominus utilis omnem ex re utilitatem percipiat solus (§. 1.), adeoque hoc jure excludat omnes ceteros, jure autem suo uti frui non possit, quamdiu rem alius detinet, nec ipse eandem in potestate sua habet (§. 461. *p.* 4. *Jur. nat.*); rem, in qua dominium utile habet, utique exigere potest a quocunque possessore, &, si eam restituere nolit, ipsum vi adigere, ut restituat, consequenter jus rem vindicandi habet (§. 543. *p.* 2. *Jur. nat.*). Atque adeo patet, naturaliter quoque superficiario competere jus superficiem vindicandi adversus quemlibet possessorem, ipsum etiam dominum soli, etsi tantummodo dominium utile in superficie habeat.

§. 147.

Superficiarius superficiem sartam tectam servare debet suis sumtibus. Etenim jus superficiarium in hoc consistit, ut liceat suo sumtu in solo alieno habere ædificium (§ 120.); sive igitur superficiarius ædium superficiariarum sit pleno jure dominus, sive saltem dominus utilis; necesse est, ut suis sumtibus superficiem sartam tectam servet. *Quinam ædes superficiarias sartas tectas servare debeat.*

Est nimirum de essentia juris superficiarii, ut omnes sumtus in superficiem impendendi fiant a superficiario, adeoque jus superficiarium minime foret, si ita conveniretur, ut dominus soli præstaret ædes ad usum eum aptas, quem intendit superficiarius. Id locatoris est, qui cum pro

pro usu accipiat pensionem, ædes quoque præstare debet eidem usui aptas. Neque etiam illud æquitati contrariatur. Cum enim omnem utilitatem ex ædibus superficiariis percipiat superficiarius, nihil vero dominus soli, nisi solarium pro usu soli; æquum omnino est, ut qui commodum habere vult etiam faciat sumtus, sine quibus id haberi nequit.

§. 148.

De jure superficiario extenso.

Jus superficiarium naturaliter extendi potest etiam ad alias superficies, quam ædes, veluti ad habendum hortum, vineam, sylvam, piscinam immo arborem, suo sumtu in solo alieno. Neque enim repugnat, ut alius sit dominus sive jure pleno, sive dominus utilis superficiei alterius cujusdam, quam ædium, alius vero dominus sive solius soli, sive etiam directus superficiei, ut adeo tanquam dominus pleno jure, vel tanquam dominus utilis habeat superficiem ab ædibus diversam in alieno solo suo sumtu. Quamobrem cum tunc jus, quod habet, conveniat cum jure superficiario (§. 120.); naturaliter utique jus superficiarium extendi potest etiam ad alias superficies, quam ædes, veluti ad habendum hortum, vineam, sylvam, piscinam, vel arborem suo sumtu in solo alieno.

Quicquid conveniri potest de ædibus superficiariis; idem etiam conveniri potest de horto, vinea, sylva, piscina & arbore superficiariis. Facile hoc intelligitur, modo ea, quæ antea demoostrata fuerunt de ædibus superficiariis, ad alias superficies applicare velis.

§. 149.

An jus superficiarium possit committi.

Naturaliter non repugnat ita conveniri, ut certo casu jus superficiarium committatur & superficies pleno jure a domino soli acquiratur. Quodsi enim ita convenitur, pœna adjicitur in contractu superficiario (§. 606. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum a voluntate domini jus superficiarium constituentis unice pendeat, qua lege id constituere velit (§. 984. *part.* 3. *Jur. nat.*), & ex contractu superficiario metienda sit obligatio superficiarii & jus domini soli (§. 129.); dubium non est, quin naturaliter ita conveniri possit, ut certo casu jus superficiarium committatur & superficies pleno jure a domino soli acquiratur.

Quamvis adeo jure Romano jus superficiarium non amittatur, si solarium solvere cesset, vel nolit superficiarius; nil tamen obstat, quo minus pœna hæc conventionalis adjici possit contractui superficiario, præsertim si dominium utile saltem concessum in superficie jam extante vel liberaliter, vel pro exiguo pretio, ac solarium non respondeat utilitati ex superficie percipiendæ. Neque enim diffiteri possumus, pœnam commissi in jure superficiario posse esse iniquam, veluti si quis ædes suo sumtu extruxerit & solarium usui fundi, cui impositæ sunt, respondens solvatur. Ast tum nec facile qui sapit in pœnam commissi consentiet.

§. 150.

An superficiarius jus suum ad aliam superficiem, quam conventam extendere possit.

Cui jus conceditur habendi certam quandam superficiem in solo alterius suo sumtu; is ejus loco aliam habere nequit. Etenim cum plus juris tibi arrogare nequeas, quam in te conferre voluit dominus jus superficiarium in solo suo tibi constituens (§. 382. *p.* 3. *Jur. nat.*); extemplo patet, si tibi concessum est hanc in solo alterius tuo sumtu habere superficiem, te quidem hanc superficiem in eo habere posse, non vero aliam.

Ex. gr. Si tibi concedo habere ædificium tuo sumtu in solo meo, non tibi licet loco ædium, quas extruere nolis, in eo condere hortum. Quamobrem etsi naturaliter destructo ædificio ædes alias excitare liceat (§. 132.); non tamen licet in solo plantare arbores, ædificio collapso. Non alium tibi arrogare potes usum soli alieni, quam qui tibi concessus.

BIU Cujas

§. 151.

An superficiarius usumfructum superficiei alteri concedere possie.

Superficiarius usumfructum superficiei alteri concedere potest. Etenim superficiarius superficie in solo alterius posita pro arbitrio uti frui potest (§. 130.). Quamobrem cum nihil fiat contra jus domini soli, sive superficie ipse utatur fruatur, sive alii concedat, ut eadem utatur fruatur (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); nil sane obstat, quo minus alteri concedere possit, ut superficie utatur fruatur (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum ususfructus alteri concedatur, si quis patitur, ut alius re sua utatur fruatur, salva substantia (§. 1420. *part.* 5. *Jur. nat.*); superficiarius utique usumfructum superficiei alteri concedere potest.

Nimirum superficies vel pleno jure superficiarii est, vel saltem dominium utile in eadem habet: in utroque igitur casu de usufructu rei tanquam dominus pro arbitrio suo disponit.

§. 152.

De pœna ob non solutam pensionem annuam.

Naturaliter tam in contractu emphyteutico, quam censitico & superficiario ita conveniri potest, ut, nisi in ipso termino solvatur canon, census vel solarium, propter moram certa lege augeatur. Etenim si ita convenitur, ut, nisi in ipso termino solvatur canon, census vel solarium, propter moram certa lege augeatur; in contractu emphyteutico, censitico & superficiario pœna adjicitur, si emphyteuta, censuarius vel superficiarius in termino præcise non solvit pensionem annuam (§. 606. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum pœna non alio fine adjiciatur, quam ut pensio in certo termino solvenda præcise solvatur (§. 288. *part.* 1 *Phil. pract. univ.*), ad præcise autem solvendum canonem, censum & solarium emphyteuta, censuarius & superficiarius obligentur (§. 665. *part.* 5. *Jur. nat.*); naturaliter minime repugnat in contractu emphyteutico, censitico & superficiario ita conveniri, ut, nisi in ipso termino solvatur canon, census & solarium, propter moram certa lege augeatur.

Augere pensionem, quæ solvenda, ob moram & in augenda pensione pergere ob moram continuatam in se nec iniquum, nec absurdum est, præsertim in statu naturali, cum hoc modo adigatur debitor ad solvendum, modo pœna ipsa aut potius lex, qua pensio non soluta ob moram augeri debet, nihil iniqui in se habeat. Accedit, quod dominus emphyteuseos, census & soli pœnam remittere possit, ubi videt nullam adesse emphyteutæ, censualis & superficiarii contumaciam (§. 117. *part.* 3. *Jur. natur.*), immo jure interno remittere debeat, si emphyteuta, censuarius & superficiarius de mora se purgare possit (§. 653. *part.* 3. *Jur. nat.*), allegando scilicet impedimentum inevitabile ac insuperabile (§. 650. *part.* 3. *Jur. nat.*). Lex, juxta quam ob moram continuatam incrementum capere debet quod solvendum, cum natura non definiatur, a consensu contrahentium pendet. Olim jure Saxonico pœnæ loco census singulis diebus, quibus censualis cessabat solvere, in progressione geometrica dupla crescebant, ita ut si hodie non solveretur census, cras solvendus esset duplus, si cras non solveretur, tertio die solvendus esset quadruplus ac ita porro. Durum hoc videtur: sed facile intelligitur, cum censualis non incideret in pœnam commissi ob censum non solutum, talem legem pœnæ esse constitutam, quæ tendit ad jus censiticum committendum. Quando igitur pœna commissi iniqua censeri nequit, nec pœnalis conventio, de qua hic sermo est, iniqua pronunciari potest. Suo autem loco ostendemus, ubi pacisscentibus relicta est naturaliter libertas determinandi ea, de quibus convenitur; ibi etiam in civitate Rectori ejusdem competere potestatem præscribendi, quomodo determinari debeant.

§. 153.

Pensiones promobiles quænam sint.

Pensiones, quæ ita promittuntur, ut, solutione statu die non facta, postea ob moram certa lege continuo augeantur, *Pensiones promobiles appellantur.*

Monet *Carpzovius* in Jurisprud. for. Romano Saxon. part. 2. const. 38. def. 25. hoc genus pensionum in foro Saxonico quondam frequentius fuisse, hodie autem rarius esse. Observat vero,

iis

BIU Cujas

iis in locis, ubi consuetudine ac usu adhuc receptæ sunt, legem progressionis geometricæ mutatam esse in legem progressionis arithmeticæ numerorum naturalium, ita ut, nisi stato die solvatur pensio, secunda die solvendum sit duplum, tertia triplum, quarta quadruplum ac ita porro. Ita gradu multo lentiori proceditur ad privationem, quam si progressioni geometricæ locus sit. Immo tum pœna hæc non solutæ pensionis multo mitior est pœna privationis. Notandum vero non esse de essentia pensionum promobilium, ut vel secundum numerum dierum, quibus debitor in mora est, crescant, vel diebus progredientibus in ratione arithmetica ipsæ progrediantur in geometria dupla; sed legem incrementi, quamvis in ea determinanda semper respiciendum sit ad tempus moræ, infinitis modis variari posse, ut pensionum hoc genus ab æquitate tanto minus recedat. Ex. gr. Ita conveniri potest, ut, nisi intra mensem solvatur pensio, in fine mensis primi a termino solutionis elapsi solvi debeat duplum, elapsis duobus mensibus triplum, tribus elapsis quadruplum ac ita porro. Immo eodem modo crescere possunt pensiones juxta quadrantes anni. Quæ enim a libertate contrahentium pendent, ea omni possibili modo determinari possunt, ac contrahentium est eligere cum, qui placuerit. Quamobrem ita etiam conveniri potest, ut pensiones tantummodo crescant usque ad certum terminum, quem ubi attigerunt, is, cui solvendæ, uti debet suo jure vi adigendi contumacem ad solvendum debitum, quod mora contraxit. Nemo non videt dari theoriam juris naturalis de pensionibus promobilibus, ut ad æquitatem reducantur, ne jus externum, quod ex contractu derivandum, degeneret in iniquitatem ac juri interno adversetur: ast nostrum non est talia jam fusius prosequi, quæ non multum habent usum.

CAPUT II.

De Feudo.

§. 154.

Fidelitas quid sit. FIdelis alteri dicitur, qui ad officia quævis humanitatis, ea præsertim, quibus damna quævis avertuntur ac commoda promoventur, præstanda & si qua speciatim conventa fuerint, promtus est. Promtitudo officia ista præstandi, vel etiam complexus istorum officiorum *Fidelitas* vocatur.

Definitionem hanc fidelitatis derivavimus ex forma fidelitatis, qualis describitur II. f. 6. Ibi enim legitur: Qui domino suo fidelitatem jurat, ista sex in memoria semper habere debere, 1. *incolume*, ne sit damno domino de corpore suo; 2. *tutum*, ne sit ei in damno in secreto suo, vel de munitionibus suis, per quas tutus esse potest: 3. *honestum*, ne sit ei damno de sua justitia, vel de aliis causis, quæ ad honestatem ejus pertinere videntur: 4. *utile*, ne sit ei in damno de suis possessionibus: 5. *facile*, ne id bonum, quod dominus suus facere leviter poterat, faciat ei difficile: 6. *possibile*, ne id, quod possibile ei erat, faciat impossibile. Additur vero, quod in sex prædictis consilium & auxilium domino quoque præstare debeat. Disertius idem exponitur in nova forma jurisjurandi fidelitatis, quod præstat vasallus domino, tit. seq. Jurare enim debet, se nunquam scienter fore in consilio, vel in facto, quod dominus amittat vitam, vel membrum aliquod, vel quod recipiat in persona aliquam læsionem, vel injuriam, vel contumeliam: vel quod amittat aliquem honorem, quem nunc habet, vel in antea habebit, & si sciverit, vel audiverit de aliquo, qui velit aliquid istorum contra ipsum facere, pro posse suo, ut non fiat, impedimentum præstiturum. Et si impedimentum præstare nequiverit, auxilium suum præstiturum. Et si impedimentum præstare nequiverit, quam cito poterit, illi nuntiaturum, & contra eum, prout poterit, auxilium suum præstiturum. Et si contigerit, dominum rem aliquam, quam habet, vel habebit, injuste vel fortuito casu amittere, ut eam recuperare possit se juvaturum, & ut recuperatam omni tempore retineat. Et si sciverit, dominum velle juste aliquem offendere, & inde generaliter, vel specialiter fuerit requisitus, suum se ipsi, sicut poterit, præstiturum auxilium. Et si aliquid sibi de secreto manifestaverit, illud sine ipsius licentia nemini se pandere velle, vel per quod pandatur facere, &, si consilium sibi super aliquo facto postulaverit, se illud ipsi daturum consilium, quod sibi videbitur magis expedire eidem, & nunquam ex persona sua aliquid facturum scienter, quod pertineat ad domini vel suorum injuriam vel contumeliam. Quodsi hæc perpendas & cum iis, quæ de officiis erga alios demonstravimus in parte prima Juris naturæ ac passim etiam in secunda conferre volueris; facile patebit, in jure feudali ad fidelitatem requiri omnia humanitatis officia, ea præsertim, quæ ad damna avertendum & commoda promovendum requiruntur, ut adeo dubitandum non sit, nos terminum fidelitatis accipere in significatu recepto. Per inconstantiam vero loquendi Fidelitas dicitur jusjurandum, quod a vasallo præstatur domino, II. f. 4.

BIU Cujas

f. 4. quia ſcilicet eodem ſe obligat vaſallus domino ad fidelitatem. In noſtro autem Jure inconſtantia loquendi locum non habet, adeoque ab hoc ſignificatu abſtinemus. Præmittenda autem erat definitioni feudi definitio fidelitatis, quia illa ſine hac intelligi nequit. Quamobrem ne quis dubitet, nos feudum ſumere in eodem præciſe ſignificatu, quo accipitur; perſpicue doceri debebat, nos terminum fidelitatis ſumere in ſignificatu recepto.

§. 155.

Feudum vocatur dominium utile in re ſua alteri a domino conceſſum ſub conditione fidelitatis mutuæ. *Feudum quid ſit.*

Notionem hanc feudi analytice adſtruximus in Horis ſubſecivis Marburgenſibus A. 1729. n. 2. §. 2. & eam non recedere a ſignificatu vocabuli recepto oſtendimus. Equidem definitio hæc videri poterat tantummodo convenire feudo dato, minime autem oblato; nullum tamen eſſe hoc dubium deinceps patebit, quando differentiam inter feudum datum & oblatum declaraturi ſumus.

§. 156.

Res *infeudari* dicitur, in qua feudum conſtituitur. Unde *Infeudatio* eſt conſtitutio feudi in re aliqua. Quamobrem cum feudum ſit dominium utile in re ſua alteri a domino conceſſum ſub conditione fidelitatis (§. 154.), dominium vero plenum continet & utile, & directum (§. 1. 3. *h.* & §. 137. *part.* 2. *Jur. nat.*); *ſi res infeudatur, dominium plenum dividitur in utile ac directum inter duas perſonas ſub conditione mutuæ fidelitatis.* *Infeudatio quid ſit.*

Patet adeo feudum convenire cum emphyteuſi, quod utrobique dominium utile a directo ſeparetur, & illud alicui competat ſub conditione certæ præſtationis; in eo autem duo hæc jura a ſe invicem differre, quod in emphyteuſi dominium competat ſub conditione præſtandi canonis, ſeu certæ penſionis annuæ, in feudo autem ſub conditione præſtandæ fidelitatis. Atque hinc intelligitur emphyteuſin atque feudum tanquam duas ſpecies ſubſtare eidem generi, ac quomodo infeudatio diſcernatur ab emphyteuticatione.

§. 157.

Res feudalis dicitur, in qua feudum eſt conſtitutum. *Res feudalis quanam ſit.*

Per inconſtantiam loquendi vocatur ea etiam feudum: ſed ab ea nobis abſtinendum eſt in Jure naturæ, quæ non admittit homonymiam, ſed fixum requirit terminorum ſignificatum, quemadmodum ſæpe monuimus.

§. 158.

Qui dominium directum in re feudali habet, dicitur *dominus feudi*, ſeu *dominus* ſimpliciter: qui utile habet, *vaſallus* vocatur. *Domini feudi & vaſalli definitio.*

Nimirum quando feudum conſtituitur, dominium utile ac directum dividitur inter duas perſonas, quarum altera fit dominus utilis, altera directus (§. 156.). Qui adeo nomine generali vocatur dominus utilis, hic in ſpecie vocatur Vaſallus, quemadmodum emphyteuta in emphyteuſi, & qui nomine generali dominus feudi audit, quemadmodum dominus emphyteuſeos in emphyteuſi. Quando autem in utroque caſu dominus directus ſimpliciter dominus dicitur, id fit brevitatis cauſa per ellipſin, ut in priori caſu ſubintelligatur ex ſubſtrata materia feudum, in poſteriori emphyteuſis, tanquam res, cujus autor eſt dominus ſuperior.

BIU Cujas

§. 159.

Jus vasalli in re feudali. Quoniam vasallus dominium utile in re feudali habet (§. 158.), dominium vero utile continet jus utendi fruendi nullo modo restrictum, proprietatem vero certo quodam modo ad alium restrictam (§. 1.); *vasallo competit jus utendi fruendi re feudali prorsus irrestrictum, ast proprietatem nonnisi restrictam habet*, consequenter *is de usu ac fructu rei feudalis pro arbitrio suo, non autem prorsus pro arbitrio de ipsa substantia disponere valet* (§. 2.).

Vide, quæ supra de jure domini utilis annotavimus (*not.* §. 2.).

§. 160.

Jus domini feudi in genere. Similiter quia dominus feudi dominium directum habet in re feudali (§. 158.), dominium vero directum consistit in parte proprietatis, quæ per ejus restrictionem dominio utili ademta (§. 3.); *dominus feudi partem proprietatis*, adeoque *juris disponendi de ipsa substantia rei feudalis* (§. 131. *part.* 2. *Jur. nat.*), *quod vasallo ademtum, in re feudali habet*, & hinc *pro ea parte proprietatis, quæ ipsius est, de ipsa substantia rei disponere potest, & quando ipso inscio ac invito vasallus disponere audet, actus ipso jure nullus est* (§. 4.).

Relegenda hic sunt, quæ supra annotavimus (*not.* §. 3. 4.).

§. 161.

Substantialia feudi quænam dicantur. *Substantialia feudi* vocamus determinationes essentiales, per quas feudum in genere concipitur. Quoniam itaque genus ea continet, quæ speciebus omnibus communia sunt (§. 234. *Ontol.*); *substantialia feudi omni feudo omni feudo insunt, nec ab eo abesse possunt*. Et quoniam feudum est dominium utile in re sua alteri a domino concessum, cui adeo directum competit (§. 1. 3.), sub conditione mutuæ fidelitatis (§. 155.); *substantialia feudi sunt respectu vasalli dominium utile in re feudali, & fidelitas domino directo præstanda, respectu autem domini feudi dominium directum & fidelitas vasallo præstanda*.

Fidelitas a domino directo vasallo præstanda requiritur etiam II. f. 6. Diserte enim legitur: Dominus quoque in his omnibus vicem fideli suo reddere debet: quod si non fecerit, merito censebitur malefidus. Quamvis adeo vulgo in definitione feudi tantummodo mentio fiat fidelitatis a vasallo præstandæ, non tamen propterea negatur, dominum quoque vasallo fidelitatem debere. Equidem ad substantialia quidam etiam referre solent attributa, quæ non minus constanter insunt (§. 150. *Ontol.*). Sed cum ea per essentialia determinentur (§. 146. *Ontol.*), adeoque ex definitione exulare debeant (§. 950. *Log.*); nobis placet substantialia in significatu strictiori accipere, ubi ea consideramus, quæ ad feudum tanquam jus quoddam peculiare concipiendum requiruntur, & ea, quæ ad feudum in genere concipiendum requiruntur, distinguimus ab iis, quæ speciebus diversis constituendis inserviunt. Legi hic possunt, quæ in Horis subsecivis loc. cit. (*not.* §. 155.) uberius eam in rem diximus.

§. 162.

Naturalia feudi quænam dicantur. *Naturalia feudi* dicuntur determinationes essentiales, quæ constituunt differentiam specificam feudi communiter autoritate legis vel moribus recepti.

Ita ex. gr. inter naturalia feudi in Germania refertur jurata promissio fidelitatis a Vasallo requisita. Etenim in genere ad feudum minime requiritur, ut promissio fidelitatis sit jurata, quemadmodum deinceps videbimus. Sed propterea feudum non desinit tale esse, quod vasallus jurato

BIU Cujas

jurato non promiserit fidelitatem. Quando tamen de essentia feudi est, ut jurata sit promissio, nec alias jus hoc subsistere possit; hæc promissio ad differentiam specificam feudi recepti ab aliis speciebus pertinet. Vide, quæ alibi, nempe in Horis subsecivis loc. cit. §. 4. uberius exposita sunt. Substantialia unico tantum modo determinabilia sunt, sed naturalia ad ea pertinent, quæ istis manentibus iisdem non uno modo determinari possunt, hoc tamen modo vel autoritate legis, vel moribus ordinarie ita determinantur, nisi per pactum determinentur aliter. Nimirum promissio fidelitatis fieri potest cum juramento, fieri etiam potest sine juramento, & quando non fit cum juramento, fieri potest cum asseveratione, vel sine eadem. Quod igitur autoritate legis, vel moribus introducitur, qui vim legis obtinent, illud tanquam naturale ad feudum requiritur.

§. 163.

Accidentalia feudi dicuntur determinationes essentiales, quæ constituunt differentias specificas specierum feudorum a specie juris autoritate vel moribus communiter recepta diversarum.

Accidentalia feudi quanam dicantur.

Ex. gr. Inter accidentalia feudi referri solent obligatio vasalli ad officia insolita atque liberatio ab omnibus servitiis, quæ ordinarie præstanda sunt, quia nimirum hæc ordinarie feudo non insunt, quale autoritate legis ac moribus introductum. Juxta naturæ legem non datur feudum ordinarium, nec respectu hujus cetera dicuntur extraordinaria, & libertati uniuscujusque relictum est, quomodo ea determinare velit, quæ in notione generali feudi indeterminata variis modis determinari possunt (§. 984. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem in Jure naturæ nulla datur differentia inter accidentalia & naturalia feudi, nec utilitatem ullam habet distinctio substantialium ab accidentalibus & naturalibus. Quoniam vero Feudistæ multa de substantialibus, naturalibus & accidentalibus seu dorum loquuntur; terminos hosce vel ideo explicare debuimus, ut pateret, distinctionem istam in Jure naturæ non habere locum & nullius prorsus esse utilitatis, etsi a substantialibus accidentalia & naturalia communi quodam nomine distinguere velis, ut in illo admitti possit. Ceterum si distinctionem istam penitius inspicere volueris, legenda sunt ea, quæ de notione substantialium, naturalium & accidentalium feudi commentati sumus in Horis subsecivis Marburgensibus A. 1726. trim. æstiv. num. 2. & ad quæ jam ante (*not.* §. 155. 160. 161.) provocavimus. Utuntur interpretes Juris civilis etiam in contractibus distinctione eorum, quæ contractibus insunt, in substantialia, naturalia & accidentalia, ita ut *substantialia* dicantur, quæ contractui constanter insunt, nec unquam ab eo abesse possunt, *naturalia*, quæ ordinario accedere solent & *accidentalia*, quæ nec necessario, nec ordinario insunt, inesse tamen possunt, adeoque extraordinarie accedunt. Enimvero hanc ipsam distinctionem in doctrina contractuum insuper habuimus, tum quia in Jus naturæ minime quadrat, tum quia reformata, ut admitti in eo possit, nullam tamen habet utilitatem.

§. 164.

A voluntate feudum constituentis pendet, quas determinationes substantialibus superaddere velit. Quoniam enim feudum est jus in re aliena alteri constitutum (§. 155.), a constituentis utique voluntate pendet, qua lege id constituere velit (§. 984. *part.* 3. *Jur. nat.*), consequenter quomodo ea determinare velit, quæ in notione generali feudi determinata non sunt. Quamobrem cum determinationes essentiales, quæ insunt notioni feudi in genere, substantialia feudi sint (§. 161.); a voluntate feudum constituentis utique pendet, quas determinationes substantialibus superaddere velit.

Unde veniant determinationes a substantialibus diversa.

Nimirum cum determinationes, quæ substantialibus adjiciuntur, ita sint comparatæ, ut per hæc non determinentur, alias enim jam feudo inessent, nec demum adjici deberent, nec tamen repugnet, ut cum substantialibus una insint feudo, alias enim adjici non possent; ideo patet, eas in essentialium numerum referendas esse (§. 143. *Ontol.*), adeoque quia generis notioni non insunt *per hypoth.* ad differentiam specificam pertinere (§. 236. *Ontol.*), & sic earum adjectione certam feudi speciem determinari. Quamobrem quando voluntate constituentis adjiciuntur substantialibus certæ determinationes, hoc perinde est, ac si e multis speciebus feudorum possibilibus eligatur una, quæ præ ceteris placuerit, vel cujus nobis notio occurrit. Quoniam adeo vi libertatis naturalis constituens eam eligere potest, quam voluerit (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*); ideo eas quoque determinationes substantialibus superaddere potest, quas voluerit. Et quamvis jus naturæ perfectivum nos obliget ad eligendum id, quod in dato casu melius (§. 193. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*); jure tamen externo non attendenda hæc obligatio (§. 157. *part.* 1. *Jur. natur.*). Cumque hæc disquisitio pertineat ad constituentem; de ea ut sollicitus sit alter, cui

BIU Cujas

feudum conſtituitur, opus non eſt (§. 422. *p.* 3. *Jur. nat.*). Jure adeo externo indifferens cenſetur electio, modo caveatur, ne quid adjiciatur, quod moraliter impoſſibile. Hactenus dicta probe perpendi velim: lucem enim inexpectatam affundunt notionibus entium moralium, modo ea animo comprehenderis, quæ de ente in genere docuimus in Ontologia. Quomodo vero entia moralia rite concipi debeant, qui intellexerit, is in omni Jure intimius perſpiciet, quæ vulgo nonniſi per tranſennam conſpiciuntur, eidemque patebit via, qua fit eundum, ut ad theoriam juris perfectivi perveniatur & jus externum interno maxime conformetur.

§. 165.

Quinam feudum in re conſtituere poſſit.

Nemo alteri feudum in re conſtituere poteſt, niſi dominus. Quando enim feudum in re conſtituitur, alteri conſtituitur jus in re (§. 155.). Enimvero nemo alteri jus in re conſtituere poteſt niſi dominus (§. 983. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem nemo alteri feudum in re conſtituere poteſt, niſi dominus.

§. 166.

Feudum datum quid ſit.

Quando dominus alteri conſtituit feudum in re ſua, *feudum* dicitur *datum*.

Etenim tum dominium utile, quod una cum directo in re ſua habet dominus, in alterum transfert (§. 155.), adeoque jus hoc, in quo conſiſtit feudum (§. *cit.*) alteri dat (§. 675. *p.* 2. *Jur. nat.*).

§. 167.

De re ſua ad infeudandum oblata.

Dominus rem ſuam alteri dare poteſt ſub hac conditione, ut ipſi feudum in eadem conſtituatur. A domini enim voluntate pendet, quomodo dominium rei ſuæ in alterum transferre (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter rem ſuam alteri dare velit (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quodſi ergo rem ſuam alteri dare libuerit ſub hac conditione, ut ipſi feudum in eadem conſtituatur; quin hoc facere poſſit dubitandum non eſt.

Nimirum quia alteri res datur, is fit ejus dominus. Quoniam vero datur ſub ea conditione, ut danti feudum conſtituatur in re data, adeoque cum onere conſtituendi feudi, cum non plus juris acquirere is poſſit, quam in eum transferre voluit dans (§. 382. *part.* 3. *Jur. natur.*); accipiens obligatur ad feudum in re data danti conſtituendum, adeoque dominium utile ipſi concedere tenetur ſub conditione mutuæ fidelitatis (§. 155.), conſequenter non retinet niſi dominium directum (§. 13.).

§. 168.

Feudum oblatum quid ſit.

Quando danti conſtituitur feudum in re data, *feudum* dicitur *oblatum*.

Patet adeo, quænam differentia intercedat inter feudum datum & feudum oblatum. Quando enim feudum datur, res infeudata traditur a domino vaſallo; quando offertur, res infeudanda offertur ab eo, qui plenum dominium habet, alteri, & infeudata ab eo recipitur. Quando traditur, dominium utile transfertur in alterum, qui nihil juris in re habebat, & transferens retinet dominium directum. Quando res infeudanda offertur, dominium plenum transfertur in alterum ſub hac conditione, ut utile recipiatur, directum maneat apud eum, in quem plenum fuerat translatum. Atque adeo in utroque caſu dominium utile conceditur vaſallo a domino feudi, & vaſallus recognoſcit eum tanquam dominum directum, a quo feudum habet. Feuda primum appellata fuere *Beneficia*, quia dominium utile gratis conceſſum in re, in qua quis nihil juris habebat. Qui igitur rem ſuam infeudandam alteri obtulerunt, ut eandem per modum beneficii ab eo poſthac haberent, eam ipſi dare utique debuerunt. Quamobrem non dubitamus feudum oblatum ita eſſe concipiendum, quemadmodum diximus. Equidem non ignoro, hanc aſſignari ſolere differentiam inter feudum datum & oblatum, quod illud conſtituatur translatione dominii utilis, reſervato ſibi directo, hoc vero translatione dominii directi, ſibi reſervato utili; non tamen proprie feudum conſtitui dicitur translatione dominii directi, cum enim in dominio utili conſiſtat (§. 155.), feudum proprie loquendo nonniſi translatione dominii utilis conſtitui

BIU Cujas

ſtituitur. Quamobrem ut ei, qui pleno jure rem habet, dominium utile in ea conſtitui poſſit, neceſſe eſt, ut ante conſtituentis propria fiat, quam feudum conſtituatur. Verum tamen eſt, dum res alteri datur ſub ea conditione, ut infeudetur, dantem ſibi reſervare dominium utile; nimirum ut ipſi concedatur. Perinde igitur eſt, quomodo feudum oblatum concipere velis. Utrobique nimirum qui ante erat pleno jure dominus, tantummodo eſt dominus utilis, & alter, qui nihil juris in re habebat, dominus directus; quemadmodum ex adverſo, ſi feudum fuerit datum, qui pleno jure ante erat dominus, tantummodo fit dominus directus, & alter, qui nihil juris in re habebat, dominus utilis.

§. 169.

Qui rem in feudum offert, conditiones offerre poteſt, ſub quibus id conſtitui vult, ſeu ſignificare, quas determinationes ſubſtantialibus ſuperaddi velit. Etenim qui rem in feudum offert, is alteri dare vult rem ſuam ſub ea conditione, ut ſibi feudum in ea conſtituatur (§. 168.). Quoniam itaque a domini voluntate pendet, quomodo dominium rei ſuæ in alterum transferre velit (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*); qui rem in feudum offert, conditiones utique offerre poteſt, ſub quibus id conſtitui velit, ſeu quod perinde eſt, ſignificare, quas determinationes ſubſtantialibus ſuperaddi velit, ut ſcilicet certa prodeat feudi ſpecies (§. 161. *& ſeqq.*). *De naturalibus & accidentalibus feudo oblato adjiciendis.*

Hoc minime contrariatur ei, quod ſupra demonſtravimus a voluntate feudum conſtituentis pendere, quas determinationes ſubſtantialibus ſuperaddere velit (§. 164.), etſi ſumatur feudum quoque oblatum conſtitui ab eo, cui res infeudanda offertur. Etenim quamvis offerens offerat quoque conditiones feudi conſtituendi; ab alterius tamen voluntate pendet, num conditiones oblatas acceptare velit, an potius in iiſdem quid immutare, aut alias offerre, ut adeo nec in hoc caſu dici poſſit conſtituere feudum niſi ſub iis conditionibus, quæ placuerint. Quodſi enim intereſt offerentis, ut res infeudetur; in eas utique conſentire tenetur conditiones, ſub quibus infeudationem acceptare voluerit, qui infeudare debet.

§. 170.

Feudum conſtituitur pacto. Quando enim feudum conſtituitur, alteri jus conſtituitur in re aliena (§. 155.). Enimvero jus alteri conſtituitur in re aliena pacto (§. 988. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam feudum naturaliter pacto conſtitui debet. *Quomodo feudum conſtituatur.*

Oſtenditur etiam hoc modo. Quando feudum conſtituitur, tum vel dominium utile, vel directum ab eo acquiritur, qui plenum habebat (§. 166. 168.). Enimvero dominium plenum, vel directum pactione acquiritur ab eo, qui plenum habet (§. 11.). Feudum igitur pacto conſtituitur.

§. 171.

Contractus feudalis vocatur, quo de feudo, quod conſtituitur, inter ſe conveniunt dominus feudi & vaſallus, ſeu quo feudum conſtituitur & acquiritur. *Contractus feudalis quinam ſit.*

Vide, quæ ſupra de contractu ſuperficiario annotavimus (*not.* §. 128.)

§. 172.

Quoniam in contractu feudali de conſtitutione feudi convenitur (§. 171.), nemo autem plus juris ab altero acceptatione ſua acquirere valet, quam in eum transferre voluit, nec ultra voluntatem ſuam alterum ſibi obligare poteſt (§. 382. *p.* 3. *Jur. nat.*); *ex contractu feudali metiendum eſt jus, metienda obligatio tam domini feudi, quam vaſalli.* *Unde metiendum ſit jus & obligatio vaſalli & domini.*

Equidem ex ipſa notione etiam feudi fluunt quædam jura ac obligationes; non tamen propterea naſcuntur aliunde, quam ex contractu, quo feudum conſtitutum & acquiſitum. Vi contra-

tractus enim tu dominus es, ego vasallus tuus sum; atque adeo tibi competunt jura vi notionis feudi domino competentia, quemadmodum mihi jura vasalli, & tu mihi teneris ad ea, ad quæ dominus qua dominus obligatur vasallo, ego tibi ad ea, ad quæ vasallus qua vasallus obligatur domino. Cum vero plura sint, de quibus convenitur in contractu, & quæ omni feudo non insunt; hæc unice dijudicanda sunt ex contractu feudali naturaliter. Jure enim positivo feudo inesse possunt, quæ ex lege veniunt, adeoque ex eadem definiuntur.

§. 173.

De quonam in contractu feudali agendum.

In contractu feudali definiendæ sunt determinationes, quas substantialibus superaddere visum est. Quoniam enim præter determinationes substantiales, quæ omni feudo insunt (§. 161.), dantur adhuc aliæ, quæ differentiam specificam feudorum constituunt (§. 163.), & a voluntate feudum constituentis pendet, quasnam determinationes substantialibus superaddere velit (§. 164.); ideo necesse est, ut, dum feudum constituitur, definiantur determinationes, quas substantialibus superaddere visum est. Quamobrem cum de feudo, quod constituitur, conveniatur inter dominum ac vasallum in contractu feudali (§. 171.); in contractu feudali definiendæ sunt determinationes, quas substantialibus superaddere visum est.

In Jure naturæ non dantur nisi substantialia & non substantialia, nec hæc in naturalia & accidentalia distingui possunt, cum naturalia & accidentalia in eundem censum sint referenda (*not.* §. 163.). Quoniam vero non substantialia manentibus iisdem substantialibus variare possunt; necesse utique est, ut de his conveniatur (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamvis enim a constituentis voluntate pendeat, quasnam determinationes substantialibus superaddere velit; necesse tamen est, ut a vasallo acceptentur. Immo nisi in contractu feudali definirentur, jura domini ac vasalli non forent certa, nec certæ forent obligationes, quæ tamen ex contractu isto metiendæ veniunt (§. 172.). Omnia igitur confunderentur, nisi determinationes prædictæ in contractu definirentur. Facile apparet, nos hic loqui de eo, quod naturaliter valet: lege enim positiva in statu civili si certa feudi forma præscripta, a qua ne latum quidem digitum recedere liceat, ita ut pactis nihil in ea immutari, nec quicquam superaddi possit, tum utique in contractu feudali nihil superaddi poterit, nec tum dantur, nisi substantialia & naturalia feudi, secluſis accidentalibus.

§. 174.

De feudi constitutione lucrativa.

Feudum constitui potest vel gratis, vel ut aliquid pro eo detur, aut fiat. Etenim vel dominus feudum alteri constituit in re sua (§. 166.), vel alteri datur res sub ea conditione, ut sibi feudum in eadem constituatur (§. 168.). Quoniam itaque a domini voluntate pendet, quomodo jus quoddam in alterum transferre velit (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*); feudum quoque constitui potest vel gratis, vel ut aliquid pro eo detur, aut fiat.

Haud difficulter apparet constitutionem feudi tam gratuitam, quam onerosam esse posse tum ex parte domini feudi, tum ex parte vasalli, prout feudum vel datum, vel oblatum est. De origine feudorum historica non sumus solliciti in Jure naturæ, multo minus ejus in definiendo feudo habenda ratio est, cum facta in Jure naturæ non sumantur, nisi quatenus possibilia sunt. Quamvis adeo ponamus, feuda ab initio fuisse data loco salarii pro servitiis præstandis; hoc tamen non attenditur in definitione feudi. Neque enim propterea feudum est jus aliquod possibile, sed quia istusmodi jus possibile, huic facere libuit ejus usum. Omne jus possibile fit in ideis rerum, antequam de eo cogitarent homines, vel ejus aliquem usum facerent. In jure naturæ perinde est, sive feuda ab initio fuerint data, sive oblata & quacunque de causa constituta. Quæ enim ad historiam pertinent, a illo exulare debent.

§. 175.

De modo, quo feudum concreditur.

Feudum constitui potest vel ad certum tempus, vel in perpetuum, sive simpliciter, sive determinative, nominatis certis personis, ad quas transmitti queat. Ostenditur eodem prorsus modo, quo idem de emphyteusi demonstratum (§. 29.).

Em-

BIU Cujas

Emphyteusis, & feudum in eo conveniunt, quod dominium utile alicui in re concedatur: in eo autem differunt, quod idem non concedatur utrobique sub eadem conditione, cum emphyteusis constituatur sub conditione solvendi canonis, feudum vero sub conditione mutuæ fidelitatis (§. 12. 155.). Immo naturaliter emphyteusis non minus esse potest tam data, quam oblata, quemadmodum feudum. Quemadmodum enim ostendimus (§. 167.), dominum alteri rem suam dare posse sub hac conditione, ut ipsi feudum in eadem constituatur, unde oritur feudum oblatum (§. 168.); eodem etiam modo ostenditur, posse dominum rem suam alteri dare sub hac conditione, ut emphyteusis ipsi in eadem constituatur, unde emphyteusis erit oblata, quippe quæ danti constituitur in re data. Facile patet, generalem dari theoriam emphyteuseos ac feudi, quippe quæ duo jura sub eodem genere continentur, quamvis id ipsum peculiari nomine destituatur. Neque enim dici potest genus hoc esse dominium utile, cum non tam sit dominium utile simpliciter spectatum, quam sub certæ cujusdam præstationis conditione concessum alteri: sit ita quod communiter emphyteusis & feudum pro speciebus dominii utilis tanquam generis remotioris habeantur. Nimirum naturaliter non repugnat, ut quis dominium utile, alter directum habeat absque ulla conditione, ita ut neque canon præstandus sit, neque fidelitas; sed utilitas in eo tantum consistat, ut dominus directus certo casu fieri possit pleno jure dominus, ne separatio dominii directi ab utili sit actus temerarius (§. 277. *part. 3. Jur. nat.*), in Juræ naturæ non admittendus (§. 278. *part. 3. Jur. nat.*), nec jura extendantur ad casus non facile dabiles.

§. 176.

Quoniam naturaliter feudum constitui potest in perpetuum determinative, nominatis certis personis, ad quas transmitti potest (§. 175.); *feudum naturaliter constitui potest tum pro masculis solis, tum pro solis fœminis, tum promiscue pro masculis & fœminis.* Et eodem modo patet, *idem constitui posse tum pro solis descendentibus, tum etiam pro agnatis & cognatis collateralibus.* *De feudo pro certis personis constituto.*

Supponimus hic discrimen inter descendentes & collaterales, itemque inter agnatos & cognatos, quia termini hi satis noti. Suo autem loco, quando de agnatione & cognatione acturi sumus ex instituto, eos distincte explicaturi sumus. In Jure naturæ valet, quod possibile, modo idem non sit moraliter impossibile, nec quicquam refert, si vel maxime tale jus nullibi adhuc unquam fuerit receptum.

§. 177.

Similiter quoniam *feudum* constitui potest ad certum tempus, *vel constitui potest ad dies vitæ, vel ad certum annorum numerum.* *De feudo ad certum tempus concesso.*

In utroque casu certum est, quamdiu feudum durare debeat, quod non ita obtinet, si pro certis personis in genere nominatis constituatur, quoniam constare nequit, quamdiu istiusmodi personæ sint extituræ. Et quamvis etiam dies mortis certus non sit, certum tamen est, eum esse adventurum, neque ultra terminum aliquem removeri posse.

§. 178.

Naturaliter ita etiam conveniri potest, ut vasallus certa præstet servitia, veluti militaria. Etenim naturaliter a voluntate feudum constituentis pendet, quas determinationes substantialibus superaddi velit (§. 164.). Quodsi ergo velit, ut vasallus obligatus sit ad certa præstanda servitia, veluti militaria; naturaliter quoque ita conveniri potest, ut vasallus certa præstet servitia, veluti militaria. *De servitiis a vasallo præstandis.*

Hoc inprimis locum habet in feudis datis, ubi conditiones offert constituens, quamvis non ante valeant, nisi ubi fuerint acceptatæ: id quod ex eo abunde patet, quod feudum constituatur pacto (§. 170.), atque ideo ex contractu feudali metiendum sit jus domini & obligatio vasalli (§. 172.).

§. 179.

BIU Cujas

§. 179.

De præstandis a domino vasallo.

Ex adverso quoque ita conveniri potest, ut dominus vasallo ad quædam præstanda obligatus sit. Etenim si quis alteri rem offert ea conditione, ut ipsi feudum in eadem constituatur; is etiam conditiones offerre potest, sub quibus id constitui vult (§. 169.). Quodsi ergo eidem visum fuerit rem in feudum dare alteri sub ea conditione, ut is ad quasdam præstationes ipsi sit obligatus; nil sane obstat, quo minus ita conveniri possit. Immo etiam rationes esse possunt domino, cur ad certas præstationes sponte sua se obliget.

Principio hoc suo loco utemur, quando de infeudatione imperii agetur. Et quamvis propositio præsens conveniat potissimum feudo oblato; non tamen prorsus impossibile est, ut etiam in dato, ubi dominus conditiones offert, adjiciat conditionem a se præstandorum, ut vasallus acceptet feudum sub conditione servitiorum ab ipso præstandorum.

§. 180.

De feudo revocabiliter constituto.

Naturaliter feudum quoque revocabiliter constitui potest. Quoniam enim si feudum fuerit datum, dominus alteri feudum constituit in re sua (§. 166.), adeoque dominium utile rei suæ, in qua nihil juris competebat vasallo, in hunc transfert (§. 155.), quilibet vero in alterum jus aliquod etiam revocabiliter transferre potest (§. 16. *part. 3. Jur. nat.*); si feudum fuerit datum, id revocabiliter constitui potest. Quodsi feudum fuerit oblatum, dominus rem suam alteri dat sub hac conditione, ut feudum sibi in ea constituatur (§. 168.). Quoniam itaque res alteri dari potest revocabiliter (§. 16. *part. 3. Jur. nat.*); consequenter ut danti reservetur jus alterum, cui res data, jure suo iterum excludendi (§. *cit.*); non repugnat, ut alteri rem des sub ea conditione, ut feudum tibi in ea constituat, tibi vero integrum sit ipsum excludere dominio directo, quod feudo constituto ipsi superfuit, consequenter ut res iterum pleno jure tua sit, quando tibi visum fuerit. Atque adeo denuo patet, feudum quoque revocabiliter constitui posse, si fuerit oblatum. Quoniam itaque feudum omne vel datum est, vel oblatum (§. 166. 168), quatenus nimirum necesse est, ut vel in re, in qua feudum constituitur, antea nihil juris habueris, vel eadem pleno jure ad te pertinuerit, feudum vero revocabiliter constitui potest, sive fuerit datum, sive fuerit oblatum, *per demonstrata*; ideo patet, feudum in genere revocabiliter constitui posse.

Quando feudum oblatum revocabiliter constituitur, ita omnino convenitur, ut dominus directus obligatus sit ad feudum revocandum, quo facto erit pleno jure dominus, tumque tibi jus sit revocandi dominium plenum, quod in ipsum transtuleras sub conditione feudi constituendi. Quando enim feudum amplius habere non vis, sed rem pleno iterum jure possidere; necesse est ut ante acta omnia revocentur. Quodsi dicere velis, hisce ambagibus non esse opus, sufficere enim ut revocetur dominium directum, ac tunc consolidatione effici dominium plenum: tum dici nequit feudum revocabile, sed dominium directum, & dominio directo revocato feudum consolidatione extinguitur. Atque adeo patet non minime inanes fingere subtilitates, sed feudum oblatum revocabile concipere, quemadmodum concipi potest.

§. 181.

De feudo pure vel sub certa conditione revocabili.

Quoniam jus aliquod revocabile esse potest vel pure, vel sub certa conditione, ut scilicet hac existente, liceat revocare, antequam vero ea existat, vel si non existat, revocare non liceat, feudum vero etiam revocabiliter constitui potest (§. 180.); *feudum revocabiliter constitui potest vel pure, vel sub certa conditione.*

Quando feudum revocabiliter constituitur pure, tum revocari potest, quandocunque libuerit: quodsi vero revocabiliter constituitur sub certa conditione, tum conditione existente revocari quidem potest, sed ut revocetur necesse non est, postquam extitit conditio, revocari potest, quando visum fuerit.

§. 182.

BIU Cujas

§. 182.

Quodsi ita conveniatur, ut canon certus etiam præstetur; feudum miscetur cum emphyteusi. Etenim in emphyteusi dominium utile conceditur sub conditione canonis præstandi (§. 12. 14.). Quamobrem cum feudum in eo differat ab emphyteusi, quod constituatur sub conditione mutuæ fidelitatis (§. 155.); si ita conveniatur, ut canon etiam certus præstetur, feudum cum emphyteusi miscetur. *Quando feudum miscetur cum emphyteusi*

Nimirum in hoc casu substantialia feudi & emphyteuseos conjunguntur (§. 161.), adeoque utrumque jus miscetur, ut prodeat mixtum ex emphyteusi & feudo. Quoniam enim non repugnat, ut is, cui dominium utile conceditur sub conditione mutuæ fidelitatis, etiam certum canonem præstet; sub utraque conditione simul ut concedatur fieri utique potest. Jus adeo feudi & emphyteuseos ad constituendum jus aliquod mixtum concurrere possunt (§. 142. *Ontol.*). Hæc distinctius exponere visum fuit, cum faciant ad intelligendum originem entium moralium.

§. 183.

Vasallus obligari potest ad continuam quandam præstationem in gratiam tertii. Etenim constituens in contractu feudali determinationes substantialibus pro lubitu adjicere potest (§. 164. 173.). Quoniam itaque promissor, consequenter etiam is, qui aliquid actu dat, onus quodcunque pro arbitrio adjicere potest (§. 586. *part. 3. Jur. nat.*); feudum quoque constituens onus in gratiam tertii adjicere potest. Quamobrem cum onus adjiciatur in gratiam tertii, si vasallus aliquid tertio cuidam præstare debeat (§. 585. *part. 3. Jur. nat.*); vasallus quoque obligari potest ad continuam quandam præstationem in gratiam tertii. *De onere in gratiam tertii adjecto.*

Ita ex. gr. conveniri potest, ut vasallus tertio cuidam censum quendam sive in pecunia numerata, sive in rebus aliis consistentem quotannis solvat, vel ut tertio cuidam obligetur ad certa servitia, vel ut quotannis certo die eleemosynas certas distribuat pauperibus. Ceterum quod a promissione ad juris constitutionem argumentemur, qua actu jus quoddam in alterum confertur, vel res certo modo datur, nihil difficultatis habet. Promittere enim ac dare non differunt nisi tempore: promissio actus est, qui in futurum prominet, datio autem actus, qui in præsens absolvitur. Quemadmodum itaque quod datur, illud etiam promitti potest, quippe suo tempore dandum; ita etiam eodem modo quid dari, quo promitti potest. Immo jus promittentis fluit ex jure dantis, quia nimirum dare potes, promittere etiam potes. Differt autem canon annuus a vasallo præstandus ab onere tertio cuidam quidpiam dandi vel faciendi. Etenim canon præstatur domino, non tertio, & ille præstatur in recognitionem dominii directi, in præstatione autem, quæ fit in gratiam tertii, nullus attenditur finis, sed nuda respicitur obligatio vasalli, quæ pendet a voluntate constituentis, ut alia non quæratur ratio, cur hoc præstandum sit tertio, sed pro ratione stet voluntas constituentis.

§. 184.

Feudum censuale seu *pensionarium* appellatur, si vasallus loco servitiorum quotannis canonem certum præstare tenetur: immo in Jure naturæ censuale appellare licet, si juxta alia servitia præstandus etiam canon est. *Feudi censualis definitio.*

Sunt qui existimant feudum in emphyteusin, vel censum degenerare, si certus canon, vel census quotannis solvendus. Enimvero vidimus in anterioribus (*nor.* §. 182.), feudum tum fieri jus mixtum ex feudo & emphyteusi, ut adeo verior sit illorum sententia, qui negant, propter canonem solvendum feudum abire in emphyteusin, vel censum. Quoniam enim feudum prædominatur in hac mixtione, nil obstat, quo minus tanquam feudum improprie sic dictum spectetur, vel etiam pro certa feudi specie habeatur, & sic admodum convenienter feudum censuale, seu pensionarium appelletur.

BIU Cujas

§. 185.

Feudi francici definitio. *Feudum francum* dicitur, si vasallus ad nulla servitia præstanda domino obligatur.

Francum hic idem significat, quod liberum. Naturaliter vero non opus est, ut servitia a domino remittantur, cum feudum constitui possit vel sub conditione præstandorum certorum servitiorum, præsertim militarium, vel etiam absque hac conditione (§. 174. 164.), cum ad substantialia feudi non requiratur præstatio servitiorum (§. 161.), naturalia vero ignoret Jus naturæ (*not.* §. 163.). Quamobrem quoque feudum francum naturaliter referri nequit ad feuda improprie sic dicta, sed species quædam est feudi proprie sic dicti.

186.

Servitia feudalia quanam sint. *Servitia feudalia* vocantur, quæ vasallus domino ex contractu feudali præstare tenetur. Pertinent huc inprimis servitia militaria, de quibus specialiter conventum est, eo modo præstanda, de quo fuerit conventum.

Referri communiter solent ad fidelitatem, quatenus inter naturalia locum habent: sed hoc juris positivi est, prouti modo insinuavimus (*not.* §. 185.). Et in contractu feudali servitia specialiter determinantur, qualia præstanda.

§. 187.

Feudi ligii & non ligii differentia. Quodsi vasallus domino servitia præstare tenetur contra omnes, *Feudum* vocatur *ligium*: si vero quidam excipiantur, contra quos illa præstare non tenetur, *Feudum non ligium* appellatur.

Subinde necesse est, ut quidam excipiatur, contra quem servitia, militaria præsertim, præstanda non sunt, veluti, si quis jam feudum aliquod habet, & deinde aliud acquirat ab alio domino, tunc enim ipsa fidelitas exigit, ut antiquior dominus excipiatur (*not.* §. 154.). Distinctio igitur feudi in ligium & non ligium juri naturæ etiam convenit.

§. 188.

Feudi novi & antiqui differentia. *Feudum novum* vocatur, quod vasallus primum acquisivit: *antiquum* vero, quod ex lege contractus feudalis ab alio in ipsum delatum fuit.

Ita novum feudum est, quod alicui constituitur in re, quæ nondum feudalis fuerat: novum etiam est feudum, quod quis ab alio emit, in quem ex lege contractus feudalis delatum minime fuisset. Ast si in filium defertur post mortem patris feudum ex lege contractus feudalis, aut in descendentem aliquem remotiorem a primo acquirente, feudum erit antiquum. Distinctio hæc feudi venit a modo acquirendi.

§. 189.

Feudum emtum quodnam dicatur. *Feudum emtum* dicitur, quod pro certo pretio per contractum emtionis venditionis fuit comparatum.

Ita feudum emtum erit, si cum domino contrahas, ut pro certo pretio tibi dominium utile sub conditione mutuæ fidelitatis concedat in re sua, seu feudum in ea tibi constituat.

§. 190.

De feudo masculino, fœmineo & mixto. *Feudum masculinum* vocari solet, quod masculus; *fœmineum*, quod fœmina; *mixtum*, quod mas & fœmina simul primum acquisivit. Ast in Jure naturæ rectius dicetur

BIU Cujas

tur *Feudum maſculinum*, quod pro ſolis maſculis conſtitutum, ita ut ex lege contractus in fœminam nunquam deferri poſſit: *fœmineum* vero, quod pro ſolis fœminis conſtitutum: *mixtum* denique, quod pro maſculis & fœminis ſimul conſtitutum.

Nimirum naturaliter feudum conſtitui poteſt vel pro ſolis maſculis vel pro ſolis fœminis, vel pro maſculis & fœminis ſimul (§. 176.). In Jure feudali poſitivo ignorantur feuda pro ſolis fœminis conſtituta. Unde diviſio eo ſenſu, qui Juri naturæ apprime convenit, in Jure poſitivo locum minime habet.

§. 191.

Feudum pignoratitium, vocatur, quando dominus, cui pecunia creditur, loco pignoris feudum in re conſtituit ſua. Quamobrem cum pignus conſtituatur in ſecuritatem crediti (§. 1142. *part.* 5. *Jur. nat.*); *feudum pignoratitium conſtituitur in ſecuritatem crediti*. Quoniam itaque feudum eſt loco rei in ſecuritatem crediti traditæ; *feudum eſt quaſi res oppignorata* (§. 1143. *part.* 4. *Jur. nat.*). Ceterum cum *dominus* rem ſuam oppignorare poſſit (§. 1164. *p.* 5. *Jur. nat.*), *dominium* quoque *utile* tanquam rem incorporalem ſuam, *naturaliter oppignorare poteſt*, conſequenter patet *feudum pignoratitium eſſe* quoque *juris naturalis*. *Feudum pignoratitii quodnam ſit.*

Notio feudi pignoratitii probe perpendenda venit, cum huic ſpeciei feudorum conveniant vi ejuſdem, quæ aliis feudi minime conveniunt. Non tamen propterea hoc feudum dici poteſt improprium, cum in Jure naturæ non minus proprium ſit, quam ceteræ feudorum ſpecies, quippe cui notio feudi in genere non minus convenit, quam ceteris ſpeciebus. A differentia autem ſpecifica eſt, quod hæc feudi ſpecies longe alia habeat jura, quam quæ ceteris feudi ſpeciebus conveniunt. Et hac ipſa de cauſa in Jure naturæ a ceteris feudis peculiari nomine diſtinguendum; cum aliis appellationibus feudorum in eodem facile carere poſſemus, quales antea commemoravimus. Sane cum non definitus ſit feudorum numerus, quæ Jus naturæ probat, fieri non poteſt, ut ſingulæ ſpecies peculiaribus nominibus inſigniantur.

§. 192.

In oppoſitione ad rem feudalem *Res allodialis* vocatur, in qua quis plenum dominium habet. *Allodium* adeo ſignificat poſſeſſionem alicujus propriam, ſeu univerſa, quæ quis pleno jure poſſidet. *Res allodialis quænam ſit.*

De etymologia vocabuli non multum ſumus ſolliciti, quamvis facile appareat, id perinde ac feudi vocabulum ex antiqua lingua Germanica deſcendere. Nobis ſufficit noſſe, quid eodem denotetur.

§. 193.

Quomodo reſtricta eſſe debeat proprietas, mutuo conſenſu domini ac vaſalli in contractu feudali definiendum. Vaſallus nonniſi proprietatem reſtrictam habet (§. 159.), cumque dominium directum conſiſtat in proprietatis parte eidem ademta (§. 3.); quod reſtricta eſſe debeat proprietas ad ſubſtantialia feudi pertinet (§. 161.). Quoniam vero non uno modo reſtringi poteſt proprietas, prouti abunde patet ex iis, quæ de emphyteuſi demonſtrata ſunt, ac per ſe quoque facile intelligitur; quomodo proprietas reſtricta eſſe debeat, ad eas determinationes pertinet, quæ ſubſtantialibus ſuperaddendæ, dum feudum conſtituitur. Quamobrem cum in contractu feudali definiendæ ſint determinationes, quas ſubſtantialibus ſuperaddere viſum fuerit (§. 173.), & in eodem de feudo conſtituendo inter ſe conveniunt dominus atque vaſallus (§. 171.); in contractu etiam feudali mutuo domini ac vaſalli conſenſu diſtinguendum, quomodo proprietas reſtricta eſſe debeat. *Quomodo definiatur reſtrictio proprietatis in emphyteuſi.*

Oſtendi idem poteſt eo modo, quo ſupra idem de emphyteuſi demonſtravimus (§. 26.).

BIU Cujas

Quando de feudo conſtituendo agitur, non ſolum de eo agitur, utrum quis feudum acquirere velit, nec ne, verum etiam de eo, quomodo reſtringi debeat proprietas, ut dominium directum determinetur, qualę eſſe debeat, & uſus-fructus vertatur in dominium utile determinatum, quippe quod differre poteſt pro diverſitate reſtrictionis proprietatis, jure utendi fruendi nullo modo reſtricto (§. 1. 3.).

§. 194.

De modo reſtringendi proprietatem.

Quoniam in contractu feudali definiendum, quomodo reſtricta eſſe debeat proprietas (§. 193.), ad proprietatem vero ſpectat etiam jus alienandi (§. 664. *part.* 2. *Jur. nat.*); *in contractu feudali definiendum, utrum vaſallo competere debeat jus alienandi, an ipſi ademtum eſſe debeat, &, ubi alienatio permiſſa, qua lege permiſſa eſſe debeat, veluti an conſenſus domini, vel perſonarum ad eam requirendus, an eodem non ſit opus.*

Nimirum quando proprietas reſtringitur, tum vel jus quoddam ad eum pertinens, veluti jus alienandi, adimitur vaſallo, vel idem quoad exercitium reſtringitur, ut non maneat liberum ſed intra terminos conventionis contineatur. Quale ergo jus vaſallo competat in alienando feudo, naturaliter aliunde dijudicari nequit, quam ex contractu feudali.

§. 195.

De reſtrictione juris immutandi fundum.

Similiter quoniam in contractu feudali definiendum, quomodo proprietas reſtringenda (§. 193.), ad eam vero etiam pertinet jus fundum immutandi (§. 657. *part.* 2. *Jur. nat.*); *in contractu etiam feudali definiendum, quale jus competere debeat vaſallo in fundo immutando, an vero nullum competere debeat.*

Tenenda hic eadem, quæ de jure alienandi modo annotavimus. Ita ex. grat. vaſallo permitti poteſt quælibet immutatio, qua res feudalis melioratur, aſt prohiberi ea, qua eadem deterioratur. Similiter prohiberi poteſt, ne ſylva excindatur & fundus vertatur in agrum, vel ne piſcina in agrum, aut vice verſa ager in piſcinam mutetur.

§. 196.

De poteſtate alienandi vaſallo ademta.

Si alienandi poteſtas vaſallo ademta, alienatio ab eo factæ nulla eſt: conſenſu tamen domini directi alienare poteſt. Eodem modo utrumque oſtenditur, quo idem de emphyteuſi demonſtratum fuit (§. 30.).

Nimirum quando poteſtas vaſallo ademta, domino competit jus non patiendi, ut feudum alienetur, &, ſi hoc fecerit vaſallus, alienationem irritam faciendi. Hoc jus dominus remittere poteſt, quamdiu nil committitur, quod eſt contra jus tertii (§. 117. *p.* 3. *Jur. nat.*). Atque adeo vaſallus, qui vi contractus feudalis feudum alienare non poterat, hoc tamen alienare poteſt vi remiſſionis juris a domino directo factæ, conſequenter conſenſu ejuſdem. An vero detur caſus, in quo dominus in alienationem conſentire nequit, obſtante jure tertii, de eo in præſenti non diſquirimus. Ceterum per ſe intelligitur, ſi nihil obſtet, quo minus jus alienationem prohibendi remittere poſſit dominus, perinde eſſe ſive conſenſum impertiatur ad alienandum, ſive alienationem factam, quam irritam facere poterat, ratihabeat, quemadmodum ſimili in caſu jam annotavimus (*not.* §. 30.).

§. 197.

De alienatione cum conſenſu domini.

Si alienandi poteſtas non permiſſa niſi cum conſenſu domini; ſine conſenſu facta irrita eſt. Etenim ſi alienandi poteſtas non permiſſa niſi cum conſenſu domini, vaſallo non competit jus feudum alienandi ſine ejus conſenſu (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam itaque alienatio ſine conſenſu domini nullo jure facta; ea utique irrita eſt.

Nimirum alienatio ſine conſenſu domini facta ipſo jure nulla eſt. Sed quia dominus jus ſuum remittere poteſt, ab ipſius voluntate pendet, utrum jure ſuo uſus eam irritam facere, an ratihabendo validam efficere velit.

§. 198.

BIU Cujas

§. 198.

Si alienatio feudi non permissa, nisi cum consensu eorum, ad quos transmitti debebat, vasallo mortuo; sine eorum consensu alienatio irrita est. Ostenditur eum in modum, quo propositionem præcedentem demonstravimus. *De alienatione sine consensu eorum, ad quos transmitti potest.*

Eadem quoad propositionem præsentem notanda, quæ ad præcedentem annotavimus (*not.* §. 197.). Nimirum iis, qui ex lege contractus feudalis in eo succedere possunt, jus suum invitis auferri nequit, aut, si mavis spes jus aliquando forsan excitatura (§. 474. *part.* 3. *Jur. nat.*). Alienatio igitur sine eorum consensu facta subsistere nequit, nisi eam ratihabere voluerint.

§. 199.

Si de consensu eorum, ad quos transmitti debebat feudum, nihil expresse dictum in contractu feudali; naturaliter præsumtio est contra consensum, præsertim si nec domini consensus requiratur. Ostenditur eodem modo, quo idem de emphyteusi demonstravimus (§. 48.). *Quid in casu dubio præsumendum.*

Applicanda quoque sunt ad propositionem præsentem, quæ in casu simili de alienatione emphyteuseos annotavimus (*not.* §. 48.). Ex. grat. Si feudum constitutum pro omnibus masculis a primo acquirente descendentibus, quotquot eo tempore, quo feudum alienatur, existunt masculi, consentire tenentur, quamvis omnes simul succedere nequeant, sed certo ordine succedere debeant. Cum enim non constet, quinam eorum sit vasallo supervicturus; incertum quoque est, cuinam jus suum invito auferatur. Immo cum incertum quoque esse possit, an non nascituri sint ex eo, ad quem feudum mortuo vasallo non defertur, ad quos aliquando ex lege contractus deferri debeat, jus transmittendi hoc jus nemini quoque auferri invito potest. Atque adeo satis apparet, cur illorum, ad quos successio in feudo ex lege contractus feudalis deferri poterat, consensus sit requirendus. Non negamus, naturaliter ita conveniri posse, ut nonnisi consensus ejus requiratur, cui proxima spes est in feudo secundum legem contractus succedendi, & tum nonnisi invalida erit alienatio, si hujus deficiat consensus.

§. 200.

Si ad alienationem feudi requiratur & domini, & eorum, ad quos transmitti poterat, consensus; alienatio cum consensu domini, sed sine consensu horum facta adhuc irrita est. Etenim non minus hisce, quam domino competit jus sine ipsorum consensu factam alienationem irritam faciendi (§. 198. 199.). Quamobrem cum dominus consensu suo hoc jus ipsis auferre nequeat invitis (§. 336. *part.* 3. *Jur. nat.*); alienatio sine eorundem consensu facta utique irrita esse adhuc debet, etiamsi dominus consenserit. *De alienatione sine consensu domini, sed absque consensu eorum, quorum interest, facta.*

Sane si consensus domini solus efficere poterat, ut alienatio subsisteret; consensu aliorum non erat opus. Atque adeo inutiliter ita conventum fuisset, quod eorum quoque, pro quibus constitutum fuit feudum, requirendus sit consensus, utpote superfluus.

§. 201.

Si feudum ad certum tempus concessum, mortuo vasallo defertur ad eum, qui in bonis ejus succedit, & moriens id pro arbitrio suo transferre potest in alium, nisi obstet jus tertii. Ostenditur eodem prorsus modo, quo idem in casu simili de emphyteusi demonstravimus (§. 49.). *De vasallo moriente ante tempus, ad quod feudum constitutum.*

Vide quæ de eodem casu de jure emphyteuticario annotavimus (*not.* §. 49.).

§. 202.

BIU Cujas

§. 202.

Qua lege feudum alienatum, seu tale, quale ex contractu feudali primus acquirens accepit. Potest tamen in alienatione adjici lex, quæ salva ea, sub qua primum constitutum, adjici potest. Quoniam jus vasalli quoad alienationem perinde metiendum est ex contractu feudali (§. 194.), quemadmodum emphyteutæ ex contractu emphyteutico (§. 27.); propositio præsens eodem prorsus modo ostenditur, quo idem de alienatione & transmissione emphyteuseos demonstravimus (§. 50.).

Quo lege feudum alienatum transmittatur.

Tertium propositionis membrum illustratur eodem exemplo, quod de emphyteusi dedimus (*not. §. cit.*).

§. 203.

De tempore, ad quod feudum temporarium alienatur. Quoniam feudum in alterum tale transfertur, quale ex contractu feudali accepit primus acquirens (§. 202.); *si feudum ad certum tempus concessum, ultra istud tempus in alium transferri, vel transmitti nequit*, consequenter *temporo finito novus vasallus feudum amittit*. Eodem modo intelligitur, *si feudum ad dies vitæ concessum alienetur, novum vasallum amittere feudum, mortuo eo, qui ad dies vitæ acquisiverat*.

Novus vasallus succedit in locum primi acquirentis, dumque acquirit jus primi acquirentis, qui aliud, quam quod habet, in ipsum transferre nequit, personam ejus moralem induit (§. 70. *part. 1. Jur. nat.*), ut adeo revera sit eadem persona moralis, licet per alienationem individuum physicum mutetur. Neque enim repugnat, ut eadem persona moralis, quæ per se subsistere nequit, successive in diversis individuis physicis subsistat. Cum enim persona moralis sit subjectum obligationum atque jurium (§. *cit. part. 1. Jur. nat.*) §. quamdiu obligationes ac jura non mutantur, persona moralis eadem manet. Vasallus, qua vasallus, non est individuum physicum, sed persona moralis, quæ sine individuo physico subsistere nequit. Ab individuo autem physico cum nihil dependeat, quod inest personæ morali; quoad hanc perinde est, in quonam individuo physico subsistat, adeoque nec quicquam immutatur, quia in alio individuo physico nunc subsistit, quam antea subsistebat. Qui ea perpenderit, quæ de homine morali demonstrata sunt in parte prima Juris naturæ (§. 71. *& seqq.*), hactenus dicta facile capiet. Vivit autem persona moralis, quamdiu durant jura & obligationes, per quæ essentia ipsius constituitur, aut individuum quoddam datur, in quo subsistere potest, adeoque moritur, extinctis juribus ac obligationibus istis, aut nullo amplius existente individuo physico, in quo subsistere potest. Lucem hæc non modo affundunt in doctrina præsenti, verum etiam in multis aliis argumentis, ubi de personis moralibus sermo est.

§. 204.

De alienatione feudi perpetui. Similiter quia feudum in alterum tale transfertur, quale ex contractu feudali primum acquisitum (§. 202.); *si feudum in perpetuum, vel simpliciter, vel determinative pro certis personis fuerit concessum, in priori casu* quoque *simpliciter, in posteriori determinative pro istiusmodi personis, quales nominatæ fuerant in prima acquisitione, alienatur*, consequenter *in quales personas transmitti poterat a primo acquirente, in tales etiam eodem ordine transmitti potest a vasallo novo*.

Quæ supra de emphyteusi annotavimus, quatenus perpetua alienatur (*not. §. 52.*); ea etiam ad feudum applicari possunt ac debent, ut adeo nihil addendum sit, quo præsens corollarium illustretur.

§. 205.

De alienatione feudi Quoniam si feudum determinative nominatis certis personis constitutum alienatur ad istiusmodi nonnisi personas transmissibile alienatur (§. 204.), feudum autem naturaliter

BIU Cujas

raliter constitui potest vel pro solis masculis, vel pro solis fœminis, vel pro utrisque simul (§. 176.), & in casu primo feudum masculinum, in secundo fœmineum, in tertio mixtum est (§. 190.); *si feudum masculinum alienatur, masculinum manet, si fœmineum, fœmineum manet, si mixtum, mixtum* quoque *manet.* *masculini, fœminei & mixti.*

§. 206.

Immo in genere quia feudum tale alienatur, quale primum acquisitum (§. 202.), feuda autem a se invicem differunt differentia specifica (§. 236. *Ontol.*); *in alienatione non mutatur differentia, seu feudum alienatum non mutat speciem.* *An feudum alienando mutari possit species.*

Hinc inferri poterat, quod modo aliter probavimus (§. 205.), feudum masculinum manere masculinum, fœmineum fœmineum & mixtum mixtum. Inferri etiam potest, temporarium manere temporarium, perpetuum vero perpetuum: francum manere francum, ligium ligium & non ligium non ligium ac ita porro. Quodsi dicas naturaliter non repugnare, ut consensu domini feudum alienatum quoad determinationes non substantiales immutetur, veluti si masculinum, vel fœmineum mutetur in mixtum, aut non ligium in ligium vel contra; tenendum est speciem non mutari per alienationem, sed per contractum novi vasalli cum domino initum. Duo adeo distincti sunt actus, inter se minime confundendi, nimirum alienatio & feudi alienati immutatio. Hic non quæritur, utrum species feudi possit mutari in aliam, nec ne, nexu feudali in genere subsistente; sed num species mutetur per alienationem. Atque tum patet ex demonstratis, actum alienationis tale quid efficere non posse.

§. 207.

Quoniam alienando non mutatur species feudi (§. 206.), feudum vero esse potest revocabile (§. 180.), & quidem vel pure tale, vel conditionatum (§. 181.); *si feudum revocabile purum alienetur, pure revocari adhuc potest, si vero sub conditione revocabile alienetur, sub ista conditione revocabile manet.* *De alienatione feudi revocabilis,*

Ex. grat. Ponamus feudum constitui hac lege, ut, si nullus tibi fuerit filius, qui castra sequi amat, feudum revocari possit, & feudum alienetur, tibi vero nullus nascatur filius, aut saltem nullus supervixerit, te mortuo, vel quando nulla amplius spes superest, tibi filium natum iri, feudum adhuc revocari poterit. Nimirum conditio non mutatur per alienationem, ut de filio novi vasalli accipi possint, quæ de filio tuo dicta sunt: hoc enim contrariatur ei, quod modo demonstravimus (§. 202.).

§ 208.

Si feudum in perpetuum simpliciter constitutum, pro omnibus personis constitutum intelligitur, ad quas jus aliquod in re transmitti potest, nec extinguitur, quamdiu ejusmodi extat persona. Ostenditur eodem modo, quo utrumque de emphyteusi demonstratum (§. 46.). *De feudo in perpetuum simpliciter constituto & quando extinguntur.*

Relegenda hic sunt, quæ supra annotavimus (*not. §. cit.*). Quodsi de jure hæreditario jam agere datum fuisset, quod suo demum loco trademus, dicendum erat, feudum simpliciter constitutum transire ad quemlibet hæredem ab intestato, seu constitui simpliciter ut transibile ad hæredem quemlibet ab intestato. Unde intelligitur, etsi jure naturæ valeant etiam testamenta, quemadmodum suo loco demonstraturi sumus; non tamen hæredes testamentarios hic posse intelligi, nisi expresse in contractu feudali hoc fuerit permissum. Naturaliter enim non repugnat, ut vasallo per testamentum de successione in feudo disponere liceat (§. 164. 169.). Si vero hoc expresse non fuerit conventum, intelligi nequeunt nisi hæredes ab intestato, cum alias disponi posset de successione in feudo in præjudicium domini directi, ad quem res infeudata pleno jure venit, nullo hærede ab intestato existente, prouti deinceps patebit.

§. 209.

BIU Cujas

§. 209.

De contractu feudali cum vasallo novo renovando.

Si feudum alienatur, vel ex pacto feudali transmittitur ad alium; contractus feudalis cum vasallo novo renovandus. Etenim feudum tale alienatur, vel transmittitur in alium, quale primum in contractu feudali fuerat constitutum (§. 202.). Quamobrem vasallus novus domino directo ad eadem obligari debet, ad quæ vasallus anterior ipsi erat obligatus & contra, consequenter vasallus novus & dominus sibi invicem obligantur ad præstandam mutuam fidelitatem (§. 155.) & ea, de quibus præterea conventum (§. 172.). Quoniam itaque obligationes nascuntur ex contractu (§. 793. *part.* 3. *Jur. nat.*); ideo necesse est, ut cum novo vasallo contractus feudalis renovetur.

De hac contractus renovatione tanto minus dubitari potest, si perpendas obligationem vasalli ad præstandam domino fidelitatem esse personalem, quæ ex uno in alium transire non potest. Nimirum nemo sese alteri perfecte obligare potest nisi promittendo (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque necesse est, ut novus vasallus domino promittat fidelitatem ac præterea ea, ad quæ vi contractus feudalis, quo feudum primitus constitutum & acquisitum, obligatus esse debet. Quodsi objicias, promissionem hanc tacite factam intelligi posse, quatenus alienatio fieri nequit nisi salvis juribus domini directi, ex contractu feudali, quo primum constitutum fuit feudum, eidem competentibus (§. 172.); facilis est responsio, tacitam promissionem expressæ substitui non posse, nisi dominus expressam remiserit, aut ita conventum fuerit, ut ipsi alienationi, vel transmissioni feudi in alium insit tacita promissio, quæ idem operari debeat, quod expressa operatur, seu quod perinde est, ut tantum valeat, quantum valet expressa; per se autem minime inest. Nimirum si feudum alienatur, vel in alium transmittitur, id fit sub ea conditione, ut vasallus novus sese obliget domino ad fidelitatem præstandam, quia feudum subsistere nequit nisi sub conditione præstandæ fidelitatis (§. 155.). Accedit, quod novus vasallus dominum directum & feudum ab eo recognoscere debeat, ac vicissim dominus eundem tanquam vasallum suum recipere: quod etiam in emphyteusi simili modo sese habet. Utrumque vero fit contractu feudali cum novo vasallo renovato.

§. 210.

Jus exigendi renovationem contractus.

Quoniam novus vasallus obligatur ad contractum feudalem renovandum (§. 209.); *domino competit jus compellendi vasallum ad contractum renovandum, si eum renovare negligat, vel detrectet* (§. 23. *p.* 1. *Jur. nat.*).

Inutilis foret vasalli obligatio ad contractum feudalem renovandum, si dominus pati teneretur, ut eum non renovaret; adeoque obligationi illius respondet jus coactivum domini.

§. 211.

An contractu feudali non renovato feudum committatur.

Naturale non est, ut, si vasallus contractum feudalem renovare nolit, vel negligat, feudum amittat: ita tamen conveniri potest. Etenim domino competit jus vasallum compellendi ad contractum renovandum, si eum renovare negligat, vel nolit (§. 210.). Enimvero quando feudum amittitur, tum jus nullum in re feudali retinet vasallus & vasallus esse desinit, adeoque contractus feudalis renovatione, quo de feudo fuerat conventum, opus non est, consequenter ex jure vasallum compellendi ad contractum renovandum minime fluit jus eum feudo privandi. Naturale igitur non est, ut, si vasallus contractum feudalem non renovet, feudum amittat. *Quod erat unum.*

Quoniam vero a domini voluntate pendet, quas determinationes substantialibus superaddere velit (§. 164.), & de his conveniendum est in contractu feudali (§. 173.); cum amissio feudi sit pœna contractus non renovati (§. 606. *part.* 3. *Jur. nat.*), quin ita conveniri possit dubitandum non est. *Quod erat alterum.*

Pœna hæc mutuo consensu domini ac primi acquirentis determinanda naturaliter. Quando autem determinatur, definiendum quoque est tempus, intra quod vasallus novus renovationem petere debeat, nisi velit feudo privari. Quodsi enim nullum esset definitum, mora nulla officeret

BIU Cujas

ret vasallo, quamdiu dominus tacet, modo renovationem adhuc peteret, dum sciens silet, vel monitus a domino contractum cum eo statim renovaret. Alias enim sufficeret, ut praestaret quod interest (§. 629. *p.* 3. *Jur. nat.*). Nimirum naturaliter, quando quis non satisfacit obligationi suae, interesse saltem praestare tenetur: poena autem, quae in statu naturali nonnisi conventionalis esse potest, non modo in locum hujus praestationis surrogatur, ne de eo, quod interest, multum sit litigandum, cum probatio plerumque sit difficilis, verum etiam ut tanto fortius obligetur alter ad praestandum, ad quod praestandum ex contractu obligatus est, seu ut obligetur ad satisfaciendum obligationi, quae ex contractu est (§. 288. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 212.

Quod primum feudum sit acquisitum.

Naturaliter feudum statim acquiritur, quamprimum dominus sufficienter declarat, dominium utile sub conditione praestandae fidelitatis tibi competere in re debere, & tu hoc acceptas ac fidelitatem promittis. Etenim quando feudum conceditur, jus in re aliena alteri constituitur, sed ea conditione, ut alter ad fidelitatem praestandam sese obliget constituenti (§. 155.). Enimvero naturaliter jus in re aliena statim acquiritur, quamprimum dominus sufficienter declarat, tibi jus hoc competere debere & tu hoc acceptas (§. 987. *part.* 3. *Jur. nat.*), & quando tibi competere debet sub hac conditione, si te ad fidelitatem praestandam obligare velis, ubi fidelitatem promittis (§. 467. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem naturaliter feudum statim acquiritur, quamprimum dominus sufficienter declarat, dominium utile in re sub conditione praestandae fidelitatis tibi competere debere, ac tu hoc acceptas ac fidelitatem promittis.

Feudum non acquiritur nuda acceptatione, qua alias jus ab altero naturaliter statim acquiri solet (§. 13. *p.* 3. *Jur. nat.*); sed necesse est ut ad acceptationem accedat promissio fidelitatis, quia offertur a constituente sub hac conditione, ut sis fidelis. Quamobrem nec aliter acceptare potes, quam cum declaratione quod velis esse fidelis: in hac ipsa autem declaratione promissio fidelitatis consistit (§. 361. *part.* 3. *Jur. nat.*). Agitur nimirum de obligatione perfecta, quae aliter produci nequit nisi promittendo (§. 393. *part.* 3. *Jur. natur.*). In acceptatione non tam verba, quam mens acceptantis inspicienda, qualem requirat praesens negotium.

§. 213.

Quod contractu perfecto acquiratur.

Quoniam dominus in contractu voluntatem suam declarat, & vasallus quod sibi offertur acceptat ac fidelitatem promittit (§. 155. 171.); *feudum statim acquiritur, quamprimum contractus feudalis perficitur.*

Naturaliter adeo praeter contractum feudalem non requiritur alius adhuc actus ad feudum acquirendum: sed quamprimum hic perfectus est, unus contrahentium est dominus feudi, alter vasallus, etsi res feudalis nondum fuerit tradita.

§. 214.

Jus possidendi cum dominio utili conjunctum.

Qui dominium utile in re habet, ei competit jus possidendi. Etenim qui dominium utile habet, cum eidem competat jus utendi fruendi nullo modo restrictum, & proprietas aliquo modo restricta (§. 1.), re uti frui debet tanquam sua, salvo saltem jure domini directi (§. 4.). Necesse igitur est ut ipsi sit potentia physica de re feudali tanquam sua disponendi, seu ut dominium utile exercere possit, consequenter ut rem tanquam suam detineat. Quamobrem cum possessio sit detentio rei tanquam suae (§. 150. *p.* 2. *Jur. nat.*); qui dominium utile habet, rem ut possideat necesse est, consequenter jus possidendi eidem competit.

Jus possidendi cum dominio utili cohaeret. Dominus enim utilis excludit jure utendi fruendi ipsum etiam dominum directum, adeoque necesse est, ut ipse eam detineat. Quoniam vero non nudum habet jus utendi fruendi, quemadmodum usufructuarius (§. 1420. *part.* 5. *Jur. nat.*), sed proprietatem quoque restrictam (§. 1.), ut adeo ipsa quoque res sit quodammodo sua; ideo

BIU Cujas

eam quoque detinere nequit, nisi tanquam suam. Possessio itaque nemini competere potest, nisi domino utili, atque ea de causa jus rem possidendi cum dominio utili ita cohæret, ut ab eo divelli nequeat.

§. 215.

Jus possidendi quomodo acquiratur a domino utili & vasallo.

Quoniam dominium utile in re habenti *jus possidendi* competit (§. 214.), hoc ipsum *cum dominio utili statim acquiritur*, consequenter cum feudum dominium utile sit (§. 155.) & statim acquiratur, quamprimum contractus feudalis perficitur (§. 213.); *cum ipso feudo acquiritur etiam jus possidendi rem feudalem, & hoc jus statim competit vasallo, quamprimum contractus feudalis perfectus.*

Distinximus nos jus possidendi ab ipsa possessione, quando de dominio agebamus. Idem vero etiam distinguendum est a possessione in dominio utili. Quamprimum dominus utilis factus, nemini præter te jus possidendi competere potest; non tamen propterea actu rem possides. Hæc satis manifesta sunt per ea, quæ in parte secunda Juris naturæ demonstravimus.

§. 216.

De traditione & apprehensione rei feudalis.

Quoniam vasallo competit jus rem feudalem possidendi, quamprimum contractus feudalis perfectus est (§. 215.), possessio autem acquiritur rei traditæ apprehensione (§. 23. 32. *p.* 1. *Jur. nat.*); *contractu feudali perfecto dominus obligatur ad rem feudalem vasallo tradendam &, si possessio vacua fuerit, vasallus eam apprehendere, seu propria autoritate possessionem vacuam ingredi potest, nisi in specie de ea quid fuerit conventum.*

Cum traditio & apprehensio diversis modis fieri possit, immo pro varietate circumstantiarum diverso modo ut fiat conveniens sit, quemadmodum alias fuse docuimus (§. 25. *& seqq. part.* 3. *Jur. nat.*); quæ de possessione rei feudalis acquirenda dici alias poterant, lubenter omittimus, ne alibi dicta repetendo præter necessitatem prolixiores simus.

§. 217.

Quando traditio & apprehensio ipsi contractui feudali inest.

Si in contractu feudali dominus declarat, se possessionem rei feudalis in vasallum una cum dominio transferre & passurum, ut dominium in ea exerceat, vasallus vero hoc acceptat; res feudalis traditur & apprehenditur, dum contractus feudalis celebratur. Etenim ista declaratione domini possessio transferri (§. 36. *p.* 3. *Jur. nat.*) & ejus acceptatione apprehendi potest (§. 58. *p.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum ista declaratio domini & acceptatio vasalli in contractu feudali fieri possit; prædicto modo res feudalis tradi & apprehendi potest, dum contractus feudalis celebratur.

Obtinet hoc, quando res feudalis a possessione vacua, vel vasallus eam jam detinet physice. Quodsi enim res a possessione vacua nondum fuerit, necesse est ut dominus eam vacuam præstet, utut in statu naturali tu ipse eum dejicere possis, qui eam tenet. Ast possessio vix dici potest acquisita, quamdiu tibi integrum non est ipso actu disponere de usu rei (§. 24. *p.* 3. *Jur. nat.*), Naturaliter non requiritur traditio ad feudum constituendum & acquirendum, adeoque necesse non est, ut in contractu feudali, quo feudum constituitur & acquiritur, res feudalis tradatur & apprehendatur, consequenter traditio non est de essentia contractus feudalis, seu ut vulgo loquuntur ad substantialia contractus minime pertinet.

§. 218.

An traditio ad perfectionem feudi per conventionem requiri possit.

Naturaliter ita conveniri potest, ut feudi constitutio non sit perfecta, antequam res feudalis fuerit tradita. Etenim ex contractu feudali metiendum est jus, metienda quoque obligatio tam domini, quam vasalli (§. 172.). Enimvero pacta seu contractus mutuo consensu perficiuntur (§. 788. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque a contrahentium voluntate pendet, quandonam ipsorum consensus immotus intelligi debeat, ut jus pure sit acquisitum

BIU Cujas

ſitum & obligatio pure contracta. Quodſi ergo in contractu feudali conveniatur, ut feudi conſtitutio non habeatur pro perfecta, antequam res feudalis fuerit tradita; nec conſenſus pro immoto ante haberi, conſequenter nec feudi conſtitutio perfecta intelligi poteſt, antequam res feudalis fuerit tradita.

Etſi adeo naturaliter traditio per ſe non requiratur ad perficiendam conſtitutionem feudi, ſed ea potius perficiatur contractu feudali perfecto; ad illam tamen requiri poteſt per conventionem. Idem nimirum hic obtinet, quod de ſcriptura alibi oſtendimus, utrum ad perfectionem pacti requiratur, nec ne. Valet enim pactum naturaliter, antequam in ſcripturam referatur; conveniri tamen poteſt, ne ante valeat, quam in ſcripturam fuerit relatum (§. 847. *p.* 3. *Jur. nat.*). Ceterum ne dubium oriatur, quaſi conventione mutetur, quod juris naturæ eſt, ſcilicet ne feudum ſtatim acquiratur, quamprimum contractus feudalis perficitur (§. 213.); eadem notanda ſunt, quæ de ſcriptura per conventionem ad validitatem contractus requiſita annotavimus (*not.* §. 847. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quemadmodum ſcriptura per conventionem ad validitatem pacti vel contractus requiſita eſt conditio, a qua ſuſpenditur validitas contractus; ita etiam in caſu præſenti traditio habet ſe per modum conditionis, a qua perfectio conſtitutionis feudi ſuſpenditur. Quoniam naturaliter paciſcentibus etiam conditionate contrahentibus conditionem quamcunque poſſibilem adjicere licet; ita nec repugnat, ut traditio per modum conditionis adjiciatur. Poteſt vero ita quoque conveniri, ut quidem feudum ſit conſtitutum, contractu feudali perfecto, ſed veluti in diem, ita ut dies, quo traditur, ſit terminus a quo juris tibi competentis, prouti idem de ſcriptura monuimus (*not.* §. *cit.*). Neque eſt, quod objicias, in contractu feudali promittendam quoque eſſe fidelitatem, qualis tamen nulla eſt, niſi feudum conſtituatur. Etenim ſi feudum vi contractus non ante pro conſtituto haberi debeat, quam ubi fuerit tradita res feudalis; nec promiſſio fidelitatis ante valida, adeoque obligationem parit, quam re feudali tradita, quippe ſub eadem conditione facta. Quod hic demonſtratum & annotatum fuit de conſtitutione feudi, tanquam translatione dominii utilis (§. 155.), idem eodem modo intelligitur de translatione dominii pleni, vel juris cujuſcunque alterius, ita ut translatio pro perfecta non habeatur, antequam res ſive corporalis, ſive incorporalis fuerit tradita, quemadmodum jure poſitivo introductum. Sane ſi naturaliter ita conveniri minime poſſet, nec jure poſitivo ita conſtitui æquum fuiſſet.

§. 219.

Traditio rei feudalis *Inveſtitura* dici ſolet. In Jure naturæ ipſius contractus feudalis celebratio *Inveſtitura* dici poterat, præſertim ſi in eodem traditio continetur (§. 217.). *Inveſtitura quid ſit.*

Nimirum *Inveſtitura* ſignificatu generali denotat ſolennem aliquam Juris cujuſdam, quod in re conceditur, vel qualitatis, quæ perſonæ tribuitur, confirmationem vel collationem. Vide *Struvius* in Syntagm. Juris feud. c. 8. §. 1. n. 2. Unde & actus ſolennis, quo feudum conceditur a domino & a vaſallo actu acquiritur, inveſtitura vocari ſuevit. Quoniam vero jure poſitivo feudum non acquiritur niſi traditione, ideo traditio ſecundum contractum feudalem facta *Inveſtitura* dicta, eaque *propria*. Jam cum jure naturali ad feudum acquirendum non requiratur traditio, ſed id potius acquiratur contractu feudali ab utraque parte perfecto, nimirum mutuo conſenſu utrinque declarato & promiſſione fidelitatis ab accipiente facta (§. 213.); nil ſane obſtat, quo minus in Jure naturæ ipſa contractus feudalis celebratio inveſtitura vocari poſſit. Quodſi accedat traditio eo modo facta, quo in contractu celebrando fieri poteſt (§. 217.); tanto minus a ſignificatu in Jure poſitivo recepto recederetur. Immo tum revera coincidit cum *Inveſtitura*, quæ *abuſiva* dici ſolet, & quam *Struvius* loc. cit. §. 5. definit per actum, quo dominus ſigno quodam adhibito coram teſtibus jus feudi alicui fidem promittenti quaſi cedit & in vaſallum eum recipit. Si enim ea demamus, quæ ad ſolennitates pertinent, & quibus ſymbolica traditio continetur (§. 72. *part.* 3. *Jur. nat.*), jure naturæ non improbata (§. 73. *p.* 3. *Jur. nat.*); inveſtitura abuſiva non continet niſi quæ contractui feudali inſunt, quando cum eo naturaliter res feudalis ſimul traditur.

§. 220.

Quoniam naturaliter ad feudum acquirendum non requiritur traditio rei feudalis (§. 212.), niſi expreſſe aliter conveniatur (§. 218.), traditio autem rei feudalis inve- *An inveſtitura natu-*

BIU Cujas

raliter requiritur ad feudum acquirendum.

stitura est (§. 219.); *ad feudum constituendum & acquirendum naturaliter non requiritur investitura, nisi expresse ita fuerit conventum, ut feudi constitutio non ante perfecta intelligatur, quam ubi res feudalis fuerit tradita.*

Jures naturali perinde est, quomodocunque res feudalis tradatur, adeoque etiam symbolica sufficit, nisi certus tradendi modus in specie fuerit conventus, qui omnino stricte observandus (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quodsi modus tradendi non fuerit definitus, dominus eum eligere potest, qui ipsi placuerit, & rationi maxime convenit, ut is eligatur, qui circumstantiis præsentibus maxime convenit: id quod dijudicandum per ea, quæ de diversis tradendi modis demonstravimus alias (§. 25. *& seqq. part.* 3. *Jur. natur.*).

§. 221.

An promissio fidelitatis jurata esse debeat.

Naturaliter non requiritur, ut vasallus fidelitatem jurato promittat: quodsi tamen dominus putet, se nude promittenti non satis tuto credere posse, juramentum a vasallo licite exigit. Quoniam enim feudum vasallo conceditur sub conditione præstandæ fidelitatis (§. 155.), vasallus domino ad præstandam fidelitatem se obligare debet. Quamobrem cum nemo alteri sese perfecte obligare possit nisi promittendo (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*); vasallus domino fidelitatem promittere tenetur. Enimvero juramentum non novam producit obligationem (§. 903. *part.* 3. *Jur. nat.*), nec promissio, quæ per se valida non est, per juramentum valida fieri potest (§. 905. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum nuda promissione contrahat validam obligationem præstandi fidelitatem vasallus; ut eandem jurato promittat, naturaliter minime requiritur. *Quod erat unum.*

Enimvero si tui plurimum interest, ut de veritate dictorum alterius sis certus, asseveranti tamen credere non vis, juramentum licitum est (§. 916. *p.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum omnino intersit plurimum domini, ut de præstanda fidelitate a vasallo securus sit; si asseveranti se non satis tuto credere posse existimet, licitum omnino est juramentum a vasallo exigere. *Quod erat alterum.*

§. 222.

Unde dijudicandum, an promissio fidelitatis jurata esse debeat.

Quoniam naturaliter promissio fidelitatis a vasallo jurato ut fiat opus non est, dominus tamen, si ita visum fuerit, juratam promissionem ab eo exigere potest (§. 221.); *naturaliter a voluntate domini pendet, utrum promissione nuda fidelitatis contentus esse velit, an vero juratam esse malit,* consequenter cum vasallus fidelitatem promittere debeat, antequam contractus feudalis pro perfecto haberi possit (§. 212. 213.), quid vero videatur domino de jurata promissione, vasallo constare nequit, nisi is mentem suam de eadem declaret, ideo patet *a novo vasallo* etiam hoc nomine *contractum feudalem esse renovandum.*

Nimirum eo ipso dum vasallus domino jurato promittit, se pro dominio utili, quod sibi in re conceditur, fidelitatem præstiturum, contractus feudalis renovatur (§. 155. 171). Atque adeo contractus feudalis renovatio cum jurata promissione fidelitatis necessario cohæret.

§. 223.

De feudi promissione.

Si feudum ab uno promittitur, ab altero acceptatur; qui promittit obligatur alteri ad feudum constituendum: feudum vero ipsum nondum acquiritur. Etenim si quis feudum promittit, is tantummodo declarat, quod alteri feudum in re sua constituere velit (§. 361. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem qui feudum acceptat, non aliud declarare potest, quam quod velit sibi ab altero feudum constitui (§. 2. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam itaque promissio acceptatione efficitur valida, ut scilicet promissorem tibi ad præstandum id, quod se præstare velle dicit, obliges (§. 365. *p.* 3. *Jur. nat.*), quando feudum ab uno promittitur, ab altero acceptatur, qui promittit ad feudum constituendum obligatur. *Quod erat unum.*

Enim-

BIU Cujas

Enimvero quando feudum acquiritur, jus in re alterius aequiritur (§. 155.). Atat sola promissione nondum acquiritur jus in re alterius (§. 986. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo feudum ipsum nondum acquiritur, etiamsi ab uno promissum ab altero acceptatur. *Quod erat alterum.*

Constitutio feudi est actus, qui in præsens absolvitur; promissio autem actus, qui in futurum prominet. Iste absolvi nequit, nisi fidelitas actu promittatur: ast si promissio acceptatur, sufficit declaratio, quod quando feudum constituetur fidelitatem promittere, seu se ad eam præstandam acceptans obligare velit. Ad fidelitatem adeo præstandam nondum obligatus est, qui feudum promissum acceptavit, nisi specialiter ita fuerit conventum, ut fidelitas jam actu debeatur propter solam promissionem: tum vero etiam promissum acceptari aliter nequit, nisi ut fidelitas simul promittatur, quippe sub hac conditione facta, ut statim promittatur fidelitas, adeoque statim debeatur, etsi feudum ipsum non statim constituatur.

§. 224.

Quoniam promissione feudi acceptata promittens obligatur ad feudum constituendum (§. 223.), acceptatione autem sua ad id sibi obligatum habet promissarius promissorem, quod promisit, nec plus juris ab eo consecutus, quam in eum transferre voluit (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*); *si in promissione feudi certæ determinationes substantialibus fuerunt adjectæ, constituens* quoque *obligatus ad feudum cum hisce determinationibus constituendum, seu ad constituendum sub ea lege, sub qua promissum.* *Quale feudum sit constituendum, si constitutio promittatur.*

Quando itaque feudum, quod promissum fuerat, actu constituitur, nec constituens quicquam pro lubitu suo in iis immutare, nec is, cui constituendum, exigere potest, ut determinationes aliæ, quæ sibi placuerint, adjiciantur: cum enim promissa sint servanda (§. 430. *part.* 3. *Jur. nat.*), nec ultra ea promissario teneatur promissor (§. 361. *part.* 3. *Jur. nat.*), standum est determinationibus promissis, nisi mutuo consensu quicquam in hisce mutetur. Integrum nimirum est domino, si voluerit, ad alia se obligare, dum feudum constituitur, quam quæ promiserat, & ex adverso is, qui eundem sibi obligatum habet, jus suum remittere (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque dominum ab obligatione sua liberare potest (§. 97. *p.* 3. *Jur. nat.*). Atque adeo patet, dum feudum promittitur, conveniri posse de non substantialibus feudi, seu quale feudum sit constituendum. Non tamen propterea contractus feudalis initur, dum de qualitate feudi constituendi convenitur, sed saltem de modo contrahitur, quo contractus feudalis ineundus, ita ut dominus ad hunc contractum feudalem ineundum sit obligatus. Ceterum ex iis, quæ hactenus demonstrata & ad ea uberius declaranda annotata fuerunt, abunde intelligitur, promissionem feudi a constitutione ejusdem non ideo differre, quod ad constitutionem requiratur traditio, cum promissio a constitutione adhuc differat, etiamsi sola acceptatione & cum eadem connexa promissione fidelitatis feudum acquiratur. Neque adeo dum feudum, quod sub certa lege constituendum fuerat promissum ex conventione, quæ per se obligatoria non est (§. 701. *part.* 3. *Jur. natur.*), actu constituitur sub lege conventa, contractus feudalis tantummodo confirmatur, sed potius ita celebratur, prouti fuerat promissum. Obtinet idem in quovis alio contractu. Ita venditio potest promitti, & conveniri sub qua lege venditio fieri debeat; non tamen propterea venditio jam perfecta; sed potius ex ista promissione venditoris tantummodo obligatio nascitur ad rem lege conventa vendendam.

§. 225.

Quoniam feudum tale constituendum, quale fuerat promissum (§. 224.); *de feudo quale sit constituendum, conveniri potest, antequam constituatur*, consequenter *saltem promittitur*, adeoque *antequam contractus feudalis celebratur.* *An de qualitate feudi constituendi conveniri possit.*

Et hæc conventio necessaria est in statu naturali, ubi nulla feudi forma lege præscripta est, quam promissor supposuisse præsumitur.

§. 226.

BIU Cujas

§. 226.

De literis investituræ. Si contractus feudalis in scripturam redigitur, instrumentum hoc *Brevo testatum*, appellatur. Subinde etiam *Literas investituræ* vocant, quia jure positivo etiam actus investituræ huic instrumento inseritur.

Contractus feudalis & pacta adjecta jure positivo a se invicem distinguuntur, quia contractus dicitur de iis, quæ substantialia & naturalia sunt, pacta vero adjecta sumuntur de accidentalibus. Sed quoniam jure naturæ naturalia & accidentalia non differunt (*not.* §. 163.) & in contractu feudali convenitur de iis, quæ substantialibus adjicienda sunt (§. 173.); ideo nostro jure non opus est ut pacta adjecta contractui feudali contradistinguantur. Quamobrem nec opus est, ut in definiendis literis investituræ seu brevi testato eorundem in specie mentio fiat, cum omnes determinationes, de quibus conventum, ad contractum pertineant feudalem.

§. 227.

An iis sit opus. Quoniam jure naturæ in contractu feudali definiendæ sunt determinationes, quas substantialibus superaddere visum (§. 173.), a voluntate autem contrahentium pendet, quas superaddere velint (§. 164. 169.), si vero contractus feudalis in scripturam redigitur facile probari possit, quænam determinationes substantialibus superadditæ fuerint; *juri naturæ apprime convenit, ut contractus feudalis in scripturam redigatur*, consequenter *super eo breve testatum conficiatur*.

Ex contractu feudali metiendum est jus, metienda obligatio domini ac vasalli (§. 172.), ex literis vero investituræ probatur. Ceterum quæ in Jure feudali positivo, quale apud nos receptum de brevi isto testato traduntur, juris positivi unice sunt, adeoque hic non attendenda. Atque adeo litem illam non nostram facimus, num breve testatum ad solennitatem investituræ requiratur, & an paribus curiæ tanquam testibus de investitura legitime facta subscribi debeat. Dico juri naturæ convenire, ut breve testatum conficiatur; neque enim necesse est ut per scripturam probetur, quid actum fuerit, cum aliis adhuc modis probari possit, præsertim cum constanter cum novo vasallo contractus renovetur (§. 209.), sed tantummodo instrumentum hoc facit ad faciliorem probationem, simulque apertissime ostendit, quomodo contractus feudalis sit renovandus. Quoniam jus naturæ perfectivum nos obligat ad præferendum id, quod est melius (§. 193. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*); dici utique potest, quod *jure naturæ perfectivo breve testatum confici debeat*. Et hoc respectu erit necessitatis (§. 170. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), etsi feudum sine eo constituatur & acquiratur.

§. 228.

Laudemium quid sit. Honorarium, quod pro renovatione contractus feudalis domino solvendum, vocatur *Laudemium*.

Definimus vocabulum, ut supra, cum de emphyteusi ageremus (§. 34.). *Struvius* c. 10. §. 12. Synt. Jur. feud. laudemium solvi ait pro investitura, qua scilicet novus vasallus a domino recipitur, seu pro nova investitura. Enimvero cum Jure naturæ ad feudum acquirendum non requiratur investitura (§. 220.), requiratur tamen renovatio contractus feudalis (§. 209.), immo in Jure naturæ ipsa celebratio contractus feudalis investitura dici possit (§. 219.); ideo hic laudemium dari dicendum est pro renovatione contractus feudalis, nisi per investituram hanc ipsam intelligere malis.

§. 229.

In quonam consistat. Quoniam laudemium honorarium est, quod pro renovatione contractus feudalis domino a vasallo solvendum (§. 228.), honorarium vero donum pecuniarium, quod remunerandi animo datur (§. 731. *part.* 4. *Jur. nat.*); *laudemium in pecunia numerata consistit*.

§. 230.

BIU Cujas

§. 230.

Quomodo jus ad laudemium acquiratur & ejus quantitas determinetur.

An laudemium dari debeat & quando ac quantum dari debeat, mutuo consensu domini & primi acquirentis in contractu feudali determinandum. Quoniam enim laudemium praestatur, quando feudum in aliam personam transfertur, seu alienatur (§. 228.), an dari debeat laudemium & quando ac quantum dari debeat ad eas determinationes pertinet, quibus proprietas restringitur (§. 662. 664. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum in contractu feudali mutuo consensu domini ac vasalli definiendum sit, quomodo restricta esse debeat proprietas (§. 193.); in eodem quoque contractu mutuo domini ac vasalli consensu definiendum, an laudemium dari debeat & quando ac quantum dari debeat.

Quemadmodum itaque ex contractu feudali metiendum est omne jus domini ac vasalli, omnis quoque utriusque obligatio (§. 172.); ita quoque ex eodem derivandum est jus domini ad laudemium exigendum & similiter inde derivanda est obligatio vasalli ad idem solvendum. Nimirum ex definitione feudi minime fluit, domino pro eo solvendum esse laudemium, quod novum vasallum recipiat & cum eo contractum feudalem renovet (§. 155.). Pertinet adeo ad eas determinationes, quae substantialibus adjiciendae. Quamobrem cum eaedem adjiciantur in contractu feudali (§. 173.); laudemium quoque in eodem contractu definiendum.

§. 231.

An laudemium mutato domino solvendum.

Quoniam in contractu feudali determinandum, quando laudemium solvi debeat (§. 230.); *mutato domino laudemium solvendum, si ita conventum fuerit, non solvendum, si ita conventum non fuerit.*

Facile intelligitur, conventionem hanc non semper esse expressam, sed etiam tacite conveniri posse, utrum mutato domino solvendum sit laudemium, nec ne, prouti ex eo, quod expresse dictum, alterutrum necessario fluit. Ex. gr. si ita conveniatur, ut laudemium sit solvendum, quoties contractus feudalis renovatur, vel investitura renovanda, contractus vero feudalis renovandus sit domino mutato, tum etiam solvendum erit mutato domino laudemium; sin vero domino mutato renovari non debeat contractus, nec erit eodem mutato solvendum laudemium. Quodsi ita conveniatur, ut laudemium non sit solvendum, nisi quando feudum transfertur in extraneum alienando; id domino mutato solvendum non erit. Sed haec patent ex iis, quae de interpretatione pactorum tradenda posthac sunt.

§. 232.

Quando solvendum a novo vasallo.

Eodem modo patet, *laudemium non esse praestandum a novo vasallo, nisi quando per alienationem ab eo primum acquiritur, non vero, si ex lege contractus per successionem in eum devolvitur, si ita fuerit conventum.*

Haec in specie ex principio generali inferenda esse duximus, ut non miremur jure positivo de laudemio non idem esse ubivis sancitum, sed variari tam leges, quam consuetudines, neque propterea aliorum mores reprehendamus, quod cum nostris minime consentiant, immo etiam ut suo loco pateat, quaenam in jure positivo arbitrio legislatoris sint relicta. Neque enim potestatem legislatoriam intime perspicere licet, nisi in Juris naturae didiceris, quaenam paciscentium arbitrio sint relicta, ut taceam alia de jure positivo notanda, de quibus suo loco dicemus. Inprimis etiam ad talia animum advertere debet, qui intelligere voluerit, quid veritatis subsit, quando dicitur, populos sibi jura pro utilitate sua constituisse, ac constituta mutasse, & cur positiva jura non eadem sint apud omnes gentes, salva aequitate.

§. 233.

Quando laudemium nullum praestandum.

Et quoniam *in contractu feudali* determinandum, an & quantum solvi debeat laudemium (§. 230.); *si* in eodem *de laudemio nihil fuerit dictum, nullum quoque praestandum.*

Etenim

BIU Cujas

Etenim tacite conventum nil admitti potest, nisi quod ex iis, quæ expresse dicta sunt, colligitur, quando id abesse potest, salvo negotio, quod inter contrahentes gestum; veluti hic salva constitutione feudi, a qua laudemii præstatio abesse potest.

§. 234.

De obligatione novi vasalli, ut laudemium solvat.

Si laudemium a novo vasallo præstandum, feudum a præsente alienari nequit nisi cum onere præstandi laudemium. Potest tamen is cum novo vasallo convenire, vel ut a se præstandum sit laudemium, vel ut pro rata inter se ac novum vasallum dividatur: hac conventione tamen non obstante dominus sibi obligatum habet novum vasallum ad laudemium integrum præstandum. Etenim si laudemium præstandum novo vasallo, vi contractus feudalis feudum alienare non debet vasallus præsens nisi cum hac conditione, ut præstetur a novo vasallo laudemium (§. 230.). Quamobrem cum domino jus quæsitum auferri non possit (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*); quando feudum alienatur, nonnisi cum onere præstandi laudemium alienatur. *Quod erat primum.*

Enimvero cum non intersit domini, utrum laudemium solvat novus vasallus, an nomine ejus, qui feudum alienavit, & utrum novus vasallus & qui feudum alienat laudemium inter se dividant, an vasallus novus solus integrum præstet, modo integrum accipiat dominus; nil obstat, quo minus in alienatione ita conveniatur, ut, qui feudum alienat, loco vasalli novi laudemium solvat, vel ut laudemium, quod præstandum, pro rata inter eos dividatur. *Quod erat secundum.*

Denique quia vasallus feudum alienare nequit nisi cum hac conditione, ut præstetur a novo vasallo laudemium, *per demonstrata n.* 1. domino comperit jus exigendi ab hoc laudemium. Quamobrem cum hoc jus invito auferri nequeat (§. 336. *part. 3. Jur. nat.*); non obstante conventione de laudemio solvendo ab alienante, vel divisione ejusdem inter alienantem ac novum vasallum, dominus vasallum novum sibi obligatum habet ad laudemium integrum præstandum. *Quod erat tertium.*

Relegenda hic sunt, quæ in casu simili de emphyteusi annotavimus (*not.* §. 37.). Laudemii solutio onus est, quod feudo impositum, atque adeo eidem inhæret, ut adeo cum feudo transeat ad novum vasallum, consequenter cum in præjudicium domini auferri aut immutari minime possit, nulla valet de eodem sine consensu domini conventio, nisi quatenus ex ea nullum nascitur domino præjudicium. Ita igitur in alienatione conveniri nequit, ne domino sit præstandum laudemium, & quicquid ex conventione solvendum ab alienante, id non solvitur nisi nomine vasalli novi, cui jus est compellendi eum ut solvat, novo autem domino ad nihil obligatus est qui alienavit, sed is nonnisi novum vasallum sibi obligatum habet.

§. 235.

Laudemium quando exigendum.

Laudemium statim exigi potest, quando contractus feudalis fuit renovatus. Datur enim pro renovatione contractus feudalis (§. 228.). Unde porro eodem modo ostenditur, id statim exigi posse, quando contractus feudalis renovatur, quemadmodum idem ostendimus de emphyteusi (§. 39.).

Qui sumunt, laudemium dari pro consensu domini in alienationem; propositionem præsentem in sua etiam hypothesi admittere tenentur. Consensum enim dominus declarat, dum contractum feudalem cum novo vasallo renovat, quo eundem suscipit. Ex ista vero hypothesi sequeretur, mutato domino non esse solvendum laudemium, quia tunc non consentitur in alienationem a vasallo factam, nec idem præstandum esse, quando ex lege contractus in feudo succeditur, quia tunc consensu domini nullo opus est. Ratio autem, cur laudemium exigatur, generalis esse potest, nimirum ut dominium directum pariat aliquam utilitatem. Et hæc in jure naturæ attendenda tanquam motivum, cui adeo definitio laudemii repugnare minime debet. Non vero in nostro Jure quæstio est, quænam fuerit ratio, cur laudemium jure positivo ab initio fuerit introductum.

§. 236.

BIU Cujas

§. 236.

De modo restringendi dominium directum in feudo oblato.

Naturaliter non repugnat, feudum ea lege offerri, ut dominium directum sit personale, ut constituatur pro certis personis, nec sit alienabile in extraneum, ut alienari non possit nisi cum consensu vasalli. Etenim qui rem in feudum offert, conditiones offerre potest, sub quibus id constitui vult, seu significare, quas determinationes substantialibus superaddi velit (§. 169.), & hæ in contractu feudali sunt definiendæ (§. 173.). Quamobrem cum dominium directum alicui competere possit vel tanquam jus personale, ut scilicet ad solam feudum constituentis in re ad infeudandum oblata personam sit restrictum (§. 539. *part.* 3. *Jur. nat.*), vel tanquam transmissibile ad certas personas, quæ nominantur, non vero alienabile, vel tanquam alienabile in quemcunque sive cum consensu vasalli, sive sine eodem, quod per se patet; naturaliter utique non repugnat feudum offerri ea lege, ut dominium directum sit personale, ut constituatur pro certis personis, nec sit alienabile in extraneum, ut alienari non possit nisi cum consensu vasalli.

Quoniam vasallus domino obligatur, ad præstandam fidelitatem (§. 155.), subinde etiam ad servitia militaria (§. 178.); ipsius potissimum interest, cuinam fidelitatem ac servitia militaria præstet. Quamobrem feudum offerenti esse possunt rationes, cur dominium directum certo quodam modo restringat: nec aliter feudum sibi in re sua constitui velit, nisi dominio directo eo, qui ipsi placuerit, modo restricto. In feudo dato cum domini sit offerre conditiones (§. 164.), vix continget, ut dominium directum, quod sibi in re sua reservat, restringat, quamvis non prorsus impossibile sit.

§. 237.

De jure domini in dominio directo restringendo.

Si dominus in feudo dato dominium directum personale esse velit, vel nonnisi transmissibile ad certos successores, vel nonnisi alienabile cum consensu vasalli; in contractu feudali cum vasallo ita convenire licet. Etenim a voluntate domini feudum in re sua alteri constituentis, consequenter si feudum detur (§. 166.), pendet, quasnam determinationes substantialibus superaddere velit (§. 164.). Quamobrem cum determinationes, quibus dominium directum restringitur, ad substantialia minime pertineat (§. 161. 163.); ipsi utique licet eas adjicere in gratiam vasalli, quas voluerit. Quodsi ergo velit ut dominium directum non sit nisi personale, vel ut non sit nisi transmissibile ad certos successores, vel ut non sit alienabile nisi cum consensu vasalli, in contractu autem feudali definiendæ sint determinationes feudi, consequenter etiam eæ, quæ ad dominium directum pertinent, substantialibus superaddendæ (§. 173.); quin cum vasallo in contractu feudali ita conveniri possit dubitandum non est.

Feudum datum & oblatum eodem modo constitui potest, sed cum in oblato offerens, in dato constituens conditiones offerat, determinationes substantialibus superaddendæ aliæ magis conveniunt feudo dato, aliæ autem feudo oblato. Quæ adeo in feudo dato vix placuerint constituenti, in feudo autem oblato facilius locum habent; eas de feudo oblato sigillatim demonstrari consultum duximus; ne tamen quis existimet, quasi eas feudo oblato proprias esse velimus, ostendendum utique erat, non impossibile esse, ut in feudo etiam dato ita conveniatur, etsi casus raro, aut nunquam dabilis existimari debeat. Sufficit enim in Jure naturæ aliquid physice, ac moraliter possibile esse, ut ita conveniatur: de eo autem quæstio non est, quid plerumque fiat, aut quid rarius, vel vix unquam fiat, ut casus tantum non pro eo habeatur, qui dari nequit. Sane jus est domino rem suam in feudum dans dominium directum in gratiam vasalli omni possibili modo restringendi, sed propterea nondum sequitur, quod id hoc, vel isto modo restringere velit. Et vasallus, qui acceptare debet conditiones, quas offert dominus, si feudum acquirere velit, non potest sibi obligare dominum ad feudum sibi constituendum, prouti ipse voluerit, quemadmodum facere potest, si feudum offert.

BIU Cujas

§. 238.

De jure alienandi dominium directum. *Dominus directus ſine conſenſu vaſalli jus ſuum alienare poteſt, niſi aliter fuerit conventum.* Etenim quilibet jus ſuum in alium transferre (§. 12. *par.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter alienare poteſt pro lubitu (§. 662. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem etiam dominus directus jus ſuum alienare poteſt pro lubitu, adeoque ſine conſenſu vaſalli. *Quod erat unum.*

Quoniam tamen aliter conveniri poteſt (§. 236. 237.); contra jus autem vaſallo ex contractu feudali quæſitum dominus nil facere poſſit (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*); ſi ita fuerit conventum, ut non ſit alienabile, vel ut alienari non poſſit ſine conſenſu vaſalli, in priori caſu alienari non poterit dominium directum, in poſteriori non licet alienare niſi cum vaſalli conſenſu. *Quod erat alterum.*

§. 239.

Quando alienatio dominii directi invalida. Quoniam dominus directus jus ſuum alienare nequit ſine conſenſu vaſalli, ſi ita fuerit conventum, ut alienari non poſſit, vel ut ad alienationem requirendus ſit vaſalli conſenſus (§. 238.); *ſi dominus dominium directum alienet, quod alienare non poterat, aut ſi alienet ſine conſenſu vaſalli, quod ſine conſenſu ejus alienare non poterat, alienatio invalida,* adeoque *vaſallus eum, in quem jus ſuum tranſtulit dominus, pro domino ſuperiori agnoſcere non tenetur, neque ad fidelitatem præſtandam eidem ſeſe obligare.*

Nimirum in uno caſu competit vaſallo jus non patiendi, ut dominium directum alienetur, in altero ut alienetur ſine conſenſu ſuo, conſequenter alienationem actu factam irritam faciendi. In utroque nimirum caſu novus dominus vaſallo obtrudi nequit.

§. 240.

An contractus feudalis renovandus mutato domino. *Mutato domino contractus feudalis a vaſallo cum eodem renovandus.* Etenim vaſallus obligari debet novo domino ad præſtandam fidelitatem (§. 155.) & ea, de quibus præterea conventum (§. 172.). Quamobrem cum obligationes iſtiuſmodi naſcantur ex contractu (§. 793. *part.* 3. *Jur. nat.*); ideo neceſſe eſt, contractum feudalem, ex quo metienda eſt obligatio vaſalli, perinde ac domini (§. 172.), a vaſallo domino mutato renovari.

Lucem uberiorem propoſitioni præſenti affundunt, quæ ſupra de renovatione contractus feudalis vaſallo mutato annotata ſunt (*not.* §. 209.). Sane novum dominum & feudum ab eo vaſallus recognoſcere debet, novus vero dominus eundem tanquam vaſallum ſuum ſuſcipere: id quod fit in contractu feudali.

§. 241.

An novus dominus vaſallum compellere poſſit ad contractum renovandum. Quoniam mutato domino vaſallus contractum feudalem cum eodem renovare obligatur (§. 240.); *domino novo competit jus ad contractum feudalem renovandum vaſallum compellendi* (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Nimirum domini intereſt, ut de fidelitate vaſalli ſit ſecurus, & ut ſe tanquam dominum ſuperiorem is recognoſcat: Vaſallus autem cum tanquam dominus utilis ex re feudali ſolus omnem utilitatem percipiat (§. 155. 2.) parum curat, utrum dominum directum habeat, nec ne, niſi ad certas quaſdam præſtationes, ob quas feudum fuit oblatum, is eidem obligetur (§. 179.). Quamobrem obligatio renovandi contractum feudalem tenet vaſallum, dominum autem nonniſi obligatio in contractu feudali, dum renovatur, nil pro lubito ſuo immutandi. Jus itaque, quod obligationi contractus renovandi reſpondet, coactivum ad dominum pertinet.

§. 242.

BIU Cujas

§. 242.

An in renovatione contractus feudalis quidpiam immutare liceat.

Quando contractus feudalis renovatur ſine domino, ſive vaſallo mutato; dominus pro lubitu ſuo nihil in eo immutare poteſt. Etenim quando dominus mutatur, dominium directum tranſit in alium. Quamobrem cum nemo ab altero plus juris acquirere valeat, quam quod ipſe habet, quod per ſe patet; tale erit jus novi domini, quale ex contractu feudali competebat domino anteriori (§. 172.). Quoniam itaque novus dominus plus juris ſibi arrogare nequit in vaſallum, neque etiam jus ex contractu feudali vaſallo quæſitum (§. *cit.*) eidem adimere poteſt (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*); ſi mutato domino contractus feudalis renovatur, novus dominus nihil pro lubitu in eodem immutare poteſt.

Quodſi vaſallus mutetur, feudum alienatur vel tranſmittitur in alium tale, quale ex contractu feudali accepit primus acquirens (§. 202.). Quamobrem quando contractus feudalis renovandus, cum ex eo metiendum ſit jus novi vaſalli, ejus etiam obligatio (§. 172.); dominus in contractu feudali, quando renovatur, in gratiam ſui ac præjudicium vaſalli, conſequenter pro lubitu ſuo nihil immutare poteſt.

Dico, in contractu a domino nihil pro lubitu immutari poſſe, quando is renovatur. Quodſi enim ponamus, mutuo domini ac vaſalli, nec non eorum, quorum intereſt, conſenſu quædam immutari; id ad præſentem caſum non pertinet, ubi dominus hoc facere velle ſupponitur parte altera invita.

§. 243.

Quando mutato domino contractus renovatione non ſit opus.

Si in contractu feudali vaſallus promittit, quod non modo dominum præſentem, verum etiam futurum alium quemcunque, vel ſucceſſorem legitimum pro domino ſuperiori recognoſcere velit eidemque fidelitatem præſtare; mutato domino, renovatione contractus opus non eſt. Etenim cum promittendo perfecte alteri obligemur (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*); ſi vaſallus in contractu feudali promittat, quod etiam domino novo fidelitatem præſtare eundemque pro domino ſuperiori agnoſcere velit, quoniam contra promiſſorem pro vero habetur, quod ſufficienter indicat (§. 428. *p.* 3. *Jur. nat.*), idem quoque domino novo ad fidelitatem præſtandam obligatus eſt, & vi illius promiſſionis eundem pro domino ſuperiori agnoſcere tenetur. Quoniam itaque jam perfecte obligatus eſt ad fidelitatem præſtandam & dominum directum recognoſcendum non opus eſt, ut nova promiſſione obligationem jam contractam confirmet, conſequenter cum eo fine contractus feudalis renovandus foret, ejuſdem renovatione opus non eſt.

Nimirum promiſſio, quæ fit futuro domino, dum te præſenti obligas, æquipollet conditionatæ, ſi contingat dominum mutari, te novo quoque domino fidelitatem præſtare velle, vel etiam te fidelitatem præſtiturum novo domino, ſi dominium directum in eum transferri, vel tranſmitti contingat. Exiſtente adeo conditione, hoc eſt, dominio directo in eum translato ſeu devoluto, promiſſio conditionata fit pura (§. 529. *part.* 3. *Jur. natur.*), atque adeo perinde eſt, ac ſi novo huic domino jam pure promiſiſſes præſtationem fidelitatis ac recognitionem dominii directi. Neque eſt quod excipias, mutato præſertim domino per alienationem, promiſſionem conferri in perſonam incertam. Ecquis enim negaverit promiſſionem in perſonam promittenti incertam collatam eſſe poſſe obligatoriam? Sane ſi luſuris, etiamſi nondum noris, quinam ſit victor extiturus, aut quinam luſuri ſint, promittas, te vincenti daturum nummum aureum; hoc non obſtante nemo negare auſit, te victori, ludo finito, obligatum eſſe ad nummum aureum dandum. Quodſi vero conveniatur, ut non obſtante hac promiſſione, quam diximus, contractus tamen feudalis cum novo domino ſit renovandus; tunc promiſſio illa ſaltem producit obligationem ad contractum feudalem renovandum. Inſpicienda nimirum eſt mens contrahentium, qualem manifeſtant verba conjunctim ſumta (§. 428. *part.* 3. *Jur. nat.*). Sed talia manifeſtiora evadent per ea, quæ poſthac de interpretatione dicturi ſumus.

BIU Cujas

§. 244.

De fidelitate determinanda. *Fidelitas mutuo consensu in contractu feudali determinanda.* Etenim fidelitas complectitur quævis officia humanitatis, ea præsertim, quibus damna avertuntur, ac commoda promoventur (§. 154.). Quamobrem cum horum officiorum non exiguus sit numerus, & domino feudi intersit, ut hæc inprimis ipsi præstentur officia, quorum scilicet respectu feudum constituere alteri voluit in re sua, immo cur feudum oblatum acceptare voluerit; ideo mutuo consensu determinationes fidelitatis definiri debent (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*). Quoniam itaque fidelitas in genere spectata ad substantialia feudi pertinet (§. 161.), determinationes vero, quas substantialibus superaddere visum est, in contractu feudali definiendæ sunt (§. 173.); fidelitas in contractu feudali mutuo consensu determinanda.

Obtinet hoc etiam jure positivo, in quo fidelitas ad certa capita reducitur, & in jurata promissione sigillatim enumerantur ea, ad quæ vasallus obligari debet domino (*not.* §. 154.). Quamvis adeo fidelitas in genere spectata omnia officia humanitatis complectitur (§. 154.); ea tamen ad certa officia restringi in specie potest, quemadmodum proprietas tam quoad dominium utile, quam quoad directum restringitur.

§. 245.

Obligatio vasalli ad præstandam fidelitatem qualis sit. Quoniam fidelitas mutuo consensu in contractu feudali determinatur (§. 244.), ex contractu autem obligationes perfectæ nascuntur (§. 793. *part. 3. Jur. nat.*); *ad fidelitatem conventam præstandam vasallus domino & dominus vasallo perfecte obligatur*, consequenter *domino competit jus vasallum compellendi ad fidelitatem conventam præstandum, &, ubi non fecerit, vasallus ipsi tenetur ad id, quod interest* (§. 629. *part. 3. Jur. nat.*), *nisi pœna fuerit conventa, quæ tum præstanda* (§. 611. *part. 3. Jur. nat.*).

Atque jam clarius adhuc eluceſcit neceſſitas fidelitatem mutuo conſenſu in contractu feudali determinandi. Ea enim generaliter ſpectata officia humanitatis quævis complectitur (§. 154.), quæ naturaliter nonniſi imperfecte debentur (§. 436. *part. 3. Jur. nat.*), in perfecte autem debitum abeunt, ſi ad ea mutuo conſenſu te alteri obligas (§. 437. *part. 3. Jur. nat.*), hoc eſt, ea alteri acceptanti promittas (§. 393. 365. *p. 3. Jur. natur.*). Quoniam nimirum ad fidelitatem præſtandam perfecte ſeſe obligare debet vaſallus, abſonum vero foret, vaſallum ſeſe promiſcue obligare debere ad quævis humanitatis officia præſtanda, cum hoc pacto ſeſe obligaret in multis, quæ in poteſtate ſua non ſemper ſunt, neceſſe tamen ſit, ut obligationes perfectæ ſint certæ; ideo de fidelitate conveniri debet, qualis præſtanda ſit. Quatenus enim fidelitas conventa, perfecte debetur; quatenus vero non conventa, hoc eſt, quoad certa officia humanitatis, nonniſi imperfecte debetur, ſeu quoad ea naturalis obligatio ſubſiſtit, quæ nullum dat domino jus compellendi vaſallum ad præſtationem. Quamvis vero obligatio perfecta ad officia humanitatis libertati naturali repugnet (§. 660. *p. 1. Jur. nat.*), ut adeo natura nemini competat jus alterum ad officia humanitatis ſibi præſtandum vi adigendi (§. 236. *part. 1. Phil. pract. univ.*); tamen non obſtat, quo minus nos ad officium aliquod humanitatis alicui præſtandum perfecte obligemus, ut ipſi competat jus ad id præſtandum nos cogendi, atque quoad hunc actum reſpectu ipſius libertatem noſtram naturalem reſtringamus, immo particulam ejus hoc pacto alienemus. Actus iſti cum antea non ſubeſſent juri alterius, ſed a voluntate tua penderent, accedente obligatione perfecta ex pacto jam ſubſunt juri alterius, ut is eos imperare, tu vero eoſdem denegare non poſſis.

§. 246.

De fidelitate domini conventa. Quoniam fidelitas mutuo conſenſu in contractu feudali determinanda (§. 244.), feudum vero conſtituitur ſub conditione mutuæ fidelitatis (§. 155.); *ita* etiam *conveniri poteſt in contractu feudali, ut dominus vaſallo obligetur ad protectionem præſtandam*; cumque qui rem in feudum offert, conditiones offerre poteſt, ſub quibus id conſtitui vult (§. 169.); *feudo oblato maxime convenit, ut dominus vaſallo ad protectionem præſtandam, aut ad præſtandum aliud quidpiam eidem obligetur.*

Nimi-

BIU Cujas

Nimirum si feudum datur, dominus idem vasallo constituit in re sua (§. 166.); quando autem offertur, idem constituitur vasallo in re, quæ antea pleno jure ipsius erat (§. 168.). Quamobrem cum in casu priori vasallus acquirat, quod antea nondum habebat; in posteriori autem jus, quod antea in re habuerat, imminuatur; ac præterea dominium utile, quod cum præstatione fidelitatis conjunctum est (§. 155.), oneretur (§. 585. *part. 3. Jur. nat.*); feudo oblato utique magis convenit, ut dominus, qui dominium directum acquirit, quod antea non habuerat, ad aliquid vicissim præstandum vasallo obligetur, quam feudo dato, ubi nulla ratio intrinseca est, cur dominus ad aliquam præstationem obligari debeat, sed sponte sua hoc facere debet. Quoniam tamen rationes extrinsecæ adesse possunt sive ex parte dantis, sive ex parte accipientis, cur hoc faciat dominus alteri in re sua feudum constituens: ideo non repugnat feudo dato, ut etiam dominus vasallo ad singularem quandam præstationem sese obliget.

§. 247.

Obligatio domini ad certas præstationes qualis sit.

Ad præstationem conventam dominus vasallo perfecte obligatur, & huic competit jus dominum ad eam compellendi. Etenim in contractu feudali convenitur, utrum dominus ad quædam præstanda vasallo obligatus esse debeat, nec ne (§. 246.). Quamobrem cum ex contractu oriantur obligationes perfectæ (§. 793. *part.* 3. *Jur. nat.*); ad præstationem conventam dominus vasallo perfecte obligatur. *Quod erat primum.*

Quoniam obligatio perfecta parit alteri, cui obligatus es, jus te cogendi ad præstandum id, ad quod obligatus es (§. 236. *part.* 1. *Phil pract. univ.*), obligatio vero domini ad præstationem conventam perfecta est, *per demonstrata;* vasallo quoque competit jus dominum compellendi ad præstandum id, de quo in contractu feudali conventum. *Quod erat alterum.*

Obligatio perfecta dominio directo minime repugnat. Consistit enim dominium directum in parte quadam proprietatis (§. 3.), in contractu feudali specialius determinata (§. 173.), ut vi ejusdem de ipsa substantia rei modo convento disponere possit dominus, nec pati debeat, ut pro suo lubitu sine ipsius consensu disponat vasallus. Hoc jus subsistere potest, etiamsi dominus ad quædam facienda vasallo perfecte obligetur. adeoque perfecta obligatio dominio directo minime repugnat. Quæ sibi mutuo repugnant, ea simul in eodem subjecto locum habere nequeunt.

§. 248.

Quomodo cessante præstatione conventa feudum extinguatur.

Ita etiam conveniri potest, ut, si dominus non præstet id, de quo in contractu feudali conventum, res feudalis pleno jure sit vasalli, & ex adverso, si vasallus non præstet id, de quo conventum, eadem pleno jure sit domini. Etenim a voluntate tam feudum constituentis (§. 164.), quam offerentis pendet, quas determinationes substantialibus superaddere velint (§. 169.), & hæ in contractu feudali definiendæ (§. 173.), adeoque de his conveniendum (§. 788. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam itaque per se patet, possibilem esse conventionem, ut, si pars alterutra non præstet id, de quo conventum est in contractu feudali, res feudalis esse desinat & pleno jure fiat partis alterius, cui non præstatur, quod debetur; ita omnino etiam conveniri potest, ut, si dominus non præstet id, de quo conventum, res feudalis pleno jure sit vasalli, & ex adverso, si vasallus non præstet id, de quo conventum, eadem pleno jure sit domini.

Nihil in hac conventione iniqui. Etenim si vasallus non præstet, ad quod præstandum obligatus, propterea quod ipsi dominium utile conceditur in re feudali, a pacto, quo jus suum acquisivit (§. 171.), recedit. Quamobrem nec dominus obligatur stare pacto & vasallo concedere dominium utile (§. 827. *part.* 3. *Jur. nat.*). Idem eodem modo intelligitur de vasallo, si dominus præstare nolit id, ad quod præstandum sese ipsi obligavit. In casu adeo priori nihil amplius juris in re feudali habet vasallus, in posteriori dominus, adeoque pleno jure in illo res fit domini, in hoc autem vasalli. Convenit posterius inprimis feudo oblato, prius feudo dato; quoniam scilicet rationes, cur ita conveniatur, facilius sese offerant in uno feudorum genere, quam in altero. Possunt tamen etiam esse rationes, cur utroque modo in utroque genere conveniatur. Rationes istæ cum sint motiva feudi dandi, vel offerendi (§. 887. *Psych. emp.*), ubi de jure quæstio est, quod ex contractu metiendum (§. 172.), in quo ineundo liberum regnat con-

BIU Cujas

contrahentium arbitrium (§. 164. 169.), minime attenduntur. Ad eas tantummodo animum advertere debemus, ubi judicium fieri debet, num casus aliquis sit facile dabilis & quando detur. Et qui hoc, vel alio modo conveniunt, rationes istas perpendere tenentur, ne imprudenter agant. Pertinent eædem ad animum deliberatum promissoris & promissarii (§. 394. 395. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum de animo deliberato promissoris statuendum non sit promissario, nec de animo deliberato promissarii promissori (§. 424. *part.* 3. *Jur. nat.*); rationes quoque istæ non attenduntur, ubi de juribus ab alio acquirendis & de obligationibus contrahendis agitur.

§. 249.

De feudo ab alio, quam constituente recognoscendo.

Feudum quoque in re sua quis alteri ita constituere potest, ut dominium directum competat *tertio & vasallus ab eo feudum recognoscere debeat.* Etenim de re sua quilibet disponere potest pro arbitrio suo vi dominii (§. 118 *p.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem si cui visum fuerit, ut dominium directum in eadem in unum, utile in alium transferat; quin hoc fieri possit dubitandum non est. Et quoniam jus quoddam in alium transferre potest sub ea lege, sub qua ipsi visum fuerit (§. 11. *p.* 3. *Jur. nat.*); dominium quoque utile in alium transferre potest ea lege, ut alteri, in quem dominium directum translatum est, ad fidelitatem præstandam sit obligatus. Quoniam itaque feudum constituitur, quando alteri conceditur dominium utile sub conditione præstandæ fidelitatis (§. 155.); feudum quis in re sua ita constituere potest, ut dominium directum competat tertio, & vasallus ab eodem feudum recognoscere debeat.

Datur nimirum res ea lege, ut sit feudalis & feudum recognoscatur a certo tertio. Quando quis feudum constituit, dominium utile in vasallum transfert, directum sibi reservare solet (§. 155.). Quemadmodum vero directum dominium sibi reservatum in alium transferre potest; ita multo magis idem, quod sibi reservare potest, statim in alium transferre valet. Cumque vasalli jus & obligatio ex contractu, quo feudum constituitur & acquiritur (§. 171.), metienda sint (§. 172.); vasallus quoque tum dominum directum agnoscere tenetur eum, eidemque ad fidelitatem præstandam sese obligare, cui dominium directum conferre voluit constituens.

§. 250.

De re data, ut feudum in ea tertio constituatur.

Quoniam perinde habendum, sive dominus feudum in re ita constituat, ut dominium directum non sibi reservet, sed tertio cuidam id competat, sive alicui rem suam det ea lege, ut alteri cuidam feudum in eadem constituat, prius autem fieri potest (§. 249.); *quilibet* quoque *rem suam alteri dare potest ea lege, ut feudum tertio cuidam in eadem constituat*, consequenter *ad feudum constituendum huic obligatus sit.*

Consultius est, ut dominus ipse feudum constituat uni & dominium directum transferat in alterum, cum ita breviori via obtineatur, quod intenditur: præstat enim aliquid statim acquirere, quam alterum sibi obligatum habere ad id præstandum. Accedit, quod constituens præscribere possit determinationes substantialibus adjiciendas (§. 164.). Quodsi ergo res detur simpliciter sub hac conditione, ut feudum tertio constituatur in eadem; arbitrio ejus relictum videtur, quas determinationes, qui dominium directum sibi reservare debet, adjicere velit, ut adeo vasallus magis onerari possit, quam visum fuerat danti. Tacemus alia, quæ adhuc dici poterant.

§. 251.

An in re aliena feudum alteri quis constituere possit.

In re aliena nemo alteri feudum constituere potest. Etenim quando alicui feudum constituitur, jus eidem constituitur in re quadam (§. 155.). Enimvero cum præter dominum nemo alteri jus quoddam in re aliqua constituere possit (§. 983. *part.* 3. *Jur. nat.*), consequenter nemo in re aliena, seu quæ sua non est, alteri jus constituere queat; in re quoque aliena, seu quæ sua non est nemo alteri feudum constituere potest.

§. 252.

BIU Cujas

§. 252.

Quoniam in re aliena nemo alteri feudum constituere potest (§. 251.), *si putes rem esse tuam, quæ non est, & in ea alteri feudum constituas, constitutio nulla est. Idem etiam valet de malæ fidei possessore, vel si quis sciens hoc facit.* *Constitutio feudi a non domino facta non valida.*

Quodsi enim constitutio valida esse deberet, domino liceret jus suum auferre: id quod absurdum (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quando itaque dominus rem suam vindicat (§. 544. *part.* 2. *Jur. nat.*); vasallus eam restituere tenetur, quia a non domino jus nullum acquirere potuit, sive is bona fide, sive mala fide rem possedit.

§. 253.

Si ignoranti feudum constituitur in re propria; feudi constitutio nulla est. Etenim feudum constituitur per contractum feudalem (§. 170. 171.). Quodsi ergo ignoranti feudum constituitur, error dat causam contractui, cum per se pateat, dominium utile, quale est feudum (§. 155.), in dominum transferri non posse, qui plenum dominium habet. Enimvero si error dat causam promisso adeoque pacto (§. 788. *p.* 3. *Jur. nat.*), pactum invalidum est (§. 569. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam non valet contractus feudalis, consequenter feudi constitutio nulla est, si ignoranti feudum constituitur in re propria. *De re propria ignoranti in feudum data.*

Ostenditur etiam hoc modo. Si res, in qua alter tibi feudum constituit, tua est, cum tu dominium plenum in ea habeas (§. 124. *part.* 2. *Jur. nat.*), nihil juris constituenti in eadem est (§. 120. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum constituens dominium utile in te transferre debeat (§. 155.), ipse autem hoc non habet, sed id tibi jam competat *per demonstrata*; si tibi ignoranti feudum constituitur in re propria, constitutio nulla est.

Si tibi in re propria feudum constituitur, dominium directum tibi adimitur, nullum vero jus in te confertur. Quodsi ergo constitutio feudi subsistere deberet, tibi invito adimeretur jus & alteri obligareris contra voluntatem tuam: quod fieri haudquaquam potest (§. 336. *part.* 2. & §. 382. *part.* 3. *Jur. natur.*).

§. 254.

Si scienti feudum constituitur in re propria; feudum oblatum constitutum intelligitur. Qui enim scit rem esse suam & hoc non obstante in hoc consentit, ut sibi ab altero feudum in ea constituatur; cum nemo alteri feudum in re constituere possit, nisi dominus (§. 165.), consequenter in re, quæ sua est (§. 124. *part.* 2. *Jur. nat.*), is rem suam alteri dare intelligitur, sub hac conditione, ut ipsi feudum in eadem constituatur (§. 167.). Quoniam itaque feudum oblatum est, quod danti constituitur in re data (§. 168.); si scienti feudum constituitur in re propria, feudum oblatum intelligitur constitutum. *De feudo scienti in re propria constituto.*

Nimirum qui consentit, ut dominium utile in se transferatur ab altero, & is sibi reservet directum, is omnino consentire debet, ut res, quæ sua est, sit alterius, quæcunque tandem sint rationes, cur hoc velit, in præsenti minime attendendæ (*not.* §. 248.). Quodsi enim nollet, rem, quæ sua est, alterius esse debere, non sibi pateretur feudum in ea constitui, sed dominium plenum retineret, quod in re habet. Ex iis, quæ dicuntur & aguntur, judicandum est, quænam sit mens contrahentium (§. 427. *part.* 3. *Jur. nat.*). Atque hoc verum est, sive is, qui feudum constituit, ignoret, rem esse ejus, cui feudum constituitur, sive hoc noverit. De ejus enim mente tantummodo quæritur, quænam sit, cui feudum constituitur. Quodsi enim constituens rem possideat & alter nollet, eam alterius esse deberé; non pati deberet, feudum sibi in re sua constitui, sed eam vindicare (§. 544. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam igitur rem vindicare non vult, sed potius patitur, ut alter de re instar domini disponat (§. 165.); ipso facto declarat, velle sese ut res sit alterius, quod feudum sibi in ea constitui velit: quod omnino idem est ac dare alteri rem suam sub hac conditione, ut feudum sibi in ea constituatur.

§. 255.

BIU Cujas

§. 255.

De feudo in re communi constituendo. *In re communi unus sine consensu ceterorum feudum constituere nequit, nec eam in feudum alteri offerre potest. Omnium tamen consensu res communis & in feudum dari, & offerri potest.* Quodsi enim res pluribus fuerit communis, nullus actus dominii validus absque consensu ceterorum, qui in communione sunt (§. 141. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum feudi constitutio sit actus dominii (§. 165.), & cum rem in feudum alteri offerens eam eidem det sub hac conditione, ut feudum in eadem sibi constituatur (§. 167. 168.), adeoque etiam oblatio in feudum actus dominii sit (§. 676. *part.* 2. *Jur. nat.*); unus quoque in re communi sine consensu ceterorum feudum constituere nequit, nec eam alteri in feudum offerre potest. *Quod erat primum & secundum.*

Enimvero cum in communione positiva omnes conjunctim sint dominus (§. 127. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque unanimi consensu de re communi pro arbitrio suo disponere possunt (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*); quin omnes simul qui in communione positiva sunt, unanimi consensu & rem communem in feudum dare, & offerre possint, dubitandum non est. *Quod erat tertium & quartum,*

§. 256.

An rei communis pars divisa in feudum dari possit. *Qui in communione positiva est, partem rei communis divisam nec in feudum dare, nec offerre potest.* Qui enim in communione positiva est, pro parte indivisa dominium in ea habet (§. 126. *p.* 2. *Jur. nat*), consequenter de parte divisa disponere nequit pro lubitu suo. Quamobrem cum pro parte divisa de re communi disponat, qui eandem vel in feudum dat, vel offert; qui in communione positiva est, partem rei communis divisam in feudum dare, aut offerre nequit.

Ex. gr. Competit tibi dominium in re indivisa pro parte quinta; non tamen ideo licet alteri in parte quinta rei feudum constituere, vel partem quintam dare alteri, ut tibi feudum in eadem constituat. Antequam enim alterutrum fieri possit, dominium tibi competere debet in parte quinta a toto separata, quo facto non amplius tanquam pars rei communis consideratur (§. 132. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 257.

Differentia dominii rerum, quae usu consumuntur & non consumuntur. *Si res usu non consumitur, dominium directum ab utili separabile, si vero usu consumitur, inseparabile est.* Etenim si res usu non consumitur, re uti frui licet salva rei substantia, quod per se patet. Quamobrem cum jus disponendi de substantia rei sit proprietas (§. 131. *part.* 2. *Jur. nat.*), jus vero disponendi de usu ac fructu rei jus utendi fruendi (§. 135. *part.* 2. *Jur. nat.*); si res usu non consumitur, proprietas, consequenter etiam aliqua ejus pars a jure utendi fruendi separabilis est. Enimvero jus utendi fruendi cum parte quadam proprietatis dominium utile (§. 1.), pars vero reliqua proprietatis dominium directum est (§. 3.). Quodsi itaque res usu non consumitur, dominium directum ab utili separabile. *Quod erat unum.*

Si res usu consumitur, re uti non licet salva substantia, quod per se patet, consequenter nec de usu rei disponi potest, nisi simul disponatur de ipsa substantia rei. Quoniam itaque jus disponendi de usu ac fructu rei est jus utendi fruendi (§. 135. *part.* 2. *Jur. nat.*), jus autem disponendi de substantia rei proprietas (§. 131. *part.* 2. *Jur. nat.*); nemini competere potest jus utendi fruendi absque proprietate, adeoque proprietas a jure utendi fruendi inseparabilis. Quamobrem cum in jure utendi fruendi cum parte quadam proprietatis dominium utile, in parte proprietatis reliqua dominium directum consistat (§. 1. 3.); si res usu consumitur, dominium directum ab utili inseparabile est. *Quod erat alterum.*

Po-

BIU Cujas

Potest aliquis re uti frui, quamvis non habeat dominium plenum, si ea usu non consumitur; ast non potest, nisi habeat dominium plenum, si ea usu consumitur, ut adeo dominium plenum in eum transferendum sit, cui concedendus est usus (§. 508. *part.* 4. *Jur. nat.*).

§. 258.

Quoniam dominium directum ab utili separabile, si res usu non consumitur; inseparabile vero est, si ea usu consumitur (§. 257.), quando veru feudum iu re constituitur, dominium directum dominus retinet, utile in vasallum transfertur (§. 156. 158.); *res, quæ usu non consumitur, per se apta est, ut feudum in ea constituatur, res vero, quæ usu consumitur, per se apta non est, ut feudum in ea constituatur*, consequenter *res, quæ usu non consumitur, proprie loquendo infeudari potest, quæ vero usu consumitur, proprie loquendo infeudari nequit* (§. 156.). *Quænam res ad infeudandum apta, quænam non sint.*

Si a fixo termini significatu recedere nolis, vago admisso, quod in Jure naturæ minime licet, in quo ex rerum notionibus de jure ac obligationibus statuendum; in re consumtibili feudum constitui dici nequit, cum feudi definitio in rem consumtibilem minime quadret. Quamdiu itaque proprie loqui volueris, dicendum est in nostro jure, rem consumtibilem infeudari non posse, consequenter non dari feudum in re, quæ usu consumitur, constitutum. Enimvero cum nec juri naturæ repugnet, ut per fictionem quandam jura quædam aliis, rerum notionibus conventionibus, assimilentur; ideo quæritur, annon fictione quadam admissa res consumtibilis haberi possit pro inconsumtibili, adeoque in illa constitui queat jus quoddam, quod feudum imitatur, ut quasi pro feudo haberi possit, quemadmodum vidimus, quasi usumfructum constitui posse in re per se minus apta, ut ususfructus in ea constituatur (§. 1511. *part.* 5. *Jur. nat.*). Atque ea de causa diximus rem consumtibilem per se minus aptam esse, ut in ea feudum constituatur, ne videamur negasse, quasi arte effici nequeat apta, ut in eadem constituatur jus, quod feudum imitatur, hoc est, quasi feudum.

§. 259.

Feudum constitui potest in omnibus rebus, mobilibus ac immobilibus, etiam incorporalibus, quæ usu non consumuntur. Etenim si res usu non consumitur, per se apta est, ut feudum in ea constituatur (§. 258.). Quamobrem cum nihil interest, utrum res sint corporales, an incorporales, utrum mobiles, an immobiles, modo usu non consumantur, ut feudum in iis constitui possit; feudum utique constitui potest in rebus omnibus, mobilibus ac immobilibus, etiam incorporalibus, quæ usu non consumuntur. *De rebus, quæ infeudari possunt.*

Nimirum res ad infeudandum apta est per hoc, quod dominium directum ab utili sit separabile, adeoque uni competere possit directum, alteri utile (§. 156.). Quamobrem cum hæc separabilitas dependeat ab eo, quod usu non consumatur; per hanc solam quoque ad infeudandum apta est, consequenter in infeudatione attendendum non est, utrum immobilis sit, an mobilis, utrum corporalis, an incorporalis. Atque ideo tam res mobilis, quam immobilis, tam corporalis, quam incorporalis proprie loquendo infeudari posse dicitur, modo sit in rerum non consumtibilium numero. Ita non minus proprium feudum constitui potest in jure venandi, vel piscandi in aliquo districtu, quam in prædio aliquo. Similiter non repugnat, ut feudum constituatur in vasis argenteis aliisque rebus pretiosis nec non in pecoribus, jumentis ac utensilibus. Multum affinitatis habet cum usufructu feudum, cum ususfructus in feudum abeat, si quædam pars proprietatis ad eundem accedit (§. 155. *h.* & §. 1420. *part.* 5. *Jur. natur.*), ut adeo feudum contineat usumfructum & plus tantummodo juris in re feudali habeat vasallus, quam usufructuarius in re fructuaria. Multa igitur usufructui ac feudo communia sunt.

§. 260.

Quoniam feudum constitui potest in rebus incorporalibus, quæ usu non consumuntur, seu utendo fruendo non extinguuntur (§. 259.), in earum vero numero est etiam jus percipiendi proventus metallicos, inprimis kuckuum, seu partium metallicarum (§. 459. *part.* 5. & §. 498. *p.* 1. *Jur. nat.*); *feudum* etiam *constitui potest in jure percipiendi proventus metallicos, vel proventus partium metallicarum.* *De infeudatione juris percipiendi proventus metallicos.*

BIU Cujas

Tum nimirum non infeudatur fodina, ex qua metalla eruuntur, ut metalla effossa spectentur tanquam fructus fodinæ: sed jus percipiendi proventus ex metallis effossis, qui spectantur tanquam fructus istius juris, quemadmodum alibi jam monuimus (*not.* §. 1433. *p.* 5. *Jur. nat.*).

§. 261.

De infeudatione juris in re communi.

Qui in communione positiva est, jus suum, quod in re indivisa habet, infeudare, seu in feudum & dare, & offerre potest. Quilibet enim, qui in communione positiva est, ratam suam, hoc est, jus suum, quod in re indivisa habet, in alium transferre potest (§. 143. 144. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam itaque jus istud usu non extinguitur, adeoque accensendum rebus, quæ usu non consumuntur, quod per se patet, feudum vero constitui potest in rebus omnibus, quæ usu non consumuntur, etiam incorporalibus, adeoque juribus (§. 498. *part.* 1. *Jur. nat.*), quæ usu non extinguuntur (§. 259.); res autem infeudatur, in qua feudum constituitur (§. 156.), & quando infeudatur, vel in feudum datur, vel offertur (§. 166. 168.); qui in communione positiva est, jus suum, quod in re indivisa habet, infeudare, seu in feudum dare & offerre potest.

Infeudatio juris minus quidpiam est, quam translatio totalis in alium: neque enim in infeudatione jus omne alienatur, sed in feudo dato saltem dominium utile, in oblato nonnisi directum, consequenter quando res infeudatur, aliquid juris adhuc remanet apud eum, qui dominium plenum in ea habebat. Quamobrem quin jus totum in alium transferre possit dubitandum non est.

§. 262.

De jure in re communi infeudato divisione illius facta.

Si qui in communione positiva est, jus suum, quod in re indivisa habet, infeudet & res communis postea dividitur; feudum constitutum intelligitur in ea parte, quam is accipit, qui jus suum infeudavit. Etenim cum nemo quicquam facere possit, quod est contra jus tertii (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*); nec jus suum, quod quis in re indivisa communi habet, infeudare potest nisi salvo jure ceterorum, qui una cum ipso in communione positiva sunt. Quoniam igitur nemo cogi potest, ut invitus maneat in communione positiva, nisi specialiter prohibitum sit, ne communio tollatur ab eo qui prohibendi jus habet (§. 147. *part.* 3. *Jur. nat.*), & quando a communione receditur, res pro rata dividenda inter eos, qui in eadem sunt (134. *p.* 3. *Jur. nat.*); nec infeudatione juris, quod uni competit in re communi pro parte indivisa tolli potuit jus a communione recedendi & pro rata inter eos, qui in eadem sunt, dividendi. Enimvero quando res communis inter eos, qui in communione sunt, dividitur, qui antea habebat jus in parte indivisa, nunc habet jus in parte divisa, adeoque jus, quod habebat in re communi, jam subsistit in parte divisa, quæ ipsi obtingit. Quodsi ergo quis jus suum, quod in parte indivisa antea habebat, infeudavit, facta divisione, jus infeudatum intelligitur in parte divisa, quæ eidem obtingit. Quoniam itaque nulla amplius ratio est, cur jus a re, cui inhæret, distinguatur, immo feudum in jure constitutum nemo jam habere possit, nisi qui rem detinet; feudum omnino in parte ea, quæ infeudanti obtingit facta divisione rei communis, constitutum intelligitur, si qui in communione positiva est, jus suum, quod in re communi habet, infeudet & res communis postea dividatur.

Qui jus suum, quod in parte indivisa rei communis habet, infeudat, animum utique habet partem rei communis sibi debitam infeudandi, adeoque in hoc consentit, ut pars, quæ facta divisione ipsi obtinget, sit infeudata: eam enim statim infeudaret, siquidem posset, quod tamen facere non poterat (§. 256.). Quamvis adeo in contractu feudali non expresse fuerit dictum, quod facta divisione feudum constitutum esse debeat in ea parte, quæ facta divisione obtinget ei, qui jus suum in feudum alteri dat, vel offert; tacite tamen id ipsum contractui inest. Quamobrem cum ex contractu feudali metiendum sit jus vasalli ac domini (§. 172.); feudum constitutum intelligitur in parte divisa facta rei communis divisione, quod antea constitutum erat in parte indivisa. Perinde nimirum est ac si feudum constitueretur pure in parte indivisa, quamdiu subsistet communio, conditionate autem simul in parte divisa, si rem communem dividi contingat.

§. 263.

BIU Cujas

§. 263.

Fundamentum feudi de cavena.

Feudum in certa portione vini vel frumenti ex cella, horreo aut penuario domini ad dies vitæ præſtanda conſtitui nequit; conſtitui tamen poteſt in jure utendi, certa vini vel frumenti portione ex cella horreo aut penuario domini ad dies vitæ præſtanda. Etenim vinum ac frumentum ſunt res, quæ uſu conſumuntur, quod per ſe patet. Enimvero res quæ uſu conſumuntur, per ſe aptæ non ſunt, ut feudum in iis conſtituatur (§. 258.). Quamobrem nec feudum conſtitui poteſt in certa portione vini vel frumenti ex cella, horreo aut penuario domini ad dies vitæ præſtanda. *Quod erat unum.*

Enimvero jus utendi certa vini vel frumenti portione ex cella, horreo aut penuario domini præſtanda res incorporalis eſt (§. 498. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum res incorporales infeudari poſſint (§. 259.); nil ſane obſtat, quo minus etiam jus utendi certa vini vel frumenti portione ex cella, horreo vel penuario domini ſibi præſtanda infeudetur. Et quoniam infeudatio fieri poteſt ad dies vitæ (§. 175.); jus iſtud ita quoque infeudari poteſt, ut alicui ex cella, horreo aut penuario domini certa vini vel frumenti portio ad dies vitæ præſtetur. *Quod erat alterum.*

Feudum proprie loquendo dici nequit conſtitui in piſcibus, qui natant in flumine: in avibus, qui volitant in aere; in feris, quæ vagantur in ſylvis aut agris; poteſt tamen conſtitui in jure piſcandi, aucupandi, venandi. Similiter feudum proprie loquendo conſtitui nequit in certa portione vini ex cella, vel frumenti ex horreo aut penuario domini præſtanda; poteſt tamen conſtitui in jure utendi iſta portione ſibi præſtanda. Sane dominus cuilibet jus alteri conſtituere poteſt in re ſua (§. 982. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque etiam in jure utendi vino ac frumento ſuo, cumque conſtituere poſſit eo modo, qui placuerit (§. 984. *part.* 3. *Jur. nat.*), certam quoque vini ac frumenti quantitatem ac tempus, ad quod conceſſum eſſe debet, determinare poteſt, & jus quantitate iſta utendi ad tempus conceſſum in alterum transferre ſub conditione fidelitatis mutuæ præſtandæ ſibi reſervata parte proprietatis hujus juris, hoc eſt, ſub nexu feudali (§. 155.).

§. 264.

Feudum de cavena quid ſit, & num jure naturali ſit feudum.

Feudum de Cavena dicitur, quod ita conſtituitur, ut alicui ex cella domini certa vini, vel ex horreo aut penuario ejus certa frumenti portio ad dies vitæ præſtetur. Quoniam naturaliter feudum conſtitui poteſt in jure utendi certa vini vel frumenti portione ad dies vitæ præſtanda (§. 263.); *feudum de cavena* hoc modo intellectum *naturaliter conſtitui poteſt.*

Quamvis adeo dicatur, feudum conſtitui in certa portione vini ex cella domini, vel frumenti ex horreo aut penuario ejus præſtanda, quod proprie loquendo dici nequit (§. 263.); ita tamen explicandum eſt, ut non vinum vel frumentum, quod præſtandum, ſed jus eodem utendi ſit infeudatum, cum hoc modo naturaliter feudum ſubſiſtere poſſit. Sane feudum de cavena conſtituitur propter uſum, qui vaſallo comperere debet, atque adeo maxime naturale eſt, ut verba menti conſtituentis convenienter explicentur, quam res ipſa rite expenſa indicat. Quodſi ergo feudum de cavena ita explices, quemadmodum explicari neceſſe eſt, ne veritati præjudicium fiat; naturaliter feudum iſtud erit proprium, minime autem improprium, cum a recepto feudi ſignificatu ne minimum recedatur.

§. 265.

Obligatio domini & jus vaſalli in feudo de cavena.

Quoniam *feudo de cavena conſtituto*, vaſallo competit jus certa vini portione ex cella domini, vel frumenti ex horreo aut penuario ejus utendi (§. 264.); *dominus obligatus eſt vaſallo ad præſtandam certam vini portionem ex cella ſua, vel frumenti ex horreo aut penuario ſuo ad dies vitæ & vaſallo competit jus eam exigendi.*

Nimirum ut vaſallus uti poſſit vino vel frumento, neceſſe eſt ut ipſi tradatur. Atque adeo dominus portionem conventam præſtare tenetur quemadmodum obligatus eſt ad rem infeudatam

BIU Cujas

vasallo tradendam (§. 216.). Jus enim utendi aliter tradi nequit nisi cum re, qua utendum. Et quoniam res non patitur, ut unico actu tradatur; ita repetita traditione opus est. Ex hac domini obligatione vero nascitur vasallo jus exigendi portionem conventam tempore convento, qua utendi jus habet. Non est quod dicas, non opus esse, ut demum ex feudo deducatur ista obligatio; sed sufficere ad eandem contrahendam & jus inde resultans acquirendum simplicem promissionem acceptatam; etenim non quæritur, an quis se obligare possit ad præstandum alteri certam vini vel frumenti portionem absque nexu feudali; sed de eo jam quæstio est, qualis hinc resultet domini obligatio & quale inde descendat jus vasalli, si jus utendi certa vini ex cella domini, vel frumenti ex ejus horreo aut penuario portione fuerit infeudatum, cum tale jus infeudari posse demonstraverimus. Quæ igitur differunt, minime confundenda sunt, sed acute inter se distinguenda.

§. 266.

De feudo de cavena naturaliter extenso. Quoniam in feudo de cavena vasallo præstatur certa vini vel frumenti portio ad dies vitæ (§. 264.), adeoque rei, quæ usu consumitur, dantur vero aliæ adhuc res consumtibiles, quarum copia est domino, & quæ eodem modo, quo vinum & frumentum præstari possunt, veluti pisces ex piscina domini, ligna ex sylva, feræ in sylvis capiendæ; ideo patet, *naturaliter feudum de cavena extendi posse etiam ad res alias consumtibiles, veluti ut ad dies vitæ præstetur certa portio piscium ex piscina domini, vel lignorum ex sylva, vel ferarum in sylva capiendarum.*

Atque adeo patet, feudum de cavena naturaliter latius patere, quam jure positivo, quo ad vinum ex cella domini & frumentum ex horreo vel penuario præstandum restringitur. Non jam solliciti sumus de ratione etymologica, cur feudum istud feudum de cavena dicatur: in jure enim naturæ non attenditur ratio etymologica, sed natura, seu essentia rei. Etsi adeo ratio etymologica non ferat extensionem ad res alias, quam quæ dictæ sunt; abunde sufficit ad hoc, ut extensio fieri possit, si eidem minime repugnent determinationes essentiales, per quas jus aliquod concipitur (§. 142. *Ontol.*).

§. 267.

An mortuo domino subsistat feudum de cavena. Quoniam feudum de cavena constituitur ad dies vitæ vasalli (§. 264.), jus vero ipsi quæsitum invito adimi nequit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*); *mortuo domino, successor quoque obligatur ad præstandam quantitatem conventam, quemadmodum obligatus erat constituens.*

Assimilatur in eo feudum de cavena usufructui ad dies vitæ, vel certum tempus constituto (§. 1494. *part.* 3. *Jur. nat.*). Non addimus alia, quæ feudum de cavena cum aliis feudis communia habet, & in antecedentibus demonstrata, vel in subsequentibus demonstranda ad hanc quoque speciem applicanda veniunt.

§. 268.

De feudo soldatæ. *Feudum Soldatæ* appellatur, quo ex gratia alicui certa pecunia, vinum, vel annona quotannis præstatur. Quoniam perinde ac certa pecunia, vinum vel annona, ita etiam aliæ res consumtibiles, veluti pisces, ligna, feræ, agni, vel aliæ pecudes, ova, butyrum ac ita porro quotannis præstari possunt; *naturaliter feudum soldatæ ad res quascunque consumtibiles extendi potest.*

Non est quod existimes, feudum soldatæ, præsertim si extendatur ad res consumtibiles quascunque, parum differre a feudo de cavena, præsertim ad res consumtibiles quascunque similiter extenso (§. 266.). Etenim ex sequentibus clarius elucescet, feudum soldatæ a feudo de cavena non minus differre, quam aliæ feudorum species a se invicem differunt.

§. 269.

BIU Cujas

§. 269.

Quoniam feudum ſoldatæ ita conſtituitur, ut alicui certa res conſumtibilis quotannis præſtanda ſit (§. 268.); *dominus obligatur ad certam rem conſumtibilem vaſallo quotannis præſtandam & vaſallo competit jus exigendi, ut præſtetur.* *De obligatione domini & jure vaſalli in feudo ſoldatæ.*

Atque in eo feudum ſoldatæ convenit cum feudo de cavena (§. 265.), ſi in ſignificatu latiori, qui Juri naturæ convenit, accipiatur (§. 266.).

§. 270.

Quoniam in feudo ſoldatæ dominus obligatur quotannis ad rem certam conſumtibilem vaſallo præſtandam (§. 269.), non autem definitur, unde præſtanda ſit (§. 268.); *res conventa præſtanda vaſallo, ſive rerum iſtiuſmodi copia domino ſit, ſive rebus iſtiuſmodi careat, ut eas aliunde comparare neceſſe habeat.* *De rebus in feudo ſoldatæ præſtandis.*

Atque in eo differt a feudo de cavena, quod præſtationem reſtringit ad certam copiam rerum, quæ domino ſunt (§. 264.).

§. 271.

Quoniam in feudo ſoldatæ ad rem certam præſtandam vaſallo quotannis dominus obligatur, ſive rerum iſtiuſmodi copia abundet, ſive iiſdem prorſus careat (§. 270.); *facile patet, in feudo ſoldatæ præſtationem ſimpliciter eſſe reſtrictam ad perſonam conſtituentis*, conſequenter *obligationem non tranſire in ſucceſſorem, adeoque domino mortuo extingui, & propterea feudum quoque amitti a vaſallo, mortuo domino.* *De obligatione domini, quamdiu duret.*

Atque in eo differt a feudo de cavena, quod mortuo domino non extinguitur (§. 267.). Nimirum qui promittit dare quid alteri quotannis, is non intelligitur promittere, ut detur alteri ad dies vitæ, ſed potius daturus intelligitur, quamdiu ipſe vivit.

§. 272.

Dum feudum ſoldatæ conſtituitur, id conſtitutum intelligitur in jure utendi re certa conſumtibili quotannis præſtanda, ſeu in uſu iſtius rei. Oſtenditur eodem modo, quo paulo ante oſtendimus, feudum conſtitui non poſſe in certa portione vini ex cella ſua, vel frumenti ex horreo aut penuario ſuo præſtanda, ſed in jure re iſta utendi (§. 263.). *Res infeudata in feudo ſoldatæ.*

Nimirum quando feudum ſoldatæ conſtituitur, dominus dicit, ſe feudum conſtituere in hujus rei conſumtibilis quotannis præſtandæ uſu, ad quam adeo præſtandam ſe obligat, ut uſui iſti locus eſſe poſſit. Potiſſima differentia inter feudum de cavena & feudum ſoldatæ in eo conſiſtit, quod in illo vaſallus rem apud dominum extantem ſibi habeat obligatam, in hoc autem nonniſi perſonam domini, quemadmodum patet ex collatione utriuſque feudi (§. 264. 268. & 270.), ut adeo in priori caſu vaſallus habeat jus in re, in poſteriori autem jus ad rem (§. 778. 781. *p.* 3. *Jur. nat.*), licet in eadem re incorporali utrobique conſtitutum ſit feudum.

§. 273.

Feudum etiam conſtitui poteſt in habitatione, ſeu jure habitandi in domini ædibus. Etenim jus habitandi in alterius ædibus eſt res incorporalis, quæ uſu minime conſumitur (§. 498. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum etiam res incorporales infeudari poſſint, qaæ uſu minime conſumuntur, ſeu non extinguuntur (§. 259.); feudum etiam conſtitui poteſt in jure habitandi in domini ædibus. *Fundamentum feudi habitationis.*

§. 274.

BIU Cujas

§. 274.

Quodnam sit. *Feudum habitationis* dicitur, quando jus habitandi in domini ædibus alicui ad dies vitæ conceditur. Quoniam naturaliter quoque feudum in habitatione, seu jure habitandi constitui potest (§. 273.); *feudum habitationis est juris naturæ.*

Refertur vulgo feudum habitationis ad feuda improprie sic dicta: sed si rite explicetur, quemadmodum a nobis factum, non minus feudum proprium dici potest feudum habitationis, quam jus piscandi, aucupandi, venandi proprie loquendo infeudatur. Quamdiu enim juri alicui alteri concesso definitio feudi competit (§. 155.); tamdiu quoque a significatu proprio non recedituir. Sunt etiam jura tanquam res incorporales in dominio (§. 216. *part.* 2. *Jur. natur.*), quod adeo in dominium directum & utile dividi potest, quemadmodum feudi constitutio requirit (§. 156.), sive feudum fuerit datum, sive quæsitum (§. 166. 168.). Feudum vero habitationis, quod constituitur in jure habitandi, differt a feudo, quod constituitur in domo, re corporali immobili. Sane si feudum aliquod in domo constituitur, aliquid proprietatis in domo etiam competit vasallo: nihil vero si constituitur in jure habitandi, seu quando feudum habitationis est.

§. 275.

Quomodo pecunia seu res consumtibilis efficiatur quasi inconsumtibilis. *Si pecuniam alteri dans tacitam habeat hypothecam in re immobili accipientis, aut accipiens vel per fidejussores, vel per pignus, aut hypothecam cavere tenetur; pecunia efficitur quasi res, quæ usu non consumitur. Idem quoque valet de rebus aliis, quæ usu consumuntur.* Etenim si pecuniam alteri dans tacitam habeat hypothecam in re immobili, vel per fidejussores, vel per pignus aut hypothecam cavere tenetur accipiens; si contingat pecuniam restitui debere, ex re, in qua quis hypothecam tacitam habet, vel expressam, aut pignus constitutum, satisfieri potest ei, cui restituenda §. 1142. 1143. *p.* 5. *Jur. nat.*), vel si is eam restituere nequit, qui debet, a fidejussore restituenda (§. 794. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quamobrem etsi pecunia referatur ad res, quæ usu consumuntur (§. 471. *part.* 4. *Jur. nat.*), ut adeo quoad utentem perinde sit, ac si ea amplius non extaret; ob hypothecam tamen tacitam aut cautionem perinde est, ac si finito usu adhuc extaret, utpote quæ in genere adhuc restitui debet (§. 486. *p.* 4. *Jur. nat.*). Quoniam itaque res usu non consumitur, quæ post eundem adhuc extat, quod per se patet; pecunia per tacitam hypothecam in re immobili accipientis, vel cautione per fidejussores, pignus aut hypothecam efficitur quasi res, quæ usu non consumitur.

Idem eodem prorsus modo ostenditur de re, quæ usu consumitur, alia.

Nimirum quamdiu tacita hypotheca, vel cautio per fidejussores, pignus aut hypothecam subsistit, tamdiu perinde est ac si pecunia adhuc extaret, atque adeo accipiens eadem usus esset salva substantia. Etsi adeo res, quæ usu consumitur, mutare minime possit genus, ut vertatur in rem, quæ usu non consumitur, spectari tamen potest tanquam res, quæ usu consumta non fuit, quando quæstio est de ejus restitutione, ac ideo quasi res est, quæ usu non consumitur, quamdiu certum est, eam in genere restitui posse. Cum in Jure etiam naturæ admittantur fictiones ad formandos conceptus universales, quemadmodum alias jam vidimus; nec quicquam obstat, quo minus res, quæ usu consumitur, sub ea conditione, quam diximus, spectetur tanquam res, quæ usu minime consumitur.

§. 276.

Quomodo pecunia & res consumtibiles ad infeudandam aptæ efficiantur. Quoniam res, quæ usu non consumuntur, ad infeudandum per se aptæ sunt, quæ autem usu consumuntur ad infeudandum minus aptæ sunt (§. 258.), pecunia autem & aliæ res, quæ usu consumuntur, hypotheca tacita, vel cautione effici possunt quasi res, quæ usu non consumuntur (§. 275.); *pecunia* quoque *& aliæ res consumtibiles ad infeudandum aptæ efficiuntur per hypothecam tacitam in re immobili ejus, cui feudum constituendum, vel cautione sive per fidejussores, sive per pignus aut hypothecam.*

Nimi-

BIU Cujas

Nimirum quod aliæ res ad infeudandum aptæ sint, aliæ autem per se minus aptæ, id inde est, quod aliæ post usum extent, aliæ vero post usum non amplius extent. Quamobrem si efficitur, ut quoad jura & obligationes perinde sit, ac si res, quæ usu consumta, adhuc extaret: nil amplius infeudationi obstat, cum detur quasi dominium directum in re quasi extante a dominio utili separatum, sine qua divisione dominii directi ac utilis feudi constitutio concipi nequit (§. 156.).

§. 277.

Si pecunia fœnebris efficitur, aut ad negotiationem adhibetur, vel rei fructiferæ comparandæ impenditur; manentem ex ea percipere licet utilitatem. Etenim si pecunia fuerit fœnebris, pro ejus usu solvuntur usuræ (§. 1423. *part.* 4. *Jur. nat.*), quæ cum sint reditus ex ea provenientes; qui pecuniam fœnebrem efficit, manentem ex ea utilitatem percipit. *Quod erat primum.* *Quando ex pecunia manens percipiatur utilitas.*

Quoniam negotiatio lucri causa exercetur, quod per se notum sumitur; si pecunia ad eam exercendam adhibetur, lucrum, quod ex ea percipitur, spectari potest tanquam fructus pecuniæ ac operæ, quæ impenditur (§. 956. *part.* 1. *Theol. nat.*). Atque adeo denuo patet, manentem quandam ex pecunia hoc pacto percipi posse utilitatem. *Quod erat secundum.*

Similiter si pecunia res quædam fructifera comparatur, perinde est ac si ex pecunia perciperentur fructus, qui percipiuntur ex re, quam sine pecunia comparare non poteras. Quamobrem in hoc quoque casu ex pecunia manentem quandam utilitatem percipere datur. *Quod erat tertium.*

Patet adeo, non uno modo pecuniam in se sterilem effici posse fructiferam, ita ut æquipolleat rei fructiferæ. Quamdiu nimirum utilitas percipitur, quæ sine pecunia percipi non poterat; tamdiu ex pecunia utilitatem percipere dicendus es, perinde ac si tibi data fuisset res, qua uti frui poteras, salva substantia.

§. 278.

Quoniam ex pecunia manentem percipere datur utilitatem, si pecunia fœnebris efficitur, aut ad negotiationem adhibetur, vel rei fructiferæ comparandæ impenditur (§. 277.), eadem vero per hypothecam tacitam vel cautionem efficitur quasi res, quæ usu non consumitur (§. 275.); *si pecuniam alteri dans habeat hypothecam tacitam in re aliqua immobili, vel eidem cavetur, sive per fidejussores, sive per pignus aut hypothecam, & accipiens pecuniam fœnebrem efficit, aut ad negotiationem adhibet, vel rei fructiferæ comparandæ impendit; pecunia efficitur quasi res fructifera, quæ usu non consumitur,* consequenter *qua uti frui datur salva substantia.* *Quomodo pecunia efficiatur quasi res, qua uti frui datur salva substantia.*

Probe hic singula perpendi velim, ne qui existimet, quasi ingenio abutamur, & quæ a nobis de pecunia demonstrata sunt, magis ingeniose, quam ex vero dicta videantur. Quodsi alicui principium reductionis, cujus in inveniendo ac demonstrando usum alias commendavimus (*not.* §. 472. *Psych. empir.*), & fictiones a Jctis etiam Romanis jam olim probatas intimius perspexerit; ei in hisce nihil occurret, quod dubium quoddam movere poterat.

§. 279.

Si pecunia alteri datur ea lege, ut eandem alicui sub usuris credat, aut eadem utatur ad negotiationem quandam exercendam, vel rem quandam fructiferam comparandam, danti autem concedatur hypotheca tacita in re immobili accipientis, vel caveatur sive per fidejussores, sive per pignus aut hypothecam; pecunia infeudari potest. Etenim in hypothesi propositionis præsentis pecunia efficitur quasi res fructifera, quæ usu non consumitur, & qua adeo uti frui datur salva substantia (§. 278.). Quoniam itaque fingere licet, quasi pecunia alteri data semper existeret & manens ex eadem perciperetur utilitas eadem *De modo infeudandi pecuniam.*

BIU Cujas

dem utendo fruendo; nil sane obstat, quo minus concipiamus dominium plenum ejusdem, quod ex jure utendi fruendi ac proprietate consistit (§. 136. *part.* 2. *Jur. nat.*). Neque etiam quicquam obstat, quo minus dominium plenum concipiatur dividi in utile ac directum, ita scilicet ut uni competat jus utendi fruendi cum aliqua proprietatis parte, alteri vero pars proprietatis reliqua (§. 1. 3.). Enimvero quando res infeudatur, dominium plenum dividitur in utile ac directum inter duas personas sub conditione fidelitatis mutuæ (§. 156.), quam semper adjici posse patet (§. 154.). Quamobrem evidens est, in hypothesi propositionis præsentis pecuniam infeudari posse.

Non est, quod existimes, si pecunia impenditur rei fructiferæ comparandæ, feudum constitui non in pecunia, sed in re, quæ pecunia comparatur. Neque enim dici potest, rem esse feudalem, quam neque pecuniam dans, neque accipiens feudalem esse voluit, cum feudum non constituatur nisi pacto (§. 170.), ex quo metiendum est jus, metienda obligatio tam domini feudi, quam vasalli (§. 172.). Sane si pecunia infeudatur, vel quasi, liberum est vasallo, utrum eam impendere velit rei fructiferæ comparandæ, vel sub usuris tertio cuidam credere, vel aliter quomodocunque eadem uti, nisi expresse quidpiam horum fuerit dictum in contractu feudali. Quodsi ergo eidem placuerit, pecunia, quam quasi feudalem accipit, rem quandam fructiferam sibi comparare; ecquis dixerit, in hac re, de qua cogitatum non fuit, cum pecunia infeudaretur, feudum fuisse constitutum. Et, si vel maxime pecunia ea lege in feudum detur, ut res fructifera comparetur, consequenter vasallus obligatus sit ad talem comparandam (§. 172.); non tamen propterea dici potest res ista feudalis, cum ejus comparatio constitutioni feudi adjiciatur tanquam modus, sub quo idem constituitur, quo adimpleto feudum adhuc subsistit in pecunia, in qua constitutum fuit.

§. 280.

Quasi feudum quodpam sit.

Quasi feudum dicimus, quod constituitur in re per se ad infeudandum minus apta, sed quæ ad infeudandum apta efficitur arte.

Non dicimus feudum improprium, cum significatus feudi improprii alius sit, qui in jure positivo receptus, isque multo latior, nec Juri naturæ satis conveniens, quippe cum in eodem feudis propriis accenseri debeant, quæ in Jure positivo ad impropria referuntur. Etenim feudum improprium dici solet in Jure positivo, definiente *Struvio* in Syntagm. Jur. feud. cap. 4. §. 1. in quo vel feudi essentia non perfecte adest, vel essentialia quidem perfecte adsunt, sed quod a communi feudi natura recedit. Ast cum naturalia nulla sint in Jure naturæ, sed cum accidentalibus in unum censum referenda (*not.* §. 163.), utraque autem sint determinationes essentiales, in quibus differentiæ specificæ feudorum consistunt (§. 162. 163.); facile patet, in Jure naturæ feudum improprium non esse, quod a communi feudi natura recedit. Deinde ad essentiam quoque feudi requiritur Jure positivo, ut res sit immobilis: id quod naturale non est (§. 259.). Unde denuo jure positivo ad feuda impropria referenda, quæ in Jure nostro propriis accensenda.

§. 281.

De feudo pecuniæ.

Feudum pecuniæ dicitur, quod in pecunia constituitur. Quoniam pecunia per se ad infeudandum apta non est, ad infeudandum tamen apta effici potest (§. 258. 279.); quasi feudum vero est, quod constituitur in re per se ad infeudandum minus apta, sed quæ ad infeudandum apta efficitur arte (§. 280.); *feudum pecuniæ est quasi feudum.*

Disputant Doctores de eo, utrum feudum in pecunia constitui possit, nec ne. Sunt qui negant, sunt qui affirmant feudum constitui posse, sed improprium. Posterior sententia veritati consentanea, quemadmodum ex demonstratis abunde intelligitur. Qui feudum improprium in pecunia constitui posse concedunt, id triplici modo fieri posse statuunt, vel ut pecunia sit apud ipsum dominum feudi, atque is jure feudi alteri certum solvat reditum; vel ut ex pecunia tertio cuidam credita quis jure feudi reditum percipiat; vel denique ut ipse, cui feudum in pecunia constituitur, pecuniam teneat. Convenit hoc cum eo, quod de modo constituendi feudum pecuniæ modo demonstravimus (§. 279.). Etenim si pecunia alteri datur ea lege, ut eandem sub usuris credat tertio; adeoque is, cui pecunia feudum constituitur, usuras accipit; fecundus obtinet feudum constituendi in pecunia modus, quo ex pecunia tertio credita vasallus per-

BIU Cujas

percipit reditum. Quoniam vero perinde est, sive tertius quidam, sive ipse dominus feudi sit debitor pecuniæ feudalis, quo in casu usuras debet solvere non tanquam dominus feudi, sed tanquam debitor pecuniæ feudalis, una eademque persona duplicem personam moralem repræsentante; modus primus constituendi feudum, ut pecunia sit apud ipsum dominum feudi atque is jure feudi solvat reditum, continetur sub eo, quo pecunia feudalis sub usuris alicui creditur. Quodsi denique pecunia feudalis impenditur vel in negotiationem, vel in rem frugiferam comparandam; tum tertius modus feudum constituendi in pecunia obtinet, quo vasallus pecuniam tenet.

§. 282.

An feudum pecuniæ sit datum an oblatum.

Feudum pecunia tam datum esse potest, quam oblatum. Quoniam enim feudum in pecunia constitui potest (§. 279.); perinde fieri potest, ut dominus in pecunia sua feudum constituat alteri, quam ut aliquis alteri offerat pecuniam propriam, ut sibi feudum in ea constituatur. Cum feudum in priori casu sit datum (§. 166.), in posteriori oblatum (§. 168.); evidens est feudum pecuniæ tam datum esse posse, quam oblatum.

§. 283.

An ad constitutionem feudi in pecunia requiratur pactum.

Feudum pecuniæ non potest constitui nisi pacto, seu absque contractu feudali non constituitur. Etenim omne feudum constituitur pacto (§. 170.). Quamobrem cum feudum pecuniæ sit feudum, quod in pecunia constituitur (§. 281.); feudum quoque pecuniæ non potest aliter constitui, quam pacto. Quodsi dubium videatur, an quod de constitutione feudi demonstratum est, ad feudum pecuniæ, quod quasi feudum esse ostendimus (§. 281.), applicari possit; feudum pecuniæ non posse constitui nisi pacto, eodem modo ostenditur, quo supra demonstravimus (§. *cit.*), feudum pacto constitui. *Quod erat primum.*

Quia feudum pecuniæ non potest constitui nisi pacto, *per demonstrata*, pactum vero istud, quo de feudo, quod constituitur, inter se conveniunt dominus & vasallus, est contractus feudalis (§. 171.); absque contractu feudali feudum pecuniæ non constituitur. *Quod erat alterum.*

§. 284.

Quanam pecunia sit feudalis, quanam allodialis.

Pecunia feudalis est, in qua feudum constitutum: allodialis vero, in qua feudum non est constitutum. Etenim res, in qua feudum constitutum est, feudalis est (§. 157.). Enimvero si feudum constituitur in pecunia, ea subit locum rei, in qua feudum constituitur (§. 279.). Ergo pecunia, in qua feudum constitutum, feudalis est. *Quod erat unum.*

Enimvero quicquid feudale non est, id allodiale est (§. 192.). Quamobrem cum pecunia tum demum efficiatur feudalis, quando feudum in eadem actu constituitur, adeoque feudalis non sit, in qua feudum constitutum non est; pecunia allodialis est, in qua feudum non constitutum. *Quod erat alterum.*

[1] Pecunia, quam habes, cum pleno jure tua sit, per se allodialis est (§. 192.), adeoque, si qualitatem feudalem induere debet, necesse est ut, quam a se non habet, aliunde acquirat. Aliunde autem hanc qualitatem acquirere nequit, nisi feudi in eadem constitutione per contractum feudalem (§. 157. 171.). Quamdiu adeo feudum in eadem non constituitur, qualitatem allodialem non mutat. Nimirum allodialis ideo est, quod plenum in eadem dominium habeas. Quodsi ergo feudalis fieri debet, necesse est, ut dominium directum a pleno separetur, tibique in eadem non relinquatur nisi dominium utile (§. 156.). Quamdiu adeo dominium directum ademtum non est, nec feudalis esse potest. Non est, quod objicias, si dominus feudi pecuniam, in qua feudum constitutum, teneat (*not.* §. 281.); pecuniam feudalem esse, cui dominium utile ademtum. Etenim tum pecunia apud dominum feudi non est tanquam res feudalis, quippe quæ hoc respectu ad vasallum pertinet; sed tanquam debitum, nec propterea apud ipsum est, quia dominium directum in ea habet, sed quia sic conventum in contractu feudali (§. 172.). Me autem

BIU Cujas

tem tacente intelligitur, nos hic tantummodo loqui de eo, quod naturaliter obtinet, dum declaramus modum, quomodo pecunia efficiatur feudalis, adeoque seponere ea, quæ a statu civili pendent.

§. 285.

An pecunia, qua feudum venditum, sit feudalis.

Pecunia, qua feudum venditum est, feudalis non est. Quando enim feudum venditur, in pecunia, quæ accipitur, feudum nullum constituitur per hoc, quod pro feudo accipiatur, cum contractus emtionis venditionis non contineat contractum feudalem de feudo in pecunia accepta constituendo (§. 937. *p.* 4. *Jur. nat.* & §. 171.). Quamobrem cum feudum in pecunia constitui nequeat nisi per contractum feudalem (§. 283.), pecunia vero, in qua feudum constitutum non est, feudalis non sit (§. 284.); nec erit pecunia feudalis, qua feudum venditum est.

Ostenditur etiam hoc modo. Quando feudum venditur, pecunia pro feudo datur (§. 937. *part.* 4. *Jur. nat.*), adeoque dominium ejus in venditorem transfertur (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*), ut adeo venditor plenum in ea dominium habeat, quippe quod semper intelligitur, quando dominium simpliciter nominatur. Enimvero res, in qua quis dominium plenum habet, allodialis est, non feudalis (§. 192.). Ergo pecunia, qua feudum venditum est, feudalis non est.

Ex demonstratione altera patet pecuniam, quæ accipitur, esse allodialem, etiamsi solvatur pro feudo. Atque adeo ulterius liquet, si qualitatem feudalem induere debet, ut allodialis esse desinat, peculiarem requiri actum a venditione diversum, qui alius esse nequit quam contractus de pecunia infeudanda (§. 283.). Hic igitur ubi abest, nec pecunia allodialem qualitatem mutavit.

§. 286.

An res allodialis permutatione cum feudali fiat feudalis.

Si res feudalis cum allodiali permutatur, allodialis feudalis non est. Etenim cum in emtione venditione pretium, seu pecunia detur pro re (§. 937. *part.* 3. *Jur. nat.*), in permutatione res pro re (§. 879. *part.* 3. *Jur. nat.*); res, quæ pro feudo datur, æquipolleat pecuniæ, quæ pro eodem datur. Ast pecunia, quæ pro feudo datur, in emtione venditione, feudalis non est (§. 285.). Ergo nec feudalis esse potest res allodialis, quæ cum feudali permutatur.

Ostendi etiam potest hoc modo. Si res feudalis cum allodiali permutatur, pro feudali datur allodialis (§. 879. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque qui dat rem allodialem, cum in ea habeat dominium plenum (§. 192.), dominium plenum in alterum transfert (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam itaque is permutatione acquirit dominium plenum in re, quam pro feudo accipit; quin res allodialis maneat, adeoque feudalis non sit, si cum ea feudalis permutatur, dubitandum non est.

Quæ modo annotavimus de pecunia, quæ pro feudo vendito accipitur, ea etiam valent de re allodiali, quæ accipitur pro feudali. Nihil in hac & præcedente propositione difficultatis est, modo ex notionibus de rebus statuas. Quibus vero dubium videtur, annon pecunia, vel res allodialis pro feudo data feudalis esse debeat; illi confunduntur regula, quod surrogatum sapiat naturam surrogati. Putant nimirum quando feudum venditur, pecuniam surrogari in ejus locum, & quando cum re allodiali permutatur, rem allodialem surrogari in locum feudalis. Atque hinc concludunt, pecuniam in casu priori, rem, quæ erat allodialis, in casu posteriori, induere debere qualitatem feudalem. Facile autem apparet, quod distincta destituantur surrogati notione, ex qua ratiocinentur. Ex eo, quod fit, nimirum ex actu venditionis ac permutationis, statuendum est de eo, quod inde sequitur, nec opus est ut ad actum alium, quo unum surrogari dicitur in locum alterius, confugiamus, præsertim cum huic non satis distincta ac determinata respondeat notio: qua de causa nec opus esse judicamus, ut ratio reddatur, cur regula ista in præsenti fallat.

§. 287.

BIU Cujas

§. 287.

Pecunia ad feudum emendum deſtinata feudalis non eſt, ſed allodialis. Etenim pecunia feudalis non eſt, in qua feudum non conſtitutum, ſed allodialis (§. 284.). Quoniam itaque feudum in pecunia non conſtituitur abſque contractu feudali (§. 283.), contractus vero feudalis non eſt actus, quo quis declarat, hac pecunia emendum eſſe feudum, vel ſe feudum emere velle, adeoque ad feudum emendum pecuniam deſtinat (§. 171.), conſequenter hac deſtinatione feudum in pecunia non conſtituitur; pecunia quoque ad feudum emendum deſtinata feudalis non eſt, ſed allodialis. *An pecunia ad feudum emendum deſtinata ſit feudalis.*

Per hoc, quod pecuniam ad emendum feudum deſtines, non tibi admis dominium utile & in alium transfers, aut alteri das pecuniam, ut feudum in ea tibi conſtituat. Quamobrem nullo modo concipi poteſt, quod pecunia amittere debeat qualitatem allodialem, quia ad feudum emendum eam deſtinaſti.

§. 288.

Si promiſiſti ei, cujus intereſt feudum a te emi, te pecunia ex feudo redacta, vel alia feudum emere velle; eidem ad feudum emendum obligaris. Etenim promiſſor promiſſario perfecte obligatur ad præſtandum, quod promiſit (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quodſi ergo ei, cujus intereſt, a te feudum emi, promittas, te pecunia ex feudo redacta feudum emere velle; eidem perfecte te obligas ad emendum feudum, adeoque feudum emere teneris (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Quando quis pecunia ex feudo redacta vel alia feudum emere cogatur.*

Dico promiſſionem fieri debere ei, cujus intereſt feudum a te emi. Si enim ejus, cui promiſſio fit, non intereſſet feudum emi; inutilis eſſet promiſſio, adeoque actus in jure nullus.

§. 289.

Si ita conveniatur, ut pecunia ex feudo vendito redacta pertineat ad eos, qui alias in feudo ſuccedunt poſt mortem ejus, qui accepit pecuniam; pactum validum eſt. Etenim eorum, qui in feudo ſuccedere debent poſt mortem ejus, qui id tenet, intereſt, ne feudum vendatur, & ſi non vendatur, poſt mortem ejus in eo ſuccedunt. Quamobrem cum quoad ſucceſſorem allodialem perinde ſit, ſive illi ſuccedant in feudo, ſive pecuniam ex feudo redactam lucrentur; nihil ſit contra eorum jus, ſi ita conveniatur, ut pecunia ex feudo vendito redacta pertineat ad eos, qui alias in feudo ſuccedunt poſt mortem ejus, qui pecuniam accepit. Quoniam itaque nihil obſtat, quo minus ita conveniatur, nulla quoque ratio eſt, cur iſtiuſmodi pactum valere non debeat. Erit adeo validum. *De pacto, quo pecunia ex feudo redacta defertur haeredibus feudalibus.*

Nimirum hoc pacto nemini adimitur jus ſuum, ſed potius jus, quod ad feudum habent alii, conſervatur. Nihil adeo iniqui habet pactum iſtiuſmodi. Etſi enim pecunia ex feudo redacta non ſit feudalis, ſed allodialis (§. 285.); vi pacti tamen in ea reſervari poteſt jus eorum, qui in feudo ſuccedere debebant.

§. 290.

Quodſi cum iis, qui in feudo ſuccedere debent, conveniatur, ut pecunia ex feudo redacta pro feudo habeatur; ea poſt mortem ejus, qui accepit, pertinet ad ſucceſſores feudales. Etenim inſpicienda eſt mens eorum, qui ita convenerunt. Quoniam itaque ratio unica, cur ita convenerint, non alia eſt, quam ut ſucceſſoribus conſervetur jus in pecunia ex feudo vendito redacta; cum hac conventione, quod pecunia ex feudo redacta pro feudo haberi debeat, in pecunia, quæ allodialis eſt (§. 285.), non conſti- *De conventione, ut pecunia ex feudo redacta pro feudo habeatur.*

BIU Cujas

tuatur feudum, utpote deficiente divisione dominii pleni, quod in allodio est (§. 192.), in directum & utile (§. 156.), non aliud dixisse videntur, quam quod pecunia ex feudo vendito redacta post mortem ejus, qui accepit, pertinere debeat ad eos, qui alias post ipsius mortem in feudo succedunt. Quamobrem cum istiusmodi pactum validum sit (§. 289.); pecunia quoque ex feudo vendito redacta ad successores feudales pertinere debet, si ita cum iis conveniatur, ut pecunia ista pro feudo habeatur.

Non ignoro in Jure feudali positivo contrarium defendi, propterea quod istiusmodi conventione qualitas pecuniæ allodialis in feudalem mutari nequit, ut adeo pecunia vi ejusdem pro feudo haberi nequeat, consequenter ita conveniendo nihil agatur. Enimvero non de eo jam quæstio est, num pecunia propter istam conventionem pro feudo haberi possit: sed quid pacisentes indicare voluerint verbis istis, pecuniam pro feudo habendam esse. Quoniam eo ipso, quod dicant pecuniam pro feudo habendam esse, satis indicant, se nosse quod feudalis non sit: ut constet, quænam fuerit mens ipsorum verbis istis significata, deveniendum utique est ad rationem unicam, quæ eos permovit, ut pecunia, quæ feudalis non est, sed allodialis, pro feudo habeatur, secundum principia interpretationis ab omnibus concessa ac posthac demonstranda, quemadmodum in demonstratione fecimus. Novi equidem, quod in foro rationem vincat autoritas; id tamen me permovere nequit, ut cum Doctoribus errare malim, quam verum dicere. In Jure naturæ nihil valet autoritas, sed raro vincit autoritatem omnem: immo quod sola autoritate probatur, in Jure naturæ nullum meretur locum. Jus naturæ non judicem agnoscit Doctores, sed Doctores judicem agnoscere tenentur opinionum suarum jus naturæ. Et quamvis nobis nondum esse liceat adeo felicibus, ut in foro ratio vincat autoritatem; licebit tamen posteris adeo felicibus esse, siquidem contingat juventutem, quæ in Academiis operam navat, ad veram & solidam studiorum rationem revocari.

§. 291.

De una re pluribus in feudum data, vel oblata.

Una eademque res pluribus conjunctim in feudum dari, vel offerri potest. Quando enim res in feudum datur, dominus feudum, adeoque jus quoddam (§. 155.), constituit in re sua (§. 166.). Enimvero a domini voluntate unice dependet, quomodo de re sua disponere (§. 118. 120. *part.* 2. *Jur. nat.*). consequenter cuinam jus quoddam in ea constituere velit. Quamobrem si ipsi placuerit, pluribus conjunctim in una eademque re jus constituere, consequenter etiam unam eandemque rem pluribus conjunctim in feudum dare potest. *Quod erat unum.*

Quando res in feudum offertur, ea alteri datur sub hac conditione, ut feudum sibi in eadem constituatur (§. 167. 168.). Quamobrem cum a domini voluntate unice pendeat, cuinam rem suam dare & sub qua lege dare velit (§. 11. 12. *part.* 3. & §. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*); una quoque eademque res pluribus conjunctim offerri potest in feudum. *Quod erat alterum.*

§. 292.

De feudo communi.

Quoniam pluribus conjunctim una eademque res in feudum dari potest (§. 291.); *si una eademque res pluribus conjunctim in feudum datur*, cum unicuique competat dominium utile pro parte in re indivisa (§. 155.), *feudum iisdem commune est* (§. 126. *part.* 2. *Jur. nat.*). Et quia dominus feudum constituens (§. 165.) determinationes substantialibus superaddere potest, quæ placuerint (§. 164.), *si pluribus conjunctim una eademque res in feudum datur, feudum pro rata erit commune, prout definiverit dominus.*

Patet adeo, quomodo feudum constituatur commune, & quod tale constitui possit non minus pro parte æquali, quam pro partibus inæqualibus in qualibet ratione. Ea nimirum erit rata uniuscujusque, quæ in contractu feudali, quo feudum istud commune constitutum (§. 171.), definita (§. 172.).

§. 293.

BIU Cujas

§. 293.

Similiter quoniam una eademque res pluribus conjunctim in feudum offerri potest (§. 291.); *si una eademque res pluribus conjunctim in feudum offertur*, cum unicuique competat dominium directum in re indivisa (§. 156. 168.); *dominium directum erit iis, quibus res in feudum oblata, commune* (§. 126. *part.* 2. *Jur. nat.*). *De dominio directo communi.*

Nimirum quia res pluribus conjunctim datur, dominium plenum in re indivisa iidem habent (§. 126. *part.* 2. *Jur. nat.*). Sed quia datur sub ea conditione, ut feudum danti in eadem constituatur; dominium dividitur in directum & utile (§. 156.), utili in dantem translato (§. 155.) accipientes retinent directum, adeoque commune, quale nimirum continebatur in pleno: neque enim divisione dominii hanc qualitatem amittere potest dominium directum, quod tanquam pars pleni spectandum.

§. 294.

Quæ sunt in nullius dominio, ea infeudari non possunt. Quodsi enim res aliqua in nullius fuerit dominio, nemini quoque competit jus de eadem disponendi pro arbitrio suo (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*), consequenter nemo quoque feudum in ea alteri constituere potest, neque etiam eam alteri dare potest, ut feudum sibi in ea constituatur. Quamobrem cum res infeudari nequeat, nisi vel quis in re sua alteri feudum constituit, vel in re sibi altero data sub ea conditione, ut feudum sibi in ea constituatur (§. 166. 168.); quæ sunt in nullius dominio, ea infeudari non possunt. *Res quænam infeudari non possint.*

§. 295.

Quoniam res in communione primæva relictæ sunt natura adhuc communes (§. 7. *part.* 2. *Jur. nat.*), quæ vero in dominio non sunt, infeudari non possunt (§. 294.); *res natura adhuc communes infeudari non possunt.* *An res natura adhuc communes infeudari possint.*

Ita aer, aqua profluens & lumen solis res communes manere, introductis dominiis (§. 209. *part.* 2. *Jur. nat.*). Aer igitur, aqua profluens & lumen solis infeudari nequit. Quando enim alicui conceditur jure feudi habere molendinum pneumaticum, non aer infeudatur, quo molendinum agitatur: sed jus habendi molendinum, tanquam res incorporalis (§. 259.).

§. 296.

Res, quæ in feudum datur, vel offertur, alienabilis esse debet. Etenim quando res in feudum datur, dominus feudum alteri constituit in re sua (§. 166.), adeoque dominium utile, quod a directo separatur (§. 156.), transfertur in vasallum & directum sibi retinet dominus (§. 158.). Quamobrem cum potissima pars dominii sit dominium utile (§. 1. 3.), res vero alienetur, quando dominium, quod quis in eo habet, in alium transfertur (§. 662. *part.* 2. *Jur. nat.*); si feudum in ea constituitur, maxima ex parte alienatur, etsi non alienetur in totum, quatenus aliqua dominii pars retinetur (§. 3.). Quodsi adeo res in feudum dari debet, necesse est ut sit alienabilis, seu res, quæ in feudum datur, alienabilis esse debet. *Quod erat unum.* *Rem infeudandam alienabilem esse debere*

Quodsi res alteri in feudum offertur, offerens rem suam eidem dat sub ea conditione, ut feudum sibi in eadem constituat (§. 167. 168.). Enimvero qui rem alteri dat, etiam sub quadam conditione, veluti ut accipiens sibi feudum in ea constituat (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*), dominium ejus in eundem transfert (§. 675. *p.* 2. *Jur. nat.*), adeoque eandem alienat (§. 662. *part.* 2. *Jur. nat.*). Res igitur, quæ in feudum offertur, alienabilis esse debet. *Quod erat alterum.*

§. 297.

BIU Cujas

§. 297.

Quinam rem infeudare non possit.

Quoniam res, quæ in feudum datur, vel offertur, alienabilis esse debet (§. 296.); *rem, quam quis alienare nequit, neque in feudum dare, neque offerre potest.*

Ex. gr. ponamus tibi donari prædium, sed ea lege, ne a te alienari possit; prædium istud nec in feudum dare, nec offerre alteri potes. Subinde obstare potest jus tertii, ne res alienetur; atque tunc etiam infeudario foret contra jus tertii, quod adeo impedit, quo minus fieri possit (§. 910. *p.* 1. *Jur. nat.*).

§. 298.

De infeudatione rei, in re qua dominium utile habemus.

Res, in qua dominium utile habemus, alteri in feudum dare possumus, sed salvo jure domini directi. Etenim si in re dominium utile habemus, nobis competit jus utendi fruendi cum proprietate certo modo restricta (§. 1.), reliqua vero proprietatis pars, in qua dominium directum consistit (§. 3.), ad dominium directum pertinet. Quamobrem cum proprietas non uno modo restringi possit, quod sumitur tanquam facile concedendum; nil sane obstat, quo minus eam partem proprietatis, quæ nobis competit, alio adhuc modo restringamus, & jus utendi fruendi cum proprietate magis restricta in alium transferamus, partem vero reliquam tanquam dominium aliquod directum nobis reservemus. Cum itaque feudum in re alteri constituatur, si quis jus utendi fruendi irrestrictum cum quadam proprietatis parte, adeoque dominium utile (§. 1.), in alterum transfert sub conditione mutuæ fidelitatis & dominium directum sibi reservat (§. 155. 156.); evidens est, rem, in qua dominium utile habemus, alteri in feudum dari a nobis posse. Quoniam tamen nil fieri potest contra jus tertii (§. 910. *p.* 1. *Jur. nat.*), non modo sufficit, ut salvum maneat dominium directum, quod domino competit directo, sed etiam jus reliquum, si quod præterea ipsi competit ex conventione. Rem igitur, in qua dominium utile habemus, alteri in feudum dare possumus, sed ut salvum maneat jus domini directi.

§. 299.

De infeudatione bonorum emphyteuticorum & rerum feudalium.

Quoniam in bonis emphyteuticariis (§. 13. 12.), & in rebus feudalibus dominium utile habemus (§. 157. 155.); *bona* quoque *emphyteutica & res feudales alteri in feudum dari possunt, salvo jure domini directi* (§. 298.).

Vulgo dicitur feudum dari in feudum alteri; sed tum feudum sumitur per inconstantiam loquendi in Jure naturæ minime tolerandam pro re feudali (*not.* §. 157.), adeoque ab hac phrasi in Jure naturæ abstinendum. Istiusmodi infeudatione nil aliud agitur, quam ut jus nobis competens certa lege transferatur in alium, ita ut nil quicquam committatur contra jus tertii, atque adeo nulla adest ratio, ob quam illicita esse possit, cum nemini competat jus contradicendi, quia nullius jus violatur.

§. 300.

Subfeudi definitio.

Feudum in re feudali constitutum alteri dicitur *Subfeudum* & res feudalis dicitur *subinfeudari*, quando feudum in eadem alteri constituitur. Vasallus vero, cui res feudalis in feudum datur, vocatur *subvasallus*, vulgo *subinfeudatus*. Vasallus, qui rem feudalem subinfeudat, *Dominus subfeudi*, seu respectu subvasalli *dominus* simpliciter audit.

§. 301.

Quinam subinfeudare possit.

Nemo alteri feudum in re feudali constituere, seu rem feudalem subinfeudare potest nisi vasallus. Quando enim feudum in re feudali constituitur, dominium utile, quod

BIU Cujas

quod quis in ea habet (§. 155. 157.), in alium transfertur. Enimvero dominium utile in re feudali competit vasallo (§. 158.) & nemo ipsi idem adimere potest invito (§. 336. *p. 3. Jur. nat.*). Quamobrem nemo alteri feudum in re feudali constituere, consequenter rem feudalem subinfeudare potest (§. 300.), nisi vasallus.

Nimirum res feudalis quatenus feudalis est vasalli: est enim feudalis, quatenus feudum in ea constitutum (§. 157.), consequenter quatenus dominium utile a directo sejunctum quis in ea habet (§. 155. 156.). Quamobrem cum vasallo sit dominium utile proprium, ut eo tanquam jure proprio excludat dominum feudi (§. 119. *part. 2. Jur. nat.*); res feudalis qua feudalis utique vasalli est. Quemadmodum itaque feudum in re nemo constituere potest nisi dominus (§. 165.); ita etiam in re feudali qua feudali nemo feudum constituere potest nisi vasallus.

§. 302.

Si res feudalis subinfeudatur, vasallus manet domini, a quo feudum habet, vasallus, nec in subinfeudatione quicquam conveniri potest, quod contractui feudali, quo feudum scilicet constitutum, repugnat. Etenim subinfeudatio fieri nequit nisi salvo jure domini directi seu feudi (§. 298.). Quamobrem cum per subinfeudationem feudum vasallo constitutum non tollatur, sed quoad dominum feudi perinde sit, ac si subinfeudatio facta non fuisset; vasallus quoque manet vasallus domini sui, cumque ex contractu feudali, quo feudum constitutum (§. 171.) metiendum sit jus domini & ei respondens obligatio vasalli (§. 172.), in subinfeudatione nil quicquam conveniri potest, quod contractui feudali, quo scilicet feudum constitutum, repugnat.

An per infeudationem in nexu feudali quidpiam immutetur.

Patet adeo, in nexu feudali, qui datur inter vasallum & dominum, nil quicquam immutari, & qui per infeudationem fit dominus subvasalli, eundem adhuc esse vasallum respectu domini, a quo feudum recognoscitur.

§. 303.

Quoniam re feudali subinfeudata vasallus manet domini sui vasallus, nec in subinfeudatione quicquam conveniri potest, quod contractui feudali repugnat (§. 302.); *facta subinfeudatione vasallus domino suo adhuc ad ea præstanda obligatur, ad quæ ex contractu feudali antea obligatus erat*, consequenter cum contractus feudalis inter dominum & vasallum initus per omnia subsistat, *dominus quoque vasallo suo, non obstante subinfeudatione, ad eadem adhuc obligatur, ad quæ antea obligatus fuerat* (§. 172.).

An per subinfeudationem in obligatione vasalli quidpiam mutetur, vel etiam domini.

Ex. gr. Si vasallus domino certa servitia præstare tenetur (§. 178. 183.), ea adhuc præstanda sunt, etiamsi res fuerit subinfeudata, &, si dominus vasallo protectionem debet, eundem adhuc protegere tenetur subinfeudatione facta.

304.

Subinfeudatio fieri nequit nisi pacto. Etenim quando res feudalis subinfeudatur, feudum in eadem a vasallo constituitur alteri (§. 300. 301.). Enimvero feudum constituitur pacto (§. 170.). Quamobrem nec subinfeudatio fieri potest nisi pacto.

Quomodo subinfeudatio fiat.

Poterat ostendi eodem etiam modo, quo supra demonstravimus feudum pacto constitui (§. 170.).

§. 305.

Contractus subfeudalis, aut, si mavis, *subinfeudationis* est, quo de subfeudo inter se conveniunt vasallus & subvasallus, seu dominus subfeudi & subvasallus.

Contractus subfeudalis quinam sit.

Cur pro peculiari contractu habeatur pactum, quo perficitur subinfeudatio, eodem modo patet,

BIU Cujas

tet, quo supra ostendimus (*not.* §. 128.), contractum superficiarium specialem esse contractum. Nec est quod dicas, quia subinfeudatione constituitur feudum in re feudali, hunc contractum esse eundem cum feudali, quo ipsum feudum constitutum (§. 171.), adeoque non opus esse, ut eidem contradistinguatur. Patebit enim ea, de quibus convenitur in contractu subfeudali; non semper esse prorsus eadem cum iis, quæ in feudali continentur, adeoque contractus feudalis & subfeudalis non modo duos distinctos esse contractus, quatenus inter diversas personas celebrantur, verum etiam quatenus materialiter non prorsus iidem sunt.

§. 306.

Unde metiendum sit jus & metienda obligatio subvasalli & domini subfeudi.

Quoniam in contractu subfeudali de subfeudo inter se conveniunt subvasallus & vasallus tanquam dominus, a quo feudum recognoscit (§. 305.), nemo autem plus juris ab altero acceptatione sua acquirere valet, quam in eum transferre voluit, nec quisquam alterum ultra voluntatem suam sibi obligare valet (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*); *ex contractu subfeudali metiendum est jus, metienda obligatio tam subvasalli, quam domini subfeudi.*

Notanda hic sunt eadem, quæ supra in casu simili annotavimus (*not.* §. 172.).

§. 307.

An subinfeudatio naturaliter licita.

Subinfeudatio naturaliter licita. Ostenditur eodem modo, quo supra (§. 88.) ostendimus, subemphyteuticationem naturaliter licitam esse, modo notioni emphyteuseos substituas notionem feudi (§. 155.) & subemphyteuticationis notionem subinfeudationis (§. 300.).

Hanc propositionem ideo addimus, ne quis forsan arguteur, quasi paulo ante (§. 298.) saltem ostenderimus subinfeudationis possibilitatem physicam.

§. 308.

De iis, quæ in contractu subfeudali substantialibus superaddi possunt.

In contractu subfeudali substantialibus superaddi possunt determinationes, quæ in feudali non continentur, modo iis non repugnent, quæ in feudali habentur. Quodsi quædam adjiciantur, quæ eidem repugnant; pro non adjectis habentur. Etenim vasallus subinfeudans dominium utile, quod in re feudali habet (§. 158.), adeoque jus sibi proprium (§. 1.), in subvasallum transfert per contractum subfeudalem (§. 300. 155. 304. 305.). Enimvero quilibet jus suum transferre potest in alium eo modo, qui ipsi placuerit (§. 11. *p. 3. Jur. nat.*), adeoque determinationibus substantialibus superaddere potest eas, quas voluerit. Quoniam tamen in subinfeudatione nil quicquam conveniri potest, quod contractui feudali repugnat (§. 302.); determinationes, quæ superadduntur, repugnare non debent iis, quæ in feudali habentur. Patet itaque in contractu subfeudali substantialibus superaddi posse determinationes, quæ in feudali non continentur modo iis non repugnent.

Ostenditur idem etiam hoc modo. Quando res infeudatur, vasallus alteri feudum constituit in re feudali (§. 300.). Quamobrem cum a voluntate feudum constituentis pendeat, quas determinationes substantialibus superaddere velit (§. 164.), subinfeudans tamen cum subvasallo nil convenire possit, quod repugnat iis, quæ in contractu feudali habentur (§. 302.); in contractu subfeudali superaddi possunt determinationes substantialibus, quæ in contractu feudali non continentur, modo non repugnent iis, quæ in feudali habentur. *Quod erat unum.*

Enimvero si quædam adjiciantur, quæ contractui feudali repugnant, ea cum adjici non possint (§. 302.), nullo jure adjiciuntur, adeoque invalida sunt, consequenter pro non adjectis habenda. *Quod erat alterum.*

Nimirum cum subinfeudatio sit licita (§. 307.), nulla ratio est, cur tota ruere debeat, si quæ omnes

omnes determinationes; de quibus conventum, subsistere non possit. Subsistit igitur quoad ea, quoad quæ subsistere potest. Neque enim dominus feudi habet jus contradicendi infeudationi, sed saltem iis, quæ juri suo adversantur (§. 910, *part.* 1. *Jur. nat.*). Pati igitur debet, ut infeudatio subsistat quoad ea, quæ juri ipsius non contrariantur; minime autem, ut subsistat quoad ea, quæ eidem adversantur.

§. 309.

An consensus domini ad subinfeudationem requiratur.

Consensus domini ad subinfeudationem non requiritur. Etenim facta infeudatione vasallus domino ad ea præstanda adhuc obligatur, ad quæ antea erat obligatus (§. 303.), nec quicquam in subinfeudatione conveniri potest, quod adversetur contractui feudali, &, si quid tale adjiciatur, pro non adjecto habetur (§. 308.). Domino adeo perinde est, sive vasallus re feudali ipse utatur fruatur, sive eandem subinfeudet. Nulla igitur ratio est, cur ad subinfeudationem demum requirendus sit domini consensus, adeoque idem ad eandem non requiritur (§. 70. *Ontol.*).

Hoc adeo manifestum est, ut etiam jure positivo subinfeudatio subsistat sine consensu domini. Sane domino perinde esse debet, sive vasallus dominium utile exerceat per se, id quod fit, quando res feudalis non subinfeudatur, sive per alium, id quod obtinet, quando ea subinfeudatur, ut adeo respectu domini dominium utile videatur adhuc esse penes vasallum. Cetera enim, quæ ad nexum feudalem spectant, absque ulla mutatione subsistunt (§. 303.).

§. 310.

De rerum universitate infeudata.

Rerum quædam universitas infeudari potest, seu uni eidemque in rebus pluribus diversis simul feudum constitui potest uno actu. Etenim cum a domini voluntate pendeat, cuinam & sub qua lege jus quoddam in re sua constituere velit, cum de re sua disponere possit, prout sibi visum fuerit (§. 118. *p.* 2. *Jur. nat.*); ab ejus quoque voluntate pendet, cuinam feudum in re sua constituere velit (§. 155.). Quemadmodum itaque pluribus in diversis rebus suis feudum constituere potest, & uni eidemque successive in pluribus rebus; ita etiam nihil obstat, quo minus uno actu uni eidemque in rebus pluribus simul feudum constituat. Quamobrem cum res plures diversæ simul sumtæ constituant rerum quandam universitatem; quin rerum quædam universitas infeudari possit dubitandum non est.

Ita in feudum uni eidemque simul dari possunt prædium quoddam, sylva ad idem minime pertinens, jus venandi & piscandi, jus molendinum pneumaticum habendi & quæ sunt alia ad infeudandum apta.

§. 311.

De feudo oblato in rerum universitate.

Rerum universitas in feudum alteri offerri potest. Quando enim feudum offertur, res infeudanda datur alteri sub ea conditione, ut sibi feudum in eadem constituat (§. 167. 168.). Quoniam a voluntate domini pendet, num dominium rei suæ in alterum transferre & quomodo transferre velit (§. 11 12. *p.* 3. *Jur. nat.*), adeoque num alteri rem suam dare & sub qua conditione dare velit (§. 675. *par.* 2. *Jur. nat.*); res quoque plures simul, adeoque rerum universitatem alteri sub ea conditione dare potest, ut sibi feudum in ea constituatur. Patet itaque rerum universitatem in feudum alteri offerri posse.

In rerum adeo universitate consistere potest tam feudum datum (§. 310.), quam oblatum, *vi præf.* Exemplum, quod dedimus de feudo dato (*not.* §. *cit.*), intelligi quoque potest de feudo oblato.

BIU Cujas

§ 312.

De subinfeudatione particulari rerum universitate infeudata.

Si quis feudum constitutum habet in rerum universitate; is rem unam atque alteram sigillatim absque ceteris uni, vel pluribus subinfeudare potest. Etenim si rerum universitas infeudatur, cum ea consistat in rebus, quæ a se invicem diversæ sunt, & quarum una absque altera infeudari potest; feudum in universitate constitutum spectari potest tanquam multiplex, tot scilicet concipiendo feuda particularia, quot sunt res diversæ. Quamobrem cum unaquæque earum subinfeudari possit (§. 299. 300.) & infeudatio uniuscujusque licita sit (§. 307.); a vasalli, qui solus subinfeudare potest (§. 301.), voluntate omnino pendet, utrum rerum universitatem totam, an rem unam vel alteram sive uni, sive pluribus sigillatim subinfeudare velit. Atque adeo patet, si quis feudum constitutum habeat in rerum universitate, eum rem unam vel alteram absque ceteris uni, vel pluribus subinfeudare posse.

Ponamus rerum universitatem infeudatam constare ex prædio, sylva, piscina, jure venandi, jure piscandi, jure certos reditus percipiendi. Vasallus, si ipsi ita visum fuerit, in feudum alteri dare potest solum jus venandi, alii feudum, quod ipsi in sylva constitutum, & ita porro. Subinfeudari adeo potest sylva sola, jus venandi solum & ita porro.

§. 313.

An subinfeudatio gratuita esse debeat.

Subinfeudatio fieri potest tam gratis, quam certo pretio interveniente. Quoniam enim subinfeudatio vasallo licita est (§. 307.), modo fiat salvo jure domini feudi (§. 299.), hoc vero salvum manere possit, sive subfeudum gratis, sive certo pretio interveniente constituatur, quod per se patet; a vasalli utique voluntate pendet, utrum rem feudalem gratis, an certo pretio interveniente subinfeudare velit. Quamobrem subinfeudatio tam gratis, quam certo pretio interveniente fieri potest.

Domini non interest, sive vasallus subfeudum alteri gratis concedat, sive vendat. Adeoque nulla ratio est, cur non utrumque facere possit, prout ipsum visum fuerit. Falluntur adeo, qui sibi persuadent, subinfeudationem necessario gratis fieri debere. Sane per hoc, quod pretium certum accipiat vasallus a subvasallo, ut ei rem feudalem subinfeudet, nihil immutatur in jure domini feudi, nec in obligatione vasalli, qua domino devinctus est. Quamdiu adeo jus domini salvum manet, subinfeudatio nihil habet, quod illicitum dici possit. Quæ dubia moventur ex textibus Juris, ea in Jure naturæ non attenduntur, ubi demonstrandum, quod naturaliter valeat.

§. 314.

Num dominium utile totum in subfeudatione transferatur.

Subinfeudatione non totum dominium utile in subvasallum transfertur; sed pars quædam proprietatis remanet apud vasallum. Ponamus enim totum dominium utile in subvasallum transferri. Quoniam dominium utile consistit in jure utendi fruendi prorsus libero, seu nullo modo restricto, & proprietate restricta (§. 1.); omne jus utendi fruendi una cum omni proprietate, quam habet vasallus, in subvasallum transfertur. Quamobrem cum præter dominium utile nihil juris in re habeat vasallus (§. 158.), dominium vero directum in subinfeudatione salvum maneat domino feudi (§. 299. 300.); facta subinfeudatione nihil juris in re retinet vasallus, sed totum, quod ipse habebat, jam competit subvasallo, consequenter feudum in subvasallum transfertur, non vero subfeudum eidem in re feudali constituitur. Quod cum sit absurdum, subinfeudatione non totum dominium utile in subvasallum transferre potest vasallus, quod habet. *Quod erat unum.*

Quoniam itaque dominium utile totum, quod habet vasallus, in subvasallum transferre nequit *per demonstrata;* necesse est, ut ejus aliquid sibi retineat. Enimvero dum rem feudalem subinfeudat, subvasallo feudum in ea constituit (§. 300.), atque adeo domi-

BIU Cujas

dominium utile, quod habet, quemadmodum dominus dominium plenum, in utile & directum dividere, ac utile subvasallo concedere, directum sibi retinere debet (§. 157. 158.). Quamobrem cum dominium directum in particula quadam proprietatis consistat (§. 3.); si subinfeudatio fit, pars quædam proprietatis apud vasallum remanere debet. *Quod erat alterum.*

Differt alienatio feudi & subinfeudatio. In illa enim dominium utile, quod habebat vasallus, totum in alium transfert, & sic desinit esse vasallus, nexus feudalis inter ipsum ac dominum feudi tollitur, & qui dominium utile acquisivit fit novus vasallus, in hunc transit omnis obligatio vasallitica & ipse dominum feudi suum dominum superiorem agnoscere tenetur. Ast in subinfeudatione totum dominium utile, quod habet vasallus, non transit in subvasallum, sed novum quasi dominium utile constituitur, & sic qui fuerat vasallus manet vasallus domini sui, nec in subvasallum transit obligatio, qua ipse domino feudi devinctus, subvasallus vero ipsi obligatur eumque dominum suum superiorem agnoscit. Hinc subinfeudatio alienatio feudi imperfecta vocatur & dominium utile vetus apud vasallum manere vulgo dicitur, aliud novum quasi subalternatum subvasallo conceditur. Ideo quoque jam ante monuimus, quod vasallus dominium suum utile veluti exerceat per alium, aut exerceri patiatur ab alio, lege a se præscripta. Habet subinfeudatio aliquid affinitatis cum sublocatione, in qua conductor qui manet induit quoque personam locatoris, ita ut respectu locatoris sui sit conductor, respectu conductoris sui locator (§. 1208. *part.* 4. *Jur. nat.*).

§. 315.

Subfeudum a subvasallo denuo subinfeudari potest. Etenim subvasallus se habet ad vasallum tanquam dominum suum, quemadmodum vasallus ad suum dominum (§. 300.). Quoad vasallum igitur perinde est, ac si feudum sibi esset constitutum in re non feudali, sed allodiali a domino. Enimvero vasallus, etiam sine consensu domini (§. 309.), rem feudalem subinfeudare potest (§. 299. 307.). Ergo etiam subvasallus subfeudum denuo subinfeudare potest. *An subfeudum denuo subinfeudari possit.*

Facile patet, naturaliter hanc subinfeudationem licitam esse in infinitum, hoc est, nullum in Jure naturæ præfigi terminum subinfeudationi, quo usque permissa esse debeat.

§. 316.

In subinfeudatione jus subvasalli non potest augeri; potest tamen imminui. Etenim vasallus in subvasallum transferre nequit plus juris, quam ipse in re feudali habet, quod per se patet: immo si contrarium fieri ponatur, minime salvum erit jus domini, a quo feudum recognoscit vasallus, quod tamen in subinfeudatione salvum manere debet (§. 299.). Enimvero si jus subvasalli in subinfeudatione augeatur, plus juris in subvasallum transferret vasallus, quam ipse in re feudali habet (§. 426. *Ontol.*). Patet itaque in subinfeudatione jus subvasalli augeri non posse. *Quod erat unum.* *De jure subvasalli imminuto.*

Enimvero in contractu subfeudali superaddi possunt substantialibus determinationes, quæ in feudali non continentur, modo non repugnent iis, quæ in feudali habentur (§. 308.). Quamobrem cum nihil ita determinetur, ut repugnet contractui feudali, si jus subvasalli minuitur, adeoque aliquid eidem demitur, quod vasallo concessum (§. 426. *Ontol.*); in subinfeudatione jus subvasalli imminui potest. *Quod erat alterum.*

Quando jus subvasalli imminuitur, tunc multo clarius elucescit, quod dominium utile novum constituatur, quod in subvasallum transfertur, quam si nihil mutationis juri vasallitico accidit in subinfeudatione. Quoniam tamen propterea nihil juris amittit vasallus, quod ipsi vi contractus feudalis competit; per novum hoc dominium utile vetus non aboletur, sed istud huic tantummodo subordinatur, quatenus nihil continet, quod contractui feudali, ex quo metiendum est jus vasalli, metienda ejus quoque obligatio (§. 172.), repugnat.

BIU Cujas

§. 317.

Quando subinfeudatio fieri nequeat.

Si in contractu feudali expresse fuerit conventum, ne feudum subinfeudari debeat; vasallus feudum subinfeudare nequit; & si subinfeudatio contra prohibitionem fiat, nulla est: naturaliter tamen feudum non amittit vasallus, nisi expresse ita fuerit conventum. Etenim si in contractu feudali expresse fuerit conventum, ne feudum subinfeudari debeat, cum ex contractu metienda sit obligatio vasalli (§. 172.); vasallus obligatur ad feudum non subinfeudandum consequenter nec ipsi jus est hoc faciendi (§. 118. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Feudum igitur subinfeudare cum non liceat (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), idem quoque infeudare nequit. *Quod erat primum.*

Quoniam vasallo non competit jus subinfeudandi, si subinfeudatio in contractu feudali prohibita, *per demonstrata;* si vasallus non obstante hac prohibitione feudum subinfeudet, subinfeudatio nullo jure fit, consequenter nulla est. *Quod erat secundum.*

Et quia domino, si in contractu feudali expresse fuerit conventum, ne feudum subinfeudari debeat, competit jus non solum prohibendi, ne faciat, si vasallus infeudare velit, verum etiam non patiendi, ut infeudatio facta fit (§. 172.); in hypothesi propositionis præsentis dominus irritam facere potest subinfeudationem factam. Ex eo autem, quod irritam facere possit subinfeudationem, minime sequitur, quod vasallus feudum amittere debeat, quia contra prohibitionem subinfeudavit, cum jus irritum faciendi actum subinfeudationis non contineat jus auferendi vasallo feudum, quod facile patet. Naturaliter itaque feudum non amittit vasallus, si contra prohibitionem conventam id subinfeudavit. *Quod erat tertium.*

Enimvero si expresse conveniatur, ut feudum per subinfeudationem committi debeat, amissio feudi prohibitioni subinfeudationis adjicitur tanquam pœna (§. 606. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum pœnæ locus sit, si promissione pœnali non stetur (§. 611. *p.* 3. *Jur. nat.*); si expresse fuerit conventum, ut feudum per subinfeudationem amittatur, contra prohibitionem conventam subinfeudans feudum amittit. *Quod erat quartum.*

Jus privandi feudo vasallum subinfeudantem accedit ad jus irritam faciendi subinfeudationem. Quando enim feudum amittit vasallus, non propterea id acquirit subvasallus, ut is in locum vasalli succedat. Dominus enim cum subvasallo nihil contraxit, adeoque nec eidem ad quicquam obligatus est. Ceterum facile apparet, prohibitioni subinfeudationis vix esse locum, si alienandi potestas concedatur vasallo, cum subinfeudatio, quæ imperfecta quædam alienatio est (*not.* §. 314.), minus quidpiam sit, quam alienatio.

§. 318.

Quando ad subinfeudationem requiratur consensus domini.

Ita etiam conveniri potest, ut sine consensu domini subinfeudare non liceat, & tunc subinfeudatio sine consensu domini facta non subsistit. Etenim feudum constituens substantialibus determinationes superaddere potest, quas voluerit (§. 164.), adeoque legem præscribere, sub qua feudum constitutum esse debeat, quæ placuerit. Quodsi ergo voluerit, ut sine consensu domini subinfeudare non liceat, cum determinationes, quas substantialibus superaddere visum est, in contractu feudali definiendæ sint (§. 173.), ita omnino conveniri potest, ut sine consensu domini subinfeudare non liceat (§. 171.). *Quod erat unum.*

Quodsi itaque in contractu feudali, ex quo metiendum est jus vasalli (§. 172.), ita fuerit conventum, ut ne liceat subinfeudare sine consensu domini; vasallo non competit jus sine consensu domini subinfeudandi (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem si sine consensu domini subinfeudet, subinfeudatio nullo fit jure, adeoque nulla est, consequenter non subsistit. *Quod erat alterum.*

Quoniam expressa conventione opus est, ut ne liceat sine consensu domini subinfeudare (§. 309.); ex eo, quod in contractu feudali expresse dictum sit, sine consensu domini feudum non debere alienari, minime colligi potest, consensum quoque domini ad subinfeudationem requiren-

BIU Cujas

quirendum esse, cum subinfeudatio non sit alienatio, qua novus vasallus domino obtruditur, si absque consensu ipsius fiat. Unde & in jure positivo, quo ad alienationem requiritur consensus domini, subinfeudatio tamen sine consensu ipsius permissa.

§. 319.

De utilitate, quam vasallus percipit ex re feudali.

Vasallus ex re feudali solus omnem percipit utilitatem. Idem valet de subvasallo. Etenim vasallus habet dominium utile in re feudali (§. 155.), adeoque dominus utilis est (§. 2.). Quamobrem cum dominus utilis solus ex re percipiat omnem utilitatem (§. *cit.*); vasallus quoque ex re feudali solus omnem percipit utilitatem. *Quod erat unum.*

Quoniam subvasallo feudum constituitur in re feudali (§. 300.), dominium utile itidem in eundem transfertur (§. 155.). Quamobrem ut ante patet, subvasallum ex re feudali solum percipere omnem utilitatem. *Quod erat alterum.*

Non obstat, quod vasallus partem saltem rei feudalis subinfeudare possit, in reliqua dominium utile sibi reservare. Etenim si partem saltem subinfeudat, ex ea parte subvasallus solus omnem percipit utilitatem, quemadmodum vasallus nonnisi ex ea tantummodo utilitatem omnem perciperet, si ea saltem ipsi infeudata fuisset. Neque etiam obstat, si subvasallus obligatus ad canonem præstandum vasallo, quem is solvere non tenetur domino, quod fieri utique potest in subinfeudatione (§. 316.). Etsi enim hoc onus adjectum sit subfeudo, quod non adhæret feudo; hoc tamen non obstante omnem utilitatem solus percipit ex re subinfeudata vasallus, quippe qui re ita utitur fruitur, ac si ad canonem præstandum non esset obligatus. Jus nimirum percipiendi omnem ex re utilitatem ipsi sub onere quodam competit, hoc tamen non obstante, nullo modo restringitur, sed in se prorsus liberum manet. Obligatio præstandi onus extrinsecus accedit ad jus, non vero eidem inest.

§. 320.

Fructus ex feudo percepti quam qualitatem habeant.

Fructus ex re feudali percepti feudales non sunt, sed allodiales. Etenim jus utendi fruendi prorsus irrestrictum vasallo competit, & de fructibus, quos percipit, prorsus pro arbitrio suo disponere potest (§. 159.), consequenter in iis dominium plenum habet (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum res allodiales sint, in quibus dominium plenum habemus (§. 192.); fructus ex re feudali percepti allodiales sunt. *Quod erat unum.*

Enimvero quod allodiale est, feudale non est (§. 192.). Quamobrem cum fructus ex re feudali percepti sint allodiales, *per demonstrata*; feudales non sunt. *Quod erat alterum.*

Posterius ostenditur etiam hoc modo. Feudum constituitur in re, ex qua fructus percipiuntur, non vero in fructibus, qui ex ea percipiuntur, quamvis fructuum percipiendorum causa (§. 155. 1.). Enimvero in quo feudum non constituitur, id res feudalis non est (§. 157.). Ergo nec fructus qui ex re feudali percipiuntur, feudales sunt.

Fructus acquirit vasallus jure feudi; ast propterea non in ipsis feudum constitutum est, quod constitutum in re, ex qua fructus percipiuntur, consequenter nec ad res feudales referri possunt (§. 192.): quin potius feudum constituitur in re, ut fructus ex ea percipiendi sint vasalli proprii.

§. 321.

Cujusnam sit fructuum periculum ex re feudali.

Periculum fructuum omne ad solum vasallum spectat. Quoniam enim vasallus ex re feudali solus omnem percipit utilitatem (§. 319.); fructus quoque omnes ad eum solum pertinet, nihil vero eorum ad dominum directum pervenit. Quodsi ergo casus in fructibus contingat; damnum quoque ad solum vasallum pertinet, adeoque omne periculum fructuum ad eum solum spectat.

Nulla sane ratio est, cur dominus particeps esse debeat damni, cum non fiat particeps fructuum

BIU Cujas

ctuum. Si particeps esset fructuum, damnum sentiret pro rata, quod contingit in re communi. Quando itaque rata fructuum nulla est, damnum quoque nullum esse potest, quippe quod cum rata fructuum percipiendorum decrescit adeoque & cum eadem evanescit.

§. 322.

An res feudalis locari possit alteri.

Vasallus rem feudalem alteri locare potest. Etenim vasallus de usu ac fructu rei feudalis pro arbitrio suo disponere potest (§. 159.), consequenter etiam usum ejus tam simplicem, quam cum fructu conjunctum pro certa mercede alii concedere. Quamobrem cum res alteri locetur, si ejus usus, sive simplex, sive cum fructu conjunctus, pro certa mercede alteri conceditur (§. 1194. *part.* 4. *Jur. nat.*); vasallus feudum alteri locare potest.

Quoniam jus utendi fruendi prorsus irrestrictum, seu liberum ad vasallum pertinet (§. 155. 1.), adeoque is eodem excludit dominum directum, qui nonnisi partem aliquam proprietatis habet (§. 3. 158.); vasallus quoque rem feudalem locare potest sine domini consensu, cujus etiam non interest, sive ipse eadem utatur fruatur per se, sive per alium. Posterius nimirum contingit, quando eandem locat, cum conductor re utatur fruatur non jure proprio, sed jure vasalli ab eo sibi concesso.

§. 323.

An merces pro re feudali locata solvenda sit feudalis.

Merces, quæ a conductore vasallo solvitur, feudalis non est, sed allodialis. Etenim merces, quæ a conductore vasallo solvitur, pro usu rei præstatur (§. 1194. *part.* 4. *Jur. nat.*), adeoque æquipollet fructibus ex re feudali percipiendis (§. 956. *part.* 1. *Theol. nat.*). Quamobrem cum fructus, qui ex re feudali percipiuntur, feudales non sint, sed allodiales (§. 320.); merces, quæ a conductore vasallo solvitur, feudalis non est, sed allodialis.

§. 324.

De pecunia re feudali utendo fruendo acquisita.

Pecunia, quam quis re feudali utendo fruendo lucratus est, feudalis non est, sed allodialis. Etenim si quis pecuniam lucratur re feudali utendo fruendo, necesse est ut eandem accipiat vel pro fructibus venditis, vel pro usu rei alteri locatæ, seu tanquam mercedem (§. 1194. *part.* 4. *Jur. nat.*). Enimvero fructus non feudales sunt, sed allodiales (§. 320.), adeoque etiam ratio nulla est, cur pecunia feudalis esse debeat, quæ pro fructibus venditis accipitur. Feudalis igitur non est (§. 70. *Ontol.*), adeoque allodialis esse debet (§. 192.). Similiter merces, quæ a conductore vasallo solvitur, consequenter pecunia, quam accipit pro usu rei alteri locatæ, feudalis non est, sed allodialis (§. 323.). Quamobrem pecunia omnis, quam vasallus re feudali utendo fruendo lucratus est, feudalis non est, sed allodialis.

§. 325.

De usufructu rei feudalis.

Vasallus rei feudalis usum tam simplicem, quam cum fructu conjunctum alteri gratis concedere potest. Etenim de usu ac fructu rei pro arbitrio suo disponere potest (§. 159.), adeoque ab ipsius voluntate dependet, quomodo usum sive simplicem, sive cum fructu conjunctum alteri concedere velit. Quodsi ergo rei feudalis usum sive simplicem, sive cum fructu conjunctum alteri gratis concedere velit; quin hoc facere possit dubitandum non est.

Domini, cum is nullam ex re feudali percipiat utilitatem (§. 319.), parum interest, utrum usum rei feudalis alteri concedat gratis, an pro certa mercede. Quamobrem non minus gratis eundem concedere, quam rem feudalem locare potest. Eadem utrobique ratio est, quemadmodum

BIU Cujas

dum ex collatione propositionis præsentis & superioris (§. 322.) abunde patet. Sunt qui negant, usumfructum in re feudali a vasallo alteri constitui posse; sed illi supponunt eum non constitui salvo jure domini, quod tamen fieri aliter non posse, extra dubium est (§. 910. *p.* 1. *Jur. nat.*). Ast hoc inferius clarius elucescet.

§. 326.

Quid fiat feudo finito.

Feudi constitutio continet tacitam hanc conditionem, ut, si feudum finiri contingat, seu nemo amplius sit, cui idem competere possit, res, quæ feudalis fuerat, pleno jure sit domini feudi. Etenim dum feudum constituitur, dominus dominium plenum, quod in re habet, dividit in utile ac directum (§. 156.) & utile in vasallum transfert, directum sibi reservat (§. 158.). Transfert autem vel ad certum tempus, vel in perpetuum simpliciter, ut scilicet hæredes in eo succedere possint, vel determinative, nominatis certis personis, ad quas certo ordine transmitti debet (§. 175.), consequenter ea lege, ut contingere possit adesse neminem, cui feudum competere possit, adeoque id finiri. Quamobrem eo utique animo dominium utile in vasallum transfert dominus, ut, si feudum finiri contingat, dominium utile a directo non amplius separatum esse, sed res, quæ fuerat feudalis, pleno rursus jure sua esse debeat. Patet itaque feudi constitutionem continere tacitam hanc conditionem, ut, si feudum finiri contingat, seu nemo amplius adsit, cui vi primæ conventionis competere possit, res, quæ feudalis fuerat, pleno jure sit domini feudi.

Sane nemo dubitat, si feudum constituitur ad certum tempus vel ad dies vitæ, eum esse animum constituentis, ut tempore isto elapso, vel vasallo mortuo res iterum sua esse debeat pleno jure. Nonne vero perinde est, si feudum constituitur pro certis personis sibi invicem certo ordine in feudo successuris, ac si idem constitueretur successive pluribus personis ad dies vitæ. Ecquis ergo dubitare poterit, eum esse animum constituentis, ut, si ultimus vasallus moriatur, res iterum, quæ feudalis fuerat, sua jure pleno esse debeat, seu ejus, ad quem jus suum fuit devolutum, aut in quem alio modo translatum? Jus domini directi metiendum est ex contractu feudali (§. 172.), atque adeo ex eodem quoque deducendum, quale jus esse debeat domini, feudo finito, consequenter quinam fuerit animus domini cum vasallo contrahentis, quippe a quo pendet omne jus tam vasallo concessum, quam sibi reservatum aut stipulatum (§. 11. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ceterum demonstratio propositionis præsentis eodem modo intelligitur de feudo tam dato, quam oblato. Etenim si feudum fuerit oblatum, idem constituitur in re domino data a vasallo sub ea conditione, ut feudum sibi in ea constitueretur (§. 167. 168.), adeoque ea ante pleno jure fit domini, quam feudum in ea constituere possit, etsi obligatus sit ad feudum in ea constituendum, nec pleno jure eandem possidere queat. Quoad feudi vero constitutionem parum interest, sive dominus proprio motu in re sua feudum constituat, sive ad idem constituendum obligatus sit. Sane se quoque alteri obligare potest ad feudum constituendum in re, quam ab eo non accepit, antequam actu constituat. Hæc vero obligatio constitutionem feudi minime alterat.

§. 327.

Successor feudalis quinam sit.

Successor feudalis dicitur is, ad quem vi legis constitutionis mortuo vasallo feudum devolvitur.

Ex. gr. Ponamus feudum esse constitutum pro primo acquirente & omnibus ab eo descendentibus masculis. Filius primi acquirentis & ejusdem nepos ex filio erunt successores feudales, sed nepos ex filia non erit successor feudalis. Quodsi feudum constituatur ad dies vitæ, nullus erit successor feudalis.

§. 328.

De successore feudali deficiente.

Quoniam res feudalis pleno jure est domini directi, si mortuo vasallo nemo amplius fuerit, cui feudum obtingere possit (§. 326.), quando vero nemo est, ad quem vi legis constitutionis mortuo vasallo feudum devolvitur, successor feudalis deficit, aut nullus

BIU Cujas

nullus existit (§. 327.); *successore feudali deficiente, aut nullo existente, res, quæ feudalis fuerat, pleno jure est domini.*

Patet per ea, quæ paulo ante (*not.* §. 326.) annotavimus, id valere non minus de feudo oblato, quam dato.

§. 329.

Feudi apertura quid sit.

Feudum aperiri dicitur *domino*, si successor feudalis deficit, consequenter si nullus extiterit, ad quem vi legis constitutionis mortuo vasallo feudum devolvitur (§. 327.). *Apertura* adeo *feudi* est vacuitas juris succedendi in feudo.

Ex. gr. Si feudum fuerit constitutum pro primo acquirente & omnibus ab eo descendentibus masculis; quamprimum nullus amplius extat masculus, qui a primo acquirente descendit, consequenter ad quem vi legis constitutionis feudum devolvi possit, feudum domino aperitur.

§. 330.

De eo, quod ex apertura sequatur.

Quoniam feudum domino aperitur, si successor feudalis deficit (§. 329.), deficiente vero successore feudali res, quæ feudalis fuerat, pleno jure fit domini (§. 328.); *feudo aperto res, quæ feudalis fuerat, statim pleno jure domini est,*

Apertura feudi conditio est, sub qua dominium plenum habere debet dominus (§. 326.), qui tantummodo directum habebat (§. 158.), non vero causa, aut, si mavis ratio, cur idem domino obveniat. Quando nullus successor feudalis extat, res feudalis qualitatem feudalem amittit ex conventione, adeoque induit qualitatem allodialem (§. 192.), quod cum fieri non possit in præjudicium domini directi, qui dominium directum in ea habet (§. 158.), ex eadem conventione sub hac qualitate jam pertinet ad dominum. Habet res qualitatem feudalem ex conventione, atque eandem quoque ex conventione eadem, qua eam nacta fuerat, amittit. Non igitur succedit in feudo dominus, ut fiat vasallus sui ipsius, quod omnino absurdum. Neque proprie dici potest dominium utile ad dominum reverti, quod ab eo abfuit, sed potius dominio utili, in quo feudum consistit (§. 155.), extincto, dominium plenum reviviscit, dum, ut diximus, res feudalis ex conventione recuperat qualitatem allodialem.

§. 331.

Quando feudum aperturæ proximum.

Feudum dicitur *aperturæ proximum*, si spes sit fore, ut aperiatur. Quoniam itaque feudum aperitur, si deficiat successor feudalis (§. 329.); *feudum aperturæ proximum est, si spes sit fore, ut brevi nullus extet successor feudalis.*

Jure positivo definiri potest, quot personæ minimum ad succedendum in feudo habiles in vita esse debeant, ne feudum aperturæ proximum haberi possit. Naturaliter vero in contractu feudali de hoc personarum numero conveniendum (§. 172.), an scilicet sufficiat, ut possessor præsens feudi unicum saltem habere debeat successorem præsumtivum, an duo sint, requiratur, ad quos successive feudum devolvi possit. Dico successorem præsumtivum, cum constare non possit, utrum possessori feudi sit supervicturus, an ante eundem diem supremum obiturus.

§. 332.

An feudum aperturæ proximum sit alienabile.

Feudum aperturæ proximum in extraneum alienari nequit. Etenim feudum aperturæ proximum est, si spes sit fore, ut brevi nullus extet successor feudalis (§. 331.). Quoniam itaque feudo aperto, res, quæ feudalis fuerat, statim pleno jure domini est (§. 330.); ne feudum aperturæ proximum alienetur in præjudicium domini, adeoque contra jus ejusdem metuendum est. Quamobrem cum nil fieri debeat, quod est contra jus alterius (§. 910. *part* 1. *Jur. nat.*); feudum aperturæ proximum in extraneum alienari nequit.

Quo-

BIU Cujas

Quoniam adeo feudum aperturæ proximum alienari nequit, quia domini interest ne hoc fiat, quemadmodum ex demonstratione liquet; quando feudum alienatur, domino constare debet, utrum aperturæ proximum sit, nec ne. Atque ideo jure positivo requiri potest consensus domini ad alienationem, quemadmodum quoque naturaliter ita conveniri potest ob eandem rationem, ut sine consensu domini alienari non debeat feudum. Non tamen necessarium est, ut hoc fiat. Quoniam enim contractus feudalis cum vasallo novo renovandus, si feudum alienatur (§. 209.); antequam dominus eundem cum eodem renovet, docendum saltem feudum aperturæ proximum non esse. Quodsi contrarium deprehendatur, dominus alienationem irritam facere potest, vi corollarii sequentis.

§. 333.

Quoniam *feudum aperturæ proximum* alienari nequit in extraneum a vasallo (§. 332.) *dominus pati non tenetur, ut alienetur*, consequenter *hoc prohibere &, si ipso inscio facta fuerit alienatio, eandem irritam facere potest.* *Jus domini quoad alienationem feudi aperturæ proximi.*

Præstare igitur videtur, ut consensus requiratur ad alienationem, etsi absolute necessarium non sit, cum minus molestum sit alienationem impedire, quam factam irritam facere. Unde etiam dici potest, jure naturæ perfectivo consensum domini ad alienationem requiri (§. 193. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 334.

Contractus feudalis non continet tacitam hanc conditionem, ut, si mortuo domino directo non extiterit successor, res, quæ feudalis fuerat, sit pleno jure vasalli, feudo constituto in perpetuum pro certis personis, quæ nominantur. Quodsi tamen ita expresse fuerit conventum, quoad successores feudales quasi qualitatem feudalem retinere debet. Etenim si domino directo mortuo sine successore res, quæ feudalis fuerat, pleno jure fieret vasalli, feudalis esse desineret atque allodialis fieret (§. 192.), consequenter iis, ad quos vi constitutionis aliquando feudum devolvi poterat, adimeretur jus suum. Quoniam itaque nihil fieri potest, quod est contra jus alterius (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*); nec dominus feudum constituens pro certis personis certo ordine sibi invicem successuris hoc voluisse intelligitur, ut, si mortuo sibi non existat successor, res, quæ feudalis fuerat, sit pleno jure vasalli. Contractus adeo feudalis, quando feudum constituitur in perpetuum nominatis certis personis, seu pro certis personis certo ordine sibi invicem successuris, minime continet tacitam hanc conditionem, ut, si mortuo domino nullus existat successor, sive hæres, res, quæ feudalis fuerat, sit pleno jure vasalli. *Quod erat unum.* *An mortuo domino directo sine hærede feudum amittat qualitatem feudalem.*

Quodsi vero ponamus, ita expresse fuisse conventum; ita quoque explicanda est mens domini, ne contradictoria voluisse dicendus sit. Quamobrem id tacite voluisse censendus est dominus, ut casu illo existente res quidem desinat esse feudalis, sed ne quid fiat contra jus eorum, pro quibus constitutum est (§. 910. *p.* 1. *Jur. nat.*), posthac tanquam si feudalis adhuc esset pleno jure devolvatur ad eos, ad quos certo ordine devolvi debebat, consequenter quoad successores feudales qualitatem quasi feudalem retinere debeat. *Quod erat alterum.*

Nimirum in casu altero propositionis præsentis res non amittit omnem feudalitatem, sed saltem eam, quam habet respectu domini, quam vero habet respectu vasalli adhuc retinet, ut adeo quasi feudalis sit respectu eorum, quibus aliquando jus ad feudum competere potest. Hæc quasi feudalitas minime absurda est. Quidni enim alteri aliquid etiam dari possit hac conditione, ut certo ordine transmittatur ad certas personas, veluti successive ad descendentes masculos a primo acquirente? Quodsi dicas, hoc modo semper contractui feudali tacitam inesse posse conditionem, ut res transmittatur pleno jure tanquam feudalis, adeoque domino sine hærede mortuo sit quasi feudalis; hoc concedendum non est. Etenim ratio aliqua adesse debet, quæ nos ducit ad hanc interpretationem, cum pro vero haberi nequeat, nisi quod sufficienter indicatum (§. 327. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quando igitur nihil dicitur, quid obtinere debeat, domino sine hærede mortuo, de eo casu non cogitatum esse apparet. Quamobrem nec dominus censeri potest voluisse, ut res, quæ feudalis erat apud vasallum, nunc pleno jure sit apud eundem, sed salvo

BIU Cujas

salvo jure eorum, pro quibus feudum constitutum fuerat. Immo si vel maxime de eo cogitatum esse ponamus, cum tamen nihil dictum sit, dominus præsumitur voluisse id, quod ordinarie obtinet, quando mortuo non existit hæres (§. 248. *p. 2. Jur. nat.*), de quo suo loco dicemus.

§. 335.

De casu isto, quid generaliter tenendum.

Immo in genere contractus feudalis continere nequit tacitam hanc conditionem, ut, si dominus moriatur sine successore, seu hærede, res feudalis pleno jure esse debeat vasalli. Quænam enim fuerit mens domini, cum feudum constitueret, judicandum est ex iis, quæ sufficienter indicata sunt, cum contraheretur (§. 328. *part. 3. Jur. nat. & §. 172. h.*), consequenter ex iis, quæ dicta, vel facta sunt. Enimvero quando alicui feudum constituitur, dominium directum ab utili separatum retinet dominus (§. 127. 128.) tanquam rem incorporalem, quæ sine ulla restrictione ac limitatione sua est, si de eo nihil expresse conveniatur, atque adeo idem est in bonis ipsius (§. 451. *p. 2. Jur. nat.*) & accensetur ceteris ejus bonis allodialibus (§. 192.). Nihil igitur dicitur, vel agitur, ex quo colligi possit, constituentem voluisse, ut, mortuo domino sine successore, seu hærede, dominium directum extingui & res, quæ feudalis fuerat, pleno jure esse debeat vasalli. Quamobrem patet in genere contractum feudalem continere non posse tacitam hanc conditionem, ut, si dominus moriatur sine hærede, res feudalis pleno jure esse debeat vasalli.

Nimirum in genere valet, quod in casu speciali diximus (*not.* §. 334.), quando nihil dicitur, quid obtinere debeat, domino sine hærede mortuo, de eo casu non fuisse cogitatum, consequenter nec dici posse, quid voluerit dominus, eodem existente, aut, si vel maxime in dubio sumamus, quod tamen vix sumere licet (§. 248. *part. 2. Jur. nat.*), de eo fuisse cogitatum, dominus tamen intelligitur voluisse, ut dominii hujus directi, tanquam rei particularis, quæ est in bonis suis, idem sit fatum, quod ceterorum omnium existit, alias enim aliquo modo indicasset, quodnam quoad istud discrimen esse velit. Transit dominium, quamdiu existit, qui jus succedendi in bonis ejus habet, una cum rebus ceteris ad hunc successorem, adeoque semper manet in massa bonorum. Nulla igitur ratio est, cur dominus præsumatur voluisse, eam tunc a massa reliqua bonorum separari debere, quando hæres nullus eidem existit. Immo nemo facile præsumitur habere animum moriendi sine hærede, cum suo loco demonstraturi simus, etiam naturaliter unumquemque ultima voluntate de bonis suis disponere posse, prouti sibi visum fuerit, etiamsi nullus adsit, qui jure quodam succedere possit ab intestato, uti loquimur. Nullæ igitur sunt rationes, quæ nos ducant ad eam interpretationem contractus feudalis, ut tacita ista conditio, de qua agitur in propositione præsente, eidem inesse intelligatur. Neque favet huic interpretationi, si vel maxime feudum fuerit oblatum. Etenim tunc datur res domino sub ea conditione, ut feudum sibi in ea constituatur (§. 167. 168.). Quodsi ergo rem in feudum offerens voluisset, ut, domino sine hærede mortuo, dominium directum extinguatur, sicque res pleno jure rursus sit vasalli, cum hoc ex conditione, sub qua alteri rem suam dat, non sequatur, necesse omnino erat, ut expresse conveniretur, feudum in re data diutius subsistere non debere, si dominum sine hærede mori contingit.

§. 336.

De subfeudo, si feudum finitur.

Si vasallus moritur sine successore feudali, vel feudum quocunque modo amittit; subfeudum extinguitur. Etenim subinfeudatio fieri nequit, nisi salvo jure domini directi (§. 299. 300.). Quoniam itaque vasallo sine successore feudali mortuo, res, quæ feudalis fuerat, statim pleno jure fit domini (§. 326.), adeoque subfeudum in eadem subsistere minime potest (§. 300.); si vasallus moritur sine successore feudali, subfeudum extinguitur. *Quod erat unum.*

Similiter cum res feudalis statim pleno jure sit domini, si feudum finiri contingat (§. 326.), quocunque tandem modo hoc fiat; finito feudo, nec subfeudum subsistere potest (§. 300.), consequenter subfeudum extinguitur. *Quod erat alterum.*

Jus subvasalli dependet a jure vasalli (§. 300.). Quodsi ergo jus vasalli tollitur, nec jus subvasalli amplius subsistere potest, cujus veluti basis illud est.

§. 337.

BIU Cujas

§. 337.

Quoniam feudo finito ſubfeudum extinguitur (§. 336.); *ſi feudum vaſallo nonniſi ad dies vitæ, vel revocabiliter pro lubitu domini, ſeu precario fuerit conſtitutum* (§. 1124. *part.* 5. *Jur. nat.*), *in priori caſu mortuo vaſallo, in poſteriori feudo revocato ſubfeudum extinguitur.*

De ſubfeudo in feudo ad dies vitæ, vel precario conſtituto.

Nimirum in caſu priori ſubfeudum a vaſallo conſtitui non potuit niſi ſub hac conditione, quamdiu vixero; in poſteriori autem nonniſi ſub iſta, quamdiu dominus feudum non revocaverit. Conditio iſta in caſu utroque neceſſario ineſt contractui ſubfeudali, ut adeo non opus ſit eam expreſſe adjici. Quamobrem conditione iſta exiſtente, non modo jus omne ſubvaſalli exſpirat; verum etiam ſubfeudum conſtituens eidem non obligatur ad præſtandum, quod intereſt ſubfeudum non fuiſſe finitum.

§. 338.

Vaſallus rem feudalem deteriorare nequit. Etenim finito feudo, res, quæ feudalis fuerat, pleno jure fit domini (§. 326.), idemque accidit, ſucceſſore feudali nullo exiſtente (§. 328.). Similiter ſi feudum tranſmiſſibile, ad alios quoque certo ordine tranſmittitur. Intereſt igitur domini, tum eorum, ad quos tranſmittendum ſuo tempore, ne res deterioretur (§. 622. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque contra jus domini & ſucceſſorum feudalium deterioratur (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum nemo quicquam facere debeat, quod eſt contra jus alterius (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*); nec vaſallus rem feudalem deteriorare poteſt.

De deterioratione rei feudalis.

Si res deterioratur, de ipſa ſubſtantia rei diſponitur. Sed de ſubſtantia rei diſponendi jus proprietas eſt (§. 131. *part.* 3. *Jur. nat.*), quæ non tota eſt apud vaſallum, ſed ex parte apud dominum (§. 3. 158.). Unde multo magis patet, vaſallum, qui non prorſus pro arbitrio ſuo diſponere poteſt de ipſa ſubſtantia rei feudalis (§. 159.), de ea non ullo modo diſponere poſſe in præjudicium domini, qui utique velle intelligitur, ut ne res feudalis deterioretur.

§. 339.

Quoniam vaſallus obligatur ad rem feudalem non deteriorandam (§. 338.); *domino feudi & iis, qui in eodem ſuccedere poſſunt, competit jus non patiendi, ut deterioretur*, cumque adeo deterioratio ſit contra jus perfectum domini, quod vero contra jus perfectum alterius fit, injuria eſt (§. 859. *part.* 1. *Jur. nat.*); *ſi vaſallus rem feudalem deterioret, injuriam facit domino ac iis, pro quibus feudum conſtitutum.*

De jure domini quoad deteriorationem feudi.

§. 340.

Similiter quia vaſallus rem feudalem deteriorare nequit (§. 338.), eidem vero competit jus utendi fruendi prorſus irreſtrictum (§. 159.); *re feudali ſalva ſubſtantia uti frui debet.*

Quomodo re feudali uti frui debeat vaſallus.

Nimirum ſi res feudalis deterioratur, ſubſtantia ſalva non manet, ſed ei aliquid deterioratione decedit, ſi non ſemper phyſice, quoad æſtimationem tamen moralem, quippe cum hic conſideretur res quoad uſum, quem habere poteſt (§. 495. *part.* 1. *Jur. nat.*), nimirum tam ſimplicem, quam cum fructu conjunctum. Quodſi ergo ſubſtantia rei moraliter ſpectata ſalva eſſe debeat, neceſſe eſt ut ejus uſus, propter quem in numerum rerum refertur (§. *cit.*), non imminuatur. Ex. gr. Sylva deterioratur, ſi arbores annoſæ magna copia excinduntur. Sylva non concipitur ſine arboribus. Quamobrem deficiente copia arborum, quæ ſylvam faciunt; ſubſtantia ſylvæ minime ſalva intelligitur. Sylva vallanda non eſt, ſi ſubſtantia ſalva eſſe debet. Similiter prædium deterioratur, ſi ædificia ruſtica non reficiantur, ut ruinam minitentur. Quamobrem ſi aperturæ feudum fuerit proximum, dominus ferre non debet, ut ædificia iſta non reficiantur.

BIU Cujas

tur : alias enim vasallus nocet sibi, non domino, si prædii usui per hoc quidpiam detrahitur, ac spes est fore ut tandem ad ea reficienda compellatur ipsa necessitate, aut successor eadem reficiat, vel nova extruat.

§. 341.

De immutatione fundi, qua res feudalis deterioratur.

Immo quia fundum deteriorare non debet vasallus (§. 338.); *si immutatione fundi res feudalis deterioretur, nec eum immutare licet, nisi in contractu feudali immutatio fundi simpliciter, seu pro lubitu fuerit permissa* (§. 172.). Et quoniam *domino, ac in feudo aliquo successori, vel succedendi spem habentibus*, competit jus non patiendi, ut rem feudalem deterioret (§. 339.); iisdem quoque *competit jus non patiendi, ut fundus immutetur, si hac immutatione res feudalis deterioretur, nisi ea simpliciter fuerit permissa*.

Nimirum si in contractu feudali permittitur fundi immutatio simpliciter, sine ulla restrictione; dominus jus suum hoc non patiendi remittit (§. 95. *p.* 3. *Jur. nat.*), quod facere ipsi integrum (§. 117. *p.* 3. *Jur. nat.*). Non est quod excipias dominum non consensisse in fundi immutationem, nisi quatenus res feudalis non deterioratur : etenim hoc consensu non erat opus vasallo ad fundum immutandum, quando immutatio non erat prohibita, quemadmodum mox clarius elucescet.

§. 342.

De servitute rei feudali imponenda.

Quoniam porro fundus servitute imposita deterioratur (§. 1275. *part.* 5. *Jur. nat.*), *vasallus* vero rem feudalem deteriorare nequit (§. 338.); idem quoque *servitutem rei feudali imponere nequit*.

Pertinet jus imponendi servitutem ad proprietatem, quemadmodum alias demonstravimus (§. 1455. *n.* 1. *part.* 5. *Jur. natur.*): quæ cum sit restricta (§. 159.), parte quadam ad dominum pertinente (§. 160.), per hoc non imminuitur dominium utile, quod vasallo competit, quod servitutem fundo feudali imponere non liceat.

§. 343.

De eo, quod fieri vi dominii directi non possit.

Dominus de substantia rei feudalis non ita disponere potest, ut jus utendi fruendi vel diminuatur, vel quoad exercitium quomodocunque impediatur. Etenim vasallo competit jus utendi fruendi prorsus irrestrictum (§. 159.). Quodsi vero dominus de substantia rei feudalis ita disponat, jus utendi fruendi vel diminuatur, vel quoad exercitium quomodocunque impediatur, cum id sit contra jus utendi fruendi (§. 239. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*); id ipsum fit contra jus vasalli. Quamobrem cum nemo quicquam facere possit, quod est contra jus alterius (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*); dominus de substantia rei feudalis non ita disponere potest, ut jus utendi fruendi vel diminuatur, vel quoad exercitium quomodocunque impediatur.

Vulgo dicitur dominum vi dominii directi nil facere posse, quo conditio vasalli redditur deterior. Vi dominii directi de substantia rei disponitur (§. 160.), adeoque de substantia rei disponere ita nequit, ut conditio vasalli reddatur deterior. Ejus autem conditio deterior reddi nequit quam quoad jus utendi fruendi, vel ejus exercitium, cum dominus vi dominii directi de re disponit, non vero de ipso dominio directo. Quamobrem magis determinate enunciare maluimus, quid dominus vi dominii directi facere non possit, salvo jure vasalli.

§. 344.

An dominus rei feudali servitutem imponere possit.

Dominus rei feudali servitutem imponere nequit. Etenim si servitus rei feudali imponitur, vasallus aliquid pati, aut non facere tenetur ad utilitatem alterius, quod alias pati non obligabatur, aut facere poterat (§. 1267. *part.* 5. *Jur. nat.*), consequenter cum jure utendi fruendi, tanquam sibi proprio (§. 155.), ceteros omnes excludat (§. 119.

part. 2.

BIU Cujas

part. 2. Jur. nat.); adeoque pati non teneatur, ut alius quid faciat in re feudali ad utilitatem suam, neque in gratiam alterius in ea aliquid non facere obligatus sit, servitute rei feudali imposita jus utendi fruendi diminuitur, ac ejus exercitium aliquo modo impeditur. Enimvero dominus de substantia rei feudalis non ita disponere potest, ut jus utendi fruendi diminuatur, aut quoad exercitium quomodocunque impediatur (§. 343.). Dominus adeo rei feudali servitutem imponere nequit.

Ex. gr. Ponamus a domino iter concedi per hortum tuum ad suum possessori horti vicini. Tu igitur pati debes, ut is per hortum tuum ad suum eat (§. 1326. *part. 1. Jur. nat.*): quod cum alias prohibere posses, usum aliquem horti tui concedere teneris alteri, a quo eum excludere poteras. Jus igitur utendi, quod habes, diminuitur, Est adeo impositio hujus servitutis juri tuo adversa, atque adeo illicita. Facile patet id valere, sive servitus sit realis, ut possessori cuilibet horti concessum sit iter tanquam jus horto inhærens, sive personalis, ut saltem possessori præsenti competat (§. 1270. *part. 5. Jur. nat.*).

§. 345.

Vasallus & dominus conjunctim rei feudali servitutem imponere possunt, cum consensu tamen eorum, pro quibus feudum constitutum. Etenim quando feudum constituitur, dominium plenum dividitur in utile & directum (§. 157.), ac utile vasallo, directum domino cedit (§. 158.), consequenter vasallus & dominus conjunctim plenum dominium habent, adeoque rei, quæ infeudata, conjunctim quasi dominus sunt (§. 121. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam itaque servitus est jus alteri in re sua constitutum (§. 1267. *p. 5. Jur. nat.*) adeoque a domino rei suæ imponi potest (§. 982. *part. 3. Jur. nat.*); vasallus & dominus conjunctim rei feudali servitutem imponere possunt. *Quod erat unum.* *Quomodo rei feudali servitus imponi possit.*

Enimvero ad eos, pro quibus feudum constitutum, ut devolvatur certo casu contingere potest. Quamobrem si vel maxime a domino & vasallo conjunctim servitus imponatur; feudo ad ipsos devoluto jus ipsorum foret diminutum, quemadmodum ex demonstratione propositionis præcedentis patet (§. 344.), consequenter servitus contra jus ipsorum imposita fuisset (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum nihil fieri debeat, quod est contra jus alterius (§. 910. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter nec fieri possit, quod vergit in præjudicium eorum, ad quos feudum certo casu devolvi potest; nec ipsis invitis dominus & vasallus conjunctim servitutem imponere rei feudali possunt, adeoque id fieri debet cum consensu eorum. *Quod erat alterum.*

Nimirum quod facere potest dominus vi dominii pleni; id etiam facere possunt dominus feudi & vasallus conjunctim. Quod solus vasallus rei feudali servitutem imponere nequeat (§. 342.), impedit jus domini; quod dominus nequeat imponere, vasalli jus obstat. Si uterque in impositionem servitutis consentit, neutrius jus ab altero violatur, consequenter nil amplius obstat, quo minus imponi possit. Eorum vero, pro quibus feudum constitutum consensus requiritur, quod nec in ipsorum præjudicium quid fieri possit, cum certo casu contingere queat, ut feudum ad ipsos devolvatur.

§. 346.

Vasallus, quamdiu feudum tenet, alteri concedere potest aliquod jus in re feudali, quale foret servitus, si jure rei feudali imponi posset. Etenim vasallus de usu ac fructu rei feudalis pro arbitrio suo disponere potest (§. 159.). Quamobrem si alteri, quamdiu feudum tenet, in re feudali constituere velit jus, quo in utilitatem alterius vel prædii vicini aliquid pati tenetur in re feudali, vel non facere, quod alias pati non tenebatur, vel facere poterat; quin hoc fieri possit dubitandum non est. Quoniam itaque servitus est jus in re aliena constitutum, quo ejus dominus ad alterius, seu prædii vicini utilitatem aliquid pati, vel non facere tenetur (§. 1267. 1270. *part. 5. Jur. nat.*), a vasallo tamen servitus imponi rei feudali nequit (§. 349.); vasallus, quamdiu *De jure servitutis a vasallo in re feudali concedendo.*

BIU Cujas

diu feudum tenet, alteri concedere potest aliquod jus in re feudali, quale foret servitus prædialis, si jure rei feudali imponi posset.

Jus hoc servitutis æmulum, quod a servitute non differt nisi in eo, quod dependeat a possessione constituentis, adeoque cum hac tollatur, vasallo constituenti saltem nocet, non domino, nec aliis in feudo successuris, ut propterea res feudalis nec dici possit deteriorata respectu domini, & successorum feudalium, quippe quæ nulli servituti obnoxia est, quando vel contingit, ut res, quæ fuerat feudalis, pleno jure sit domini, vel ut feudum ad alios devolvatur. Jus igitur istud nullum facit domino, nec ullum successoribus feudalibus præjudicium, consequenter nec ipsis competere potest jus prohibendi, ne a vasallo concedatur.

§. 347.

De servitute a vasallo facta imposita.

Quoniam vasallus, quamdiu feudum tenet, alteri concedere potest aliquod jus in re feudali, quale foret servitus, si jure rei feudali imponi posset (§. 346.): *si vasallus rei feudali servitutem imponit*, cum ea subsistere non possit tanquam servitus (§. 342.), *subsistet eadem tanquam jus servitutis æmulum, quamdiu vasallus feudum tenet.*

Nimirum si vasallus servitutem imponit rei feudali, hoc nullo jure facit (§. 342.), adeoque servitus ipso jure nulla est. Cum tamen, quamdiu feudum tenet, jus servitutis æmulum concedere possit in re feudali (§. 346.), & dum servitutem eidem imposuit non voluit nihil agere; id egisse intelligitur, quod agere potuit. Atque ideo defectus juris imponendi servitutem non impedit, quo minus jus, quod servitus dici nequit, subsistat tanquam jus ejus æmulum, quale concedi jure potest. Ponamus enim dominum, qui pati non tenetur, ut servitus rei feudali imponatur (§. 342. 339.); vasallus se defendet jure concedendi in re feudali jus servitutis æmulum, quamdiu feudum tenet (§. 346.): quod cum ipsi auferri minime possit (§. 336. *part.* 3. *Jur. nat.*), dominus non amplius contradicere poterit, sed jus servitutis æmulum subsistet. Quoniam itaque inutilis foret contradictio domini, etiam sine ea non aliter subsistere potest jus in re feudali alteri per modum servitutis constitutum, nec statim, quando constituitur, aliter subsistit. Atque adeo nec dominus non contradicens quantocunque tempore præsumitur consensisse in servitutem impositam, quippe qui silens non aliud facit, quam ut patiatur vasallum jure suo uti (§. 346.), quod prohibere nequit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*).

§. 348.

An vasallus usumfructum constituere possit in re feudali.

Quoniam usufructus servitus est (§. 1420. *p.* 5. *Jur. nat.*), servitus vero rei feudali imponi nequit a vasallo (§. 342.), subsistit tamen, si imponatur, tanquam jus servitutis æmulum, quamdiu vasallus feudum tenet (§. 347.); *Vasallus* quoque *usumfructum nemini constituere potest in re feudali, si vero constituit, jus alteri concessisse intelligitur re feudali utendi fruendi, quamdiu ipse feudum tenet.*

Nimirum usufructus est jus, quod inhæret personæ & cum ipsa demum extinguitur, aut tempore elapso, ad quod constitutum, inhæret autem etiam rei, quatenus ea servire cogitur usufructuario, quamdiu vivit, vel tempus durat, ad quod usufructus constitutus (*not.* §. 1420. *part.* 5. *Jur. nat.*). Istiusmodi jus vasallus nemini concedere potest. Aliud vero est jus percipiendi fructus ex re feudali, quamdiu feudum tenet vasallus, quod concedendo vasallus saltem disponit de fructu rei feudalis, de quo pro arbitrio suo disponere potest (§. 159.). Domino, qui nihil utilitatis percipit ex re feudali, perinde est, sive vasallus ipse utatur fruatur re feudali, sive alii permittat, ut eadem utatur fruatur, quamdiu ipse uti frui poterat. Et idem intelligitur de successoribus feudalibus. Nemini igitur præjudicium fit, si vasallus, quamdiu ipse feudum tenet, loco sui ab alio fructus ex re feudali percipi permittat.

§. 349.

An usus concedi possit.

Eodem prorsus modo patet, quod *vasallus usum nemini concedere possit in re feudali, si vero usum constituit, jus alteri concessisse intelligatur re feudali uti*, ut ex eadem ea percipiat commoda & emolumenta, quibus ipse cum suis indiget ad vitæ necessitatem & commoditatem (§. 1516. *part.* 5. *Jur. nat.*), *quamdiu feudum tenet.*

Si-

BIU Cujas

Scilicet quod de usufructu in specie dictum (§. 348.), id valet de omni servitutis tam prædialis, quam personalis specie, ut adeo inutile foret ad singulas servitutis species applicare velle, quod de omni servitute in genere fuit demonstratum.

§. 350.

An vasallus rem feudalem meliorare possit.

Vasallus rem feudalem meliorare potest. Vasallo enim competit jus utendi fruendi prorsus irrestrictum (§. 159.), consequenter etiam rem feudalem ad plures usus tam simplices, quam cum fructu conjunctos aptare potest. Quoniam itaque res melioratur, si ad plures usus tam simplices, quam cum fructu conjunctos apta efficitur, ut scilicet plures, quam antea habeat usus ac plures ex eadem fructus percipiantur (§. 605. *p.* 2. *Jur. nat.*); vasallus rem feudalem meliorare potest.

Rem meliorando nec domino nocet, nec successoribus feudalibus, adeoque nec illius, nec horum jus quoddam violatur. Ex adverso potius melioratio tam prodest domino, si forsan res pleno jure ipsius sit, quam successoribus, ad quos feudum devolvitur. Honestum vero est aliorum commoda una promovere cum suis.

§. 351.

Quando feudum immutare liceat.

Quoniam vasallus rem feudalem meliorare potest (§. 350.); *si immutatione feudi res melioretur, fundum immutare licet vasallo*, consequenter *nec domino, nec successoribus feudalibus competit jus contradicendi, aut meliorationem impediendi, nisi expresse fuerit conventum, ne feudum immutari debeat* (§. 172.).

Domino feudum constituenti rationes esse possunt, cur nolit fundum immutari, si vel maxime ex fundo immutato major percipiatur utilitas, consequenter cum ab ipsius arbitrio pendeat, quomodo proprietatem, ad quam jus utendi fundum pertinet (§. 659. *part.* 2. *Jur. nat.*) restringere velit (§. 164.), prohibere utique potest, quando feudum constituit, simpliciter omnem fundi immutationem, ut adeo vasallus re uti frui debeat, sicuti potest, non vero prorsus ut vult.

§. 352.

An vasallus servitutem prædialem acquirere possit.

Vasallus prædio servitutem acquirere valet. Quodsi enim rei feudali seu prædio servitus acquiritur, dominus prædii vicini, in quo servitus constituta, ad utilitatem illius aliquid in prædio suo ut fiat pati, aut non facere tenetur (§. 1267. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque prædium ad plures usus aptatur, vel etiam fructus, quam antea percipi poterant, consequenter melioratur (§. 605. *part.* 2. *Jur. nat.*). Enimvero vasallus rem feudalem, seu prædium meliorare potest (§. 350.). Ergo etiam prædio servitutem acquirere valet.

Ex. gr. Ponamus, a vasallo acquiri jus pascendi. Quoniam vi hujus servitutis jam dominus prædii servientis pati cogitur, ut qui feudum tenet certum numerum pecorum in prædio ipsius pascat (§. 1365. *part.* 5. *Jur. natur.*); nemo non intelligit, qui œconomiæ ruralis gnarus est, hac servitute acquisita prædium meliorari. Ecquis ergo dixerit, servitutem hanc acquirere non licere vasallo? Immo si vel maxime sumas, quod tamen non facile sumi poterat, dominum, si quando prædium pleno jure habiturus, aut successorem quendam feudalem non curaturum hoc jus pascendi; nihil tamen in præjudicium ejus factum, dum servitutem hanc prædio suo acquirit vasallus, cum servitutem acquisitam dominus prædii dominantis pro lubitu suo remittere possit (§. 1400. *part.* 5. *Jur. natur.*), nec successor feudalis jure suo uti cogatur, si noluerit.

§. 353.

An vasallus servitutem prædio

Vasallus servitutem prædio acquisitam remittere non potest. Quoniam enim vi servitutis acquisitæ possessor prædii feudalis in prædio vicino facere potest in utilitatem præ-

dii

acquisitam remittere possit.

dii sui, quod absque illa facere non poterat, aut prohibere, ne dominus vicini aliquid faciat in suo, quod facere alias poterat (§. 1267. *part.* 5. *Jur. nat.*); nemo non videt, servitute remissa prædium feudale utilitate quadam privari, consequenter minorem jam, quam antea, ex eodem percipi utilitatem. Quoniam igitur per se patet, prædium deteriorari, si utilitas ex eo percipienda imminuitur, prædium autem deteriorare vasallus nequit (§. 338.); vasallus quoque servitutem prædio acquisitam remittere non potest.

Parum refert utrum vasallus ipse servitutem acquisiverit, an ab alio eidem jam acquisita fuerit. Quoniam enim ad feudum meliorandum non obligatur, cum melioratio in contractu feudali non fuerit conventa, ex quo metienda ejus obligatio (§. 172.), sed saltem meliorandi jus habet (§. 350.); ad servitutem prædio acquirendam a domino, vel successoribus feudalibus minime cogi potest, sed arbitrio ipsius relictum, utrum acquirere velit, nec ne. Enimvero cum ad prædium non deteriorandum obligatus sit (§. 338.); quamprimum servitus acquisita, obligatio sese exerit servitutem non remittendi, ne prædium deterioretur, ac tum domino & successoribus feudalibus competit jus non patiendi, ut remittatur. Melioratio ab initio est voluntatis, sed ubi facta fuerit, deterioratio naturaliter illicita eandem subjicit necessitati, ut de ea pro lubito suo non amplius statuere possit vasallus. Facile patet, quæ hic dicuntur ad quosvis alios meliorationis casus trahi posse, cum ex principiis generalibus deducantur, quæ non servitutis acquisitioni propria sunt, sed omni meliorationi conveniunt.

§. 354.

De oneribus ad vasallum spectantibus.

Vasallus omnia onera ferre debet. Etenim vasallus ex re feudali omnem utilitatem solus percipit (§. 319.), adeoque fructus omnes ad eum solum pertinent. Et quoniam dominium utile habet (§. 155.), adeoque proprietatem quoque certo modo licet restrictam (§. 1.); utilitatem ex re feudali percipit tanquam ex re sua. Quodsi ergo onera quædam præstanda sint sive ratione fructuum, sive ratione rei; ea ferre debet vasallus.

Vide, quæ supra in simili casu annotavimus de emphyteuta (*not.* §. 75.).

§. 355.

Item ad subvasallum.

Sub vasallus omnia onera ferre debet, sive ratione fructuum, sive ratione rei præstanda. Etenim subvasallus in re feudati dominium utile habet, quod ante subinfeudationem in eadem habebat vasallus (§. 155. 300.) & ex re feudali facta subinfeudatione solus omnem percipit utilitatem, quemadmodum ante eandem percipiebat vasallus (§. 319.). Quamobrem eodem, quo ante (§. 354.), modo patet, subvasallum ferre debere onera, sive ratione fructuum, sive ratione rei præstanda.

Ex. gr. Ponamus ex fructibus rei feudalis alicui præstandas esse decimas, vel certum canonem domino; facta subinfeudatione, decimas illas, vel canonem præstare tenetur subvasallus. Similiter si tempore belli hosti præstanda sunt certa onera; ea ad subvasallum pertinent, quemadmodum pertinerent ad vasallum, si res non fuisset infeudata. Hoc tamen non obstante, quod canonem subvasallus domino præstare teneatur, dominus adhuc sibi etiam vasallum obligatum habet (§. 303.).

§. 356.

De oppignoratione rei feudalis.

Si vasallus rem feudalem sine consensu domini alienare potest; sine ejus consensu eandem etiam oppignorare potest. Quodsi tamen contingat, feudum aperiri domino, vel aperturæ proximum fieri, aut alio modo finiri, re adhuc oppignorata, jus creditoris, quod in eadem habebat, tollitur. Etenim si res oppignoratur, seu hypotheca in eadem constituitur, in creditorem transfertur jus rem oppignoratam vendendi sub ea conditione, nisi statuto tempore debitum solvatur (§. 1145. *part.* 5. *Jur. nat.*) & ut creditori satisfiat,

BIU Cujas

fiat, nisi debitum statuto tempore fuerit solutum, res oppignorata vendenda est (§. 1144. *part.* 5. *Jur. nat.*). Quodsi ergo vasallus rem feudalem sine consensu domini alienare, adeoque etiam vendere potest, nimirum tanquam feudalem, ut feudum in ea subsistat (§. 156.); nil sane obstat, quo minus etiam sine illius consensu eandem oppignorare possit. *Quod erat unum.*

Enimvero oppignoratio hæc fieri nequit in præjudicium domini (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque nonnisi salvo jure ejus. Quamobrem cum domini res feudalis statim pleno jure sit feudo aperto (§. 330.), vel alio modo finiatur (§. 326.), nec feudum proximum aperturæ alienari possit (§. 332.); si feudum aperiatur, re feudali oppignorata, vel aperturæ proximum fiat, aut alio modo finiatur, hypotheca in eadem amplius consistere nequit, quippe quæ non constituta intelligitur nisi sub tacita hac conditione, quamdiu feudum non aperietur, aut finietur. Feudo igitur aperto aut aliter finito, jus creditoris, quod in re feudali habebat, tollitur. *Quod erat alterum.*

Apparet adeo oppignorationem rei feudalis sine consensu domini non esse satis tutam, siquidem metuendum sit, feudum domino aperiri posse, vel aperturæ proximum fieri. Quamobrem consultius est, ut res feudalis oppignoretur cum consensu domini, ne sit oppignoratio periculo obnoxia. Hæc quidem naturaliter ita sese habent. Jure autem positivo magis convenit, ne oppignoratio unquam valida sit sine consensu domini.

§. 357.

Si vasallus rem feudalem sine consensu domini alienare nequit; nec sine ejus consensu oppignorare eam potest. Etenim quando res oppignoratur, in creditorem transfertur jus rem oppignoratam vendendi sub hac conditione, nisi statuto tempore solvatur debitum (§. 1145. *p.* 5. *Jur. nat.*). Quodsi ergo vasallus rem feudalem sine consensu domini alienare nequit, adeoque nec vendere potest; nec in creditorem transferre potest jus rem feudalem vendendi sub ista conditione, si debitum statuto tempore non solvatur, quippe quod, debito præcise non soluto, creditori actu competit, si translatio conditionata fuerit valida (§. 1144. *p.* 5. *Jur. nat.*). Quamobrem vasallus sine consensu domini rem feudalem oppignorare nequit, si sine ejus consensu eandem alienare nequit. *Quando sine consensu domini invalida.*

Nimirum si contingat, rem feudalem esse vendendam, debito præcise non soluto, dominus in venditionem consentire non tenetur, etiamsi venditio non vergat in ipsius præjudicium. Oppignoratio enim sine ipsius consensu facta ipso jure nulla est, & contra jus ipsius, adeoque non sine injuria ipsius facta (§. 859. *part.* 1. *Jur. naturæ*).

§. 358.

Quoniam feudum aperturæ proximum sine consensu domini alienari nequit, etiamsi alias ad alienationem non requirendus esset ejus consensus (§. 332.), quando vero vasallus rem feudalem sine consensu domini alienare nequit, nec sine ejus consensu oppignorare potest (§. 357.); *si feudum fuerit aperturæ proximum, vasallus rem feudalem oppignorare nequit, quam alias sine ejus consensu oppignorare potuisset.* *De oppignoratione feudi aperturæ proximi.*

Si feudum aperturæ proximum, oppignoratio statim ipso jure nulla est, non vero ab initio valet, quemadmodum in casu superiori, quo demum invalidam efficit casus emergens, de quo cum res oppignoraretur non cogitabatur (§. 356.).

§. 359.

Vasallus sine consensu eorum, ad quos feudum devolvi potest, seu successorum feudalium, rem feudalem oppignorare nequit. Etenim quando res oppignoratur, vendenda est, nisi debitum statuto tempore solvatur, ut creditori ex ea satisfiat (§. 1144. *part.* 5. *Jur. nat.*); consequenter impossibile est, ut, mortuo vasallo, in feudo succedant ii, ad quos devolvi debebat. Quoniam itaque oppignoratio contra jus eorum, *De consensu successorum feudalium ad oppignorationem.*

BIU Cujas

nem requisito.

rum, ad quos devolvi potest, seu in eorum præjudicium fit, nihil vero facere licet, quod est contra jus alterius (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*); vasallus quoque sine consensu eorum, ad quos feudum devolvi potest, seu successorum feudalium, rem feudalem oppignorare nequit.

Qui rem vendere nequit, nec in alium transferre potest jus vendendi sub conditione quadam possibile, cum conditione existente res sit vendenda. Sine consensu eorum, qui in feudo succedere possunt, res vendi nequit, cum ipsis jus suum, aut, si mavis spes, quæ jus aliquando excitare potest, auferri nequeat invitis (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.* & §. 447. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem nec in præjudicium eorum res feudalis oppignorari potest sine eorum consensu (§. 1145. *part.* 5. *Jur. natur.*). Quando consentiunt, jus suum remittunt (§. 95. *part.* 3. *Jur. nat.*), cumque tunc nil amplius fiat contra jus ipsorum (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nec ipsis volentibus injuria ulla fit (§. 859. *part.* 1. *Jur. nat.*).

360.

De oppignoratione fructuum, vel juris in re feudali.

Vasallus fructus rei feudalis, aut jus utendi fruendi eadem oppignorare potest, quamdiu feudum tenet. Etenim vasallus de usu ac fructu rei feudalis pro arbitrio suo disponere potest, quamdiu scilicet feudum tenet (§. 159.). Quamobrem cum de fructu rei feudalis ac ejus usu disponat, si fructus vel jus utendi fruendi oppignoret (§. 1144. *p.* 5. *Jur. nat.*); fructus quoque rei feudalis, aut jus utendi fruendi eadem oppignorare potest.

Hæc oppignoratio fit sine præjudicio domini, etiam sine præjudicio eorum, qui in feudo succedunt. Quamdiu enim vasallus feudum tenet, omnem utilitatem solus percipit ex re feudali (§. 319.), & fructus ex eadem percepti allodiales sunt (§. 320.), in quibus adeo plenum dominium habet vasallus (§. 192.). Oppignorari vero etiam possunt res extituræ (§. 1178. *part.* 5. *Jur. nat.*), adeoque etiam fructus nondum extantes. Quamvis vero non periculo vacet oppignoratio fructuum, vel juris etiam utendi fruendi re feudali; dantur tamen casus, in quibus præstat fructus sibi oppignoratos habere, quam rem nullam. De fructibus perceptis, veluti frumento jam excusso ex spicis, tanto minus dubia videri potest oppignoratio, quia res allodiales sunt (§. 320.), ad quos adeo nullum jus est domino, nec jus ullum successoribus feudalibus (§. 192.).

§. 361.

De oppignoratione rei feudalis cum consensu domini, sed sine consensu successorum feudalium facta.

Oppignoratio rei feudalis cum consensu domini, sed sine consensu eorum, ad quos feudum devolvi potest, facta quoad dominum, sed non quoad successores feudales subsistit. Quando enim dominus in oppignorationem consentit, jus quidem suum, cui præjudicari poterat (§. 328.), remittere (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*); sed iis, ad quos feudum devolvi potest, jus suum, quod a primo acquirente vi constitutionis habent (§. 175.), adimere nequit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque jus horum non obstante domini consensu subsistit. Patet itaque, quod oppignoratio cum consensu domini, sed sine consensu eorum, ad quos feudum devolvi potest, facta quoad dominum quidem subsistat, sed non quoad successores feudales.

Nimirum hac oppignoratione nullum fit præjudicium domino, quemadmodum patet ex iis, quæ paulo ante annotavimus (*not.* §. 360.); vergit tamen oppignoratio in præjudicium successorum feudalium, quippe qui jus suum non remisere, cum sine eorum consensu facta fuerit oppignoratio, in quam consentire non tenebantur, nisi vellent.

§. 362.

Ejus effectus.

Quoniam oppignoratio rei feudalis cum consensu domini, sed sine consensu eorum, ad quos feudum devolvi potest, facta quoad dominum, sed non quoad successores feudales subsistit (§. 361.); *si feudum aperiri domino contingat, is aut debitum solvere, aut ut res feudalis vendatur, & de ejus pretio satisfiat creditori pati debet* (§. 1144. *p.* 5. *Jur. nat.*), *ast si contingat, vasallum non esse solvendo, illi, ad quos feudum devolvi ali-*

BIU Cujas

aliquando potest, vel qui eodem mortuo in feudo succedunt, creditori ad nihil tenentur, neque adeo pati, ut ex re feudali eidem satisfiat.

Sane nec ex fructibus creditori satisfieri potest, vasallo mortuo, quippe qui ad successorem in feudo pertinent, quam primum vasallus moritur, jure utendi fruendi vi legis constitutionis in ipsum transmisso, cui nullo modo præjudicari potest (§. 910. *p.* 1. *Jur. natur.*). Quodsi vero vasallus, qui rem feudalem oppignoravit, feudum adhuc vivus tenet; quin ex fructibus, qui allodiales, adeoque pleno jure vasalli sunt (§. 192.), satisfieri possit, dubitandum non est.

§. 363.

Quomodo oppignoratio sine consensu domini & successorum feudalium facta intelligatur.

Si vasallus sine consensu domini & eorum, ad quos feudum devolvi potest, rem feudalem oppignorat; naturaliter fructus rei feudalis, aut jus utendi fruendi eadem oppignorasse intelligitur, quamdiu feudum tenet. Etenim vasallus rem feudalem oppignorare nequit aut simpliciter sine consensu domini (§. 357.), aut nonnisi salvo ipsius jure (§. 356.); sine consensu autem eorum, ad quos feudum devolvi potest, simpliciter oppignorare non valet (§. 359.): potest tamen fructus rei, aut jus utendi fruendi eadem oppignorare, quamdiu feudum tenet (§. 360.). Quamvis adeo oppignoratio rei feudalis non subsistat sine consensu domini & eorum, ad quos feudum devolvi potest; subsistere tamen potest oppignoratio fructuum, aut juris utendi fruendi re feudali, quamdiu vasallus feudum tenet. Quoniam itaque vasallus, cum ab omni contractu fraus omnis abesse debeat (§. 149. *part.* 5. *Jur. nat.*), id fecisse intelligitur, quod facere poterat (§. 147. *part.* 5. *Jur. nat.*); si sine consensu domini & eorum, ad quos feudum devolvi potest, rem feudalem oppignoraverit, fructus rei feudalis aut jus utendi fruendi oppignorasse naturaliter intelligitur, quamdiu feudum tenet.

Vide, quæ paulo ante in casu simili annotavimus (*not.* §. 347.), & supra de oppignoratione rei emphyteuticæ (*not.* §. 85.).

§. 364.

De effectu hujus oppignorationis.

Quoniam vasallus, qui sine consensu domini & eorum, ad quos feudum devolvi potest, oppignoravit rem feudalem, naturaliter fructus rei feudalis, aut jus utendi fruendi eadem oppignorasse intelligitur, quamdiu feudum tenet (§. 363.); *re feudali sine consensu domini & eorum, ad quos feudum devolvi potest, oppignorata, creditor naturaliter consequitur jus in fructibus rei feudalis, aut jure eadem utendi fruendi, quamdiu feudum tenet* (§. 1142. *part.* 5. *Jur. nat.*), *adeoque debito non soluto tempore convento ex fructibus ipsi satisfaciendum, quantum fieri potest, aut jus utendi fruendi re feudali concedendum, donec ipsi satisfiat, quantum datur, dum feudum tenet debitor* (§. 1145. *part.* 5. *Jur. nat.*).

Nimirum quando debitor statuto tempore non solvit debitum, creditor fructus statim suos facit, vel re feudali utitur fruitur, donec sibi fuerit satisfactum. Quodsi vero vasallus tamdiu feudum non tenet, donec ipsi plene satisfactum fuerit; cum tum jus debitoris in re feudali sit extinctum, jus quoque creditoris finitum, & is sibi imputare debet, quod non cautius fuerit mercatus, contentus ea securitate, quæ minime sufficiebat.

§. 365.

Quando feudum pignoratitium finiatur.

Feudum pignoratitium finitur, quamprimum debitum a domino solvitur. Etenim feudum pignoratitium constituitur in securitatem crediti (§. 191.). Enimvero quamprimum debitor solvit debitum, creditor quod crediderat accipit (§. 659. *p.* 5. *Jur. nat.*), adeoque nulla securitate amplius opus est. Quamobrem feudum pignoratitium finitur, quamprimum debitum a domino solvitur.

BIU Cujas

§. 366.

Quid tum fieri debeat. Quoniam feudum pignoratitium finitur, quamprimum debitum a domino solvitur (§. 365.), adeoque vasallus in re feudali nullum amplius jus habet, consequenter quæ feudalis erat jam pleno jure domini est; *si feudum fuerit pignoratitium, quamprimum debitum solvitur, res feudalis domino restituenda* (§. 467. *p.* 2. *Jur. nat.*).

Res feudalis amittit qualitatem feudalem, dum debitum solvitur, & qui fuerat vasallus jam rem alienam tenet sine omni causa. Domino, qui fuerat debitor, jam competit jus eadem utendi fruendi, quod sibi, qui vasallus fuerat, diutius arrogare nequit. Quodsi adeo fuerit in mora restituendi, possessori malæ fidei æquiparatur, atque propterea de eodem valent, quæ de possessore malæ fidei alibi demonstrata sunt (§. 951. *& seqq.* & §. 621. 622. *p.* 2. *Jur. nat.*).

§. 367.

Quomodo satisfaciendum vasallo, si dominus feudi pignoratitii non solvat. *Si feudum fuerit pignoratitium, nec dominus tempore convento solvat debitum; aut feudum alienandum est ei, qui debitum solvere velit, aut deficiente emtore feudi, res feudalis vendenda, ut ex ea satisfiat vasallo.* Etenim feudum pignoratitium dominus constituit creditori suo in re sua loco pignoris (§. 191.), consequenter ea lege, ut, nisi debito tempore solvat debitum, ex eodem ipsi satisfiat (§. 1142. *part.* 3. *Jur. nat.*). Enimvero creditori satisfit, quando accipit, quod eidem debetur, consequenter si dominus tempore convento non solvit debitum, vasallo creditori suo aliter satisfieri nequit, quam si quis debitum solvit & feudum pignoratitium accipit, aut si deficiente emtore feudi, res feudalis vendatur, & de pretio solutio fiat. Quodsi feudum fuerit pignoratitium, ipsum feudum, adeoque jus, quod in re feudali habet creditor (§. 155.), est quasi res oppignorata (§. 191.), adeoque dominus feudum constituens omnino vult, ut, si tempore convento debitum non solvatur, feudum vendatur ei, qui debitum solvere ac pro eo tantum pretium dare velit: quoniam tamen feudum constituit in securitatem crediti, ut scilicet creditor tempore statuto consequi possit, quod ipsi debetur (§. *cit.*), is utique animus ejus fuisse intelligitur, ut, deficiente emtore ipsa res, in qua feudum constitutum, vendatur, & de pretio ejus debitum solvatur. Patet itaque, si feudum fuerit pignoratitium, nec dominus tempore convento solvat debitum, aut feudum alienandum esse in eum, qui debitum solvere velit, aut deficiente emtore feudi, rem feudalem vendendam esse, ut ex ea satisfiat vasallo.

Sane nisi supponatur ita esse conventum, ut deficiente emtore feudi, qui succedit in jus vasalli creditoris tanquam novus creditor atque vasallus, res feudalis vendatur, feudum pignoratitium contradictionem involveret, cum constitutum fuisset in securitatem præcisæ solutionis, eandem vero præstare minime posset creditori. Ju præjudicium vero domini res feudalis venderetur, si quis feudum emere velit, quippe cui restituenda, debito soluto (§. 366.). Interesse autem potest domini, ne res vendatur, si quidem dominium directum in ea conservare possit, adeoque spe dominium plenum recuperandi non excidat. Etenim si animum id recuperandi non habuisset, non feudum pignoris loco in re sua constituisset, sed eam statim vendidisset.

§. 368.

De feudo pignoratitio non alienando. *Si ita conveniatur, ne feudum pignoratitium alienari possit; quantocunque tempore pignus lui potest.* Quodsi enim ita conveniatur, ne feudum pignoratitium alienari possit, vasallus obligatus est ad non alienandum (§. 172.), consequenter non habet jus alienandi (§. 118. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque alienatio ipso jure nulla est. Pignus adeo in eodem subsistit, quamdiu non luitur (§. 1159. *part.* 5. *Jur. nat.*), consequenter quantocunque tempore pignus lui potest (§. *cit. part.* 5. *Jur. nat*).

Nimi-

BIU Cujas

Nimirum in luendo pignore nulla committi poteſt mora (§. 638. *p.* 3. *Jur. nat.*) & ita conventum intelligitur ut lui poſſit, quando debitori viſum fuerit. Sane dum pignus conſtituit dominus in feudo, non in ipſa re, id intendiſſe intelligitur, ut pignus quantocunque tempore lui poſſit.

§. 369.

Quoniam res, in qua feudum conſtitutum, debitori reſtituenda, quamprimum pignus luitur (§. 1160. *part.* 5. *Jur. nat. vel* §. 366. *h.*), pignus autem lui poteſt quantocunque tempore, ſi ita fuerit conventum, ne feudum pignoratitium alienari poſſit (§. 368.); *ſi ita conventum, ne feudum pignoratitium alienari poſſit, res feudalis quoque alienari nequit, adeoque nec vendi poteſt.* *De alienatione rei feudalis in iſto caſu.*

Nimirum ſi res feudalis alienatur, vel venditur, dominium plenum transfertur in alterum, adeoque feudum prorſus extingui deberet, quod tamen in infinitum ſubſiſtere debet, ut quovis tempore lui poſſit, quando viſum fuerit domino. Nulla hic adeſt neceſſitas conſentiendi in venditionem rei feudalis, quemadmodum in eo caſu, quo ſolutioni ſeu lutioni pignoris certus terminus præfixus (*not.* §. 367.), ut pignus præciſe lui debeat (§. 1159. *part.* 5. *Jur. nat.*).

§. 370.

Si feudum pignoratitium conſtituitur, ita etiam conveniri poteſt, ut, niſi certo die ſolvatur, feudum quidem alteri cedi, res tamen feudalis non alienari poſſit. Etenim quando feudum conſtituitur, conſtituens determinationes ſubſtantialibus ſuperaddere poteſt, quas voluerit (§. 164.), adeoque dubio caret, quod ita conveniri poſſit. *De feudo, ſed non re feudali alienanda.*

Obiter notandum, non promiſcue ad feudum pignoratitium applicari poſſe, quæ de pignore demonſtrata ſunt; quia vaſallus ad certas præſtationes, inprimis ad fidelitatem præſtandum domino obligatur (§. 155.), a qua obligatione ſe invito domino liberare nequit (§. 674. *part.* 3. *Jur. nat.*). Hæc obligatio obſtare poteſt, quo minus in feudo pignoratitio locum habere poſſit, quod alias in pignore obtinet. Quando itaque quæ de pignore demonſtrata ſunt, ad feudum pignoratitium applicantur, probe diſpiciendum, an ſalvo dominio directo hoc fieri poſſit. Etenim qui ſolus debitor eſt, quando de pignore agitur, in feudo pignoratitio duplicem perſonam repræſentat, nimirum & domini directi, & debitoris ſimul, quemadmodum ex adverſo, qui ſolus creditor eſt, nunc & vaſalli, & creditoris perſonam repræſentat.

§. 371.

Feudum pignoratitium accenſetur ceteris bonis vaſalli. Feudum enim pignoratitium eſt quaſi res oppignorata (§. 191.), conſequenter vaſallo obligatum eſt pro pecunia, quam ipſi debet dominus (§. 1163. *part.* 5. *Jur. nat.*). Quamobrem cum pecuniæ, quæ nobis debentur, ſeu nomina ad bona noſtra ſint referenda (§. 450. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque etiam jus, quod in re oppignorata habemus (§. 1142. *part.* 5. *Jur. nat.*), iiſdem accenſeri debeat (§. 451. *part.* 2. *Jur. nat.*); feudum quoque pignoratitium, aut, ſi mavis, jus in feudo iſto ceteris bonis vaſalli accenſetur. *An feudum pignoratitium ſit in bonis vaſalli.*

Nimirum pecunia, quam credidit vaſallus domino, allodialis eſt (a. 192.), & hinc eſt, quod jus exigendi debitum etiam tanquam res allodialis ſpectetur, ac perinde ac iſta (§. 448. *part.* 2. *Jur. nat.*), bonis accenſeatur. Quamobrem cum in ſecuritatem debiti, quippe quod per pignus efficitur exigibile (§. 1142. *part.* 5. *Jur. nat.*), feudum conſtitutum ſit loco pignoris (§. 191.), jus quod in feudo habet vaſallus ejus naturæ eſt, cujus eſt jus exigendi debitum. Atque adeo ipſum feudum pignoratitium, aut, accuratius loquendo, jus idem tenendi (§. 191.), bonis vaſalli allodialibus accenſeri debet. Hinc ad feudum pignoratitium non omnia applicari poſſunt, quæ de aliis feudis in anterioribus demonſtrata ſunt, ubi bona feudalia ab allodialibus diſtinguenda.

§. 372.

BIU Cujas

§. 372.

De successione in feudo pignoratitio. Quoniam feudum pignoratitium accensetur ceteris bonis vasalli (§. 371.); *qui post mortem vasalli in bonis ipsius succedit, in feudo etiam pignoratitio succedit.*

Nimirum inter feudum pignoratitium & bona allodialia nulla est differentia quoad successionem, cum spectetur tanquam pignus (§. 191.). Quemadmodum itaque jus pignoris pertinet ad hæredem: ita etiam feudum pignoratitium ad eundem spectat, neque jure proprio in eodem succeditur, sed jure hæreditario, quemadmodum suo loco uberius eluceſcet, quando de jure hæreditario acturi sumus.

§. 373.

Revocatio feudi quid sit. *Feudum revocari* dicitur, si quis jure compellitur ad rem feudalem restituendum feudo in ipsum translato. *Revocatio* igitur *feudi* est jus eum, in quem translatum fuit, compellendi ad rem feudalem restituendum. Actus, quo revocatur, est exercitium hujus juris.

Quando igitur quis alterum, in quem feudum translatum fuit, compellere velit ad rem feudalem restituendum, cum jure hoc facere non possit; is non feudum revocat, sed alteri eripere vult. Revocatio adeo consistit in jure & vi hujus juris exercetur.

§. 374.

De revocatione feudi precarii. *Si feudum precario fuerit concessum; dominus id pro lubitu revocare potest.* Etenim si feudum precario conceditur, vasallus se obligat ad rem feudalem restituendum pro lubitu reposcenti domino (§. 1128. *part.* 5. *Jur. nat.*), &, si restituere nolit, dominus vi eum adigere potest, ut restituat (§. 1129. *part.* 5. *Jur. nat.*). Quoniam igitur feudum revocare potest, cui competit jus eum, in quem translatum fuit, compellendi ad rem feudalem restituendum, si restituere nolit (§. 373.); si feudum precario fuerit concessum, dominus id pro lubitu revocare potest.

Nimirum si feudum precario conceditur, ita convenitur, ut vasallo tamdiu dominium utile in re infeudata competere, seu res tamdiu infeudata esse debeat, quamdiu domino placuerit (§. 1124. *part.* 5. *Jur. nat.*). Quando adeo dominus vasallo significat, se nolle, ut diutius res sua ipsi infeudata sit; jus quoque ejus, quod unice a voluntate domini constanter dependet, expirat, atque adeo ad eam domino restituendam statim obligatur, & ex hac obligatione extemplo nascitur jus eundem ad restitutionem compellendi (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter revocatio feudi (§. 373.). Quando itaque dominus hoc jure usus vasallum, qui restituere non vult, ad restituendum compellit; feudum revocat. Quoniam significatus vocabulorum arbitrarii sunt, nil obstat, quo minus revocationem feudi etiam appelles declarationem ejus, cui res feudalis restituenda, quod nullum tibi in ea re jus competat, & eidem eandem restituere debeas. Quodsi ergo vocabulum in hoc significatu accipere velis, per nos hoc licet: sed nobis etiam concedenda est nostra in significatu vocabulis imponendo libertas.

§. 375.

De fundo sine consensu ullius alienabili. *Feudum sine consensu domini, vel eorum, ad quos alienatione facta devolvi potuisset, alienabile, facta alienatione revocari nequit.* Etenim si feudum sine consensu domini, vel eorum, ad quos alienatione non facta devolvi potuisset, fuerit alienabile; vasallo competit jus pro lubitu feudum alienandi absque consensu domini, vel eorum, ad quos alienatione non facta devolvi potuisset, consequenter tam dominus, quam hi pati tenentur, ut vasallus pro lubitu suo feudum alienet. Quamobrem iisdem competere nequit jus eum, in quem jure translatum fuit feudum, & cui adeo jus suum invito auferri a nemine potest (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*), vi compellendi ad rem feudalem restituen-

BIU Cujas

ſtituendum. Quoniam itaque feudum revocari nequit, ſi domino ac iis, ad quos alienatione non facta, feudum devolvi potuiſſet, nullum competit jus eum, in quem feudum translatum eſt, compellendi ad rem feudalem reſtituendam (§. 373.); feudum ſine conſenſu domini, vel eorum, ad quos alienatione facta devolvi potuiſſet, alienabile, facta alienatione revocari nequit.

Naturaliter feuda ſine conſenſu domini & eorum, ad quos aliquando devolvi poterant, niſi alienata fuiſſent, alienabilia dari, ex ſuperioribus conſtat (§. 194.). Immo olim etiam feudum jure poſitivo alienari poterat ſine domini conſenſu II. f. 44. I. f. 5. donec conſtitutionibus *Lotharii* II. & *Friderici* I. Imperatorum II. f. 52. 55. interdicta. Feudum vero ſine conſenſu domini & aliorum alaenabile etiam irrevocabile eſſe debet, Neque vero repugnat, quod feudum conſtitutum ſit pro perſonis certo ordine ſucceſſuris, aut ſimpliciter pro hæredibus etiam vaſalli. Quando enim libertas alienandi abſque ullius conſenſu non adimitur; lex de ſucceſſione in feudo adjecta non intelligenda eſt de perſonis, quæ a primo acquirente deſcendunt, ſed de iis, quæ alienatione facta eo modo ſeſe habebunt ad vaſallum mortuum, qui iſta lege expreſſus.

§. 376.

De feudi aperturæ proximi alienatione & revocatione.

Si feudum aperturæ proximum alienatum fuerit, domino inſcio; naturaliter permittere quidem tenetur, ut is, in quem feudum fuit translatum, re feudali utatur fruatur, donec feudum aperiatur, feudum tamen apertum revocare poteſt. Etenim ſi feudum aperturæ proximum alienatum fuerit, domino inſcio, hic alienationem irritam facere poteſt (§. 333), ut adeo vaſallus adhuc maneat dominus utilis, nec a nexu feudali liberetur. Quoniam tamen vaſallus rem feudalem alteri locare (§. 322.), adeoque ejus uſum tam ſimplicem, quam cum fructu conjunctum pro certa mercede alteri concedere (§. 1194. *part.* 4. *Jur. nat.*), tum etiam gratis eundem concedere valet (§. 325.); ſi feudum aperturæ proximum alienatum fuerit, domino inſcio, pati utique tenetur, ut is, in quem fuerat alienatum, re feudali utatur fruatur, donec feudum aperiatur. *Quod erat unum.*

Enimvero cum feudo aperto res feudalis, quæ fuerat, ſtatim pleno jure domini ſit (§. 330.); ea ipſi tum reſtituenda (§. 467. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem eidem competit jus detentorem rei compellendi ad eam reſtituendam, adeoque compellere poteſt, niſi reſtituere velit, conſequenter cum feudum revocetur, ſi detentor rei feudalis compellitur ad eam reſtituendam (§. 373.); ſi feudum aperturæ proximum fuerit alienatum, in extraneum ſcilicet, ac poſtea aperiatur, dominus feudum apertum revocare poteſt.

Hæc quidem ita obtinent naturaliter. Quamvis enim alienatio feudi ſubſiſtere non poſſit in caſu propoſitionis præſentis; ſubſiſtere tamen poteſt conceſſio juris utendi fruendi re feudali, quamdiu feudum tenet vaſallus. Hac enim ſubſiſtente nihil fit contra jus domini, ſeu in præjudicium ipſius. Dum irritam facit alienationem, cum eo, in quem translatum fuit abſque jure dominium utile, contractum feudalem non renovat, nec eundem vaſallum ſuum agnoſcit, ſed vaſallum veterem ſibi obligatum retinet, ac jus ſuum ab apertura pendens in re feudali ſibi conſervat. Aperitur vero feudum, quam primum mortuo vaſallo, qui feudum ſine effectu alienaverat, nullus exiſtit ſucceſſor feudalis, &, ſi ſucceſſor adhuc exiſtat, cum hoc contractus feudalis renovatur, ſive is alteri velit adhuc concedere jus utendi fruendi, vel etiam teneatur, ſive nolit, aut non teneatur. Hoc nimirum pacto ſubſiſtit jus domini, nec quicquam in ipſius præjudicium fit, etſi ſucceſſor quoque permittat, ut alius re feudali utatur fruatur, quamdiu hoc ſalvo jure domini directi fieri poteſt. Alia vero quæſtio eſt, quid in hypotheſi propoſitionis præſentis maxime conveniat juri poſitivo. Quodſi dicas, perinde omnino eſſe, ac ſi is, in quem feudum ſine jure alienatum fuerat, rem feudalem reſtituere teneretur vaſallo, quando dominus alienationem irritam facit, nec illi conceditur niſi jus utendi fruendi, quamdiu feudum ſubſiſtit, conſequenter feudum jam tum revocari; etſi in verbis appareat diſſenſus, in re tamen convenimus, adeoque per nos hoc dicere licet.

§. 377.

BIU Cujas

§. 377.

De revocatione feudi sine consensu successorum feudalium alienati.

Si feudum fuerit alienatum cum consensu domini, sed sine consensu eorum, ad quos post mortem ejus devolvi poterat; mortuo alienante feudum revocari potest ab eo, ad quem devolvitur; quamdiu vero is vivit, permittere tenetur, ut is, in quem alienatum fuit, re feudali utatur fruatur. Etenim si alienatio feudi non permissa nisi cum consensu eorum, ad quos transmitti debebat, vasallo mortuo, sine consensu eorum alienatio irrita est (§. 198.), etiamsi cum consensu domini facta (§. 200.), consequenter mortuo alienante, feudum ad eum adhuc devolvitur, qui ex lege constitutionis succedere debet, adeoque res feudalis ipsi restituenda (§. 467. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem eidem competit jus detentorem rei feudalis ad restituendum compellendi: quod cum revocatio sit (§. 373.), feudum revocare potest. *Quod erat unum.*

Posterius ostenditur eodem modo, quo idem in propositione antecedente (§. 376. *n.* 1.) demonstravimus de domino. *Quod erat alterum.*

Revocatio feudi non ante competit successori, quam quando succedere potest. Quamdiu vivit vasallus, qui feudum alienavit, nondum constat, utrum eidem sit supervicturus, nec ne, nec quamdiu vivit re feudali ipse uti frui potest. Nihil adeo fit contra jus ipsius, quando alius eadem utitur fruitur. Et, si vel maxime dominus consensit in alienationem & contractum feudalem cum eodem renovavit; hoc tamen fieri non potuit in præjudicium ejus, ad quem devolvi poterat. Quodsi ergo spes ejus in jus erigitur, mortuo eo, qui alienaverat; tum feudum ad eum pertinet, nec ipsi invito adimi potest adeoque tum revocare ipsi integrum.

§. 378.

De deficiente consensu quorundam ad quos feudum devolvi potest.

Si feudum alienetur cum quorundam saltem eorum, ad quos aliquando devolvi potest consensu; is qui non consentit feudum nen ante revocare potest, quam ubi ad eum devolvitur. Habet enim jus conditionatum, quod ipsi invito auferri minime potest (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*), consequenter si feudum sine consensu ipsius non alienabile absque eodem alienetur, jus ipsius salvum manet. Quodsi ergo feudum ad ipsum devolvitur, necesse est, ut ipsi restituatur. Quamobrem eidem competit jus detentorem rei feudalis compellendi ad eandem restituendum, quod cum sit revocatio feudi (§. 373.), feudum revocare potest, quando ad eundem devolvitur. Sed quoniam spes ipsius non ante excitat jus, aut, si mavis, jus conditionatum non ante fit purum, quam ubi feudum vi legis constitutionis ad eum devolvitur, quod per se patet; nec antequam hoc fiat, revocare potest.

Jus tuum non ante violatur, quam ubi alius feudum tenet, quod tu habere debes. Quodsi alii permittere velint, ut alius re feudali utatur fruatur, qua ipsi uti frui debebant ac poterant, tua parum refert. Alienatio nimirum non subsistit tanquam feudi, sed per modum concessionis juris re feudali utendi fruendi quoad te, si vel maxime quoad dominum, qui consentit, per modum feudi a te sub certa conditione, nimirum si ad te devolvi contingat, revocabilis subsistat. Dominus & qui consenserunt *feudum* revocare nequeunt, quippe quorum omne jus extinctum est, dum feudum in alium transtulerunt: tibi vero manet revocabile, qui jus tuum retinuisti, quod alii tibi inscio ac invito auferre minime potuerunt (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*).

§. 379.

Casus particularis.

Quoniam feudum sine consensu tuo alienatum revocare potes, quamprimum ad te devolvitur (§. 377. 378.; *feudum etiam revocare potes ad te devolutum, si in remotiorem fuerit alienatum, in quem ante te devolvi non poterat.*

Nimirum si alienatio subsistere in hoc casu deberet, non minus hoc foret contra jus tuum, quod ex prima constitutione habes, quam si in extraneum fuerit alienatum. Quamvis enim non omne jus tibi auferretur, quemadmodum si in extraneum alienatur; jus tamen præsens ac plurium

BIU Cujas

rum verteretur in conditionatum ac futurum incertum: id quod omnino est contra jus tuum (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Permittendum tibi non est, ut alius, quem ordo demum post te tangit, tibi in successione feudi præferatur.

§. 380.

Similiter quia quilibet feudum sine consensu suo alienatum revocare potest, quamprimum ad ipsum devolvitur, etiamsi quidam consenserint, ad quos aliquando devolvi poterat (§. 377. 378.), mortuo autem patre, feudum ad filium devolvitur; *filius* quoque *feudum a patre alienatum revocare potest.* *An filius revocare possit.*

Novi equidem quoad revocationem feudi filio competentem dissentire interpretes juris positivi; non tamen nostrum est inquirere, quænam sententia juri huic magis conveniat. Jure naturali filio non minus, quam alii agnato competit revocatio, quippe qui perinde ac ceteri a primo acquirente, a quo descendunt, jus suum habet, non vero a patre: neque enim propterea, quod mediante patre ad ipsum transmittitur, patri competit jus auferendi filio jus ex pacto inter primum acquirentem & concedentem inito quæsitum, quippe in quo patri istiusmodi jus non concessum. Aliunde vero jus quoddam disponendi de feudo haberi nequit (§. 172.). Nimirum ex eo, quod a patre genitus es, tantummodo intelligitur, jus succedendi in feudo, ipso mortuo, tibi competere non vero ea de causa jus istud ullo modo a voluntate patris dependens efficitur. Videbimus suo tempore idem obtinere in successione in imperio, quando successio linealis in prima delatione imperii introducta.

§. 381.

Cui competit jus feudum revocandi, is non refundere tenetur pretium emtori. Cui enim competit jus feudum revocandi; is detentorem rei feudalis compellendi jus habet ad eam sibi restituendam (§. 373.). Quoniam vero jus ei ideo competit, quod res feudalis sua sit sive pleno jure (§. 376. 330.), sive tanquam feudalis (§. 375. *& seqq.*); ideo detentorem compellit ad sibi restituendum rem suam; parum sollicitus, quomodo ad eum pervenerit. Nulla igitur ratio est, cur, si quis feudum emit, quod in præjudicium sui emere non poterat, pretium eidem refundere teneatur. Quamobrem is, cui competit jus feudum revocandi, pretium emtori refundere non tenetur. *An feudum revocans emtori pretium refundere teneatur.*

Nihil in hisce difficultatis est. Feudum vendi non potuit in præjudicium tuum, tibi nempe adimendo jus, quod aliquando competere poterat (§. 336. *part.* 2. *Jur. natur.*). Ademtum vero fuisset jus in feudo succedendi, & mutatum in jus ab alio emtum redimendi, omnino in præjudicium tuum, siquidem emtori pretium refundere deberes. Quamprimum jus succedendi ad te devolvitur, adeoque tu feudum revocare potes (§. 378.); venditio respectu tui irrita est, ac quod tuum est, sine causa jam est penes alium, qui adeo tibi, quod tuum est, restituere tenetur, tu vero ab eo redimere minime teneris. Valet idem respectu domini, quando feudum ipsi aperitur.

§. 382.

Quando feudum revocatur, naturaliter venditor emtori pretium restituere tenetur. Etenim venditor emtori ad evictionem præstandam ex ipso contractu obligatur, etiamsi eam expresse non promiserit (§. 1172. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quamobrem cum qui feudum revocat, rem feudalem a possessore aufert ob jus, quod sibi in eadem competit (§. 373.), adeoque eandem evincat (§. 1165. *part.* 4. *Jur. nat.*); quando feudum revocatur, venditor emtori evictionem naturaliter præstare tenetur. Quoniam itaque evictio præstatur, si reparatur damnum ob rem evictam possessori obveniens (§. 1166. *part.* 4. *Jur. nat.*), consequenter si in præsenti casu pretium refunditur, cujus alias jacturam faceret emtor; quando feudum revocatur, naturaliter venditor emtori pretium restituere tenetur. *An venditor emtori feudo revocato pretium refundere teneatur.*

BIU Cujas

Atque adeo hinc patet, si feudum revocans pretium refundere teneretur, venditorem locupletatum iri cum damno revocantis, quippe qui in feudo jure suo succedere debet absque ullo onere. Quoniam itaque nemo locupletior fieri debet cum damno alterius (§. 585. *part. 2. Jur. nat.*); æquitati naturali utique repugnat, ut pretium indebite acceptum retineat venditor, emtori autem refundat qui feudum revocat. Neque etiam naturaliter quicquam refert, utrum quis feudum scienter emerit, an ignorans, vel rem esse feudalem, vel feudum vendi in alicujus præjudicium. Sufficit, si scienter emat, quod periculum subeat emtor, utrum pretium sibi refundi possit, nec ne, quando feudum revocari contingat. Pœnale igitur est, adeoque juris positivi, quod pretium sine consensu domini scienter emens perdat, nec id repetere possit.

§. 383.

Revocatio feudi num cum vindicatione eadem.

Revocatio feudi est feudi vindicatio. Etenim feudi revocatio est jus detentorem rei feudalis compellendi ad rem feudalem restituendam (§. 373.). Quamobrem cum rei vindicatio sit jus rem suam vi persequendi adversus quemlibet possessorem, aut quemcunque alium, qui eam in potestate habet (§. 543. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque res vindicetur, si detentor ejus compellitur ad eam restituendam; revocatio feudi est feudi vindicatio.

Poteramus itaque carere termino revocationis feudi, nisi is in Jure feudali esset receptus, ac ideo a nobis retinendus, ut facilius appareat Juris naturæ cum positivo vel consensus, vel dissensus.

§. 384.

Principium heuristicum de feudi revocatione.

Quoniam revocatio feudi vindicatio feudi est (§. 383.); *quæ de vindicatione rei demonstrata sunt, & quoad restitutionem rei vindicare obtinent, ea etiam tenenda sunt de feudi revocatione.*

Ex. grat. Quoniam domino competit jus rem suam vindicandi (§. 544. *part. 2. Jur. nat.*), vasallus vero dominus utilis est (§. 158. 3.); hinc statim patet, neminem revocare posse feudum, nisi quando id ad eum devolvitur. Dominus vero, quando feudum ipsi fuit apertum, rem feudalem tanquam suam vindicat, dum feudum revocare dicitur.

§. 385.

De probatione feudi ad se devoluti.

Qui feudum revocare vult, probare debet, id ad se esse devolutum. Etenim feudum revocari nequit nisi ab eo, ad quem id ipsum devolutum fuit (§. 377.). Quamobrem qui id revocare vult, probare debet, id ad se esse devolutum.

Nimirum cum feudum devolvatur ad eos, qui a primo acquirente descendunt, certo ordine; qui feudum revocare vult, probare tenetur, se a primo acquirente descendere ac esse in ordine descendentium eum, qui jam succedere debet. Notandum vero, pro primo acquirente haberi non modo eum, cui feudum, quando primum constituebatur, fuerat concessum; verum etiam eum, in quem tanquam extraneum legitime fuit alienatum, quippe qui in locum illius successit. Hæc satis manifesta sunt ei, qui in anterioribus demonstrata animo rite comprehendit, ut adeo non opus sit singula per anteriora probari.

§. 386.

Quando revocationi actu locus sit.

Quoniam feudum revocaturus probare debet, *id ad se esse devolutum* (§. 385.), *antequam probavit, possessorem aut detentorem rei feudalis compellere nequit ad rem feudalem sibi restituendam*, consequenter *feudum actu revocare.*

Jus tuum certum esse debet ac manifestum, si eodem uti adversus alterum voluveris.

§. 387.

BIU Cujas

§. 387.

De repudiatione feudi.

Si quis feudum repudiat, idem devolvitur ad eum, qui in ordine ipſi proximus eſt. Etenim qui feudum repudiat, is ſufficienter ſignificat, ſe ſibi delatum, ſeu ad ſe devolutum habere nolle (§. 111. *p. 3. Jur. nat.*). Quamobrem perinde eſt, ac ſi mortuus eſſet, antequam ad eum devolveretur, adeoque jam devolvi minime poſſet. Quoniam itaque is in feudo ſuccedere debet, qui in ordine ipſi proximus eſt, vi primæ conſtitutionis (§. 175.); ſi quis feudum repudiat, idem devolvitur ad eum, qui in ordine ipſi proximus eſt.

§. 388.

Quando remotior feudum revocare poſſit.

Si proximior feudum non revocat, quod poſſeſſori relictum velit; remotior idem revocare nequit. Quodſi vero non revocat, quia repudiat, tum remotior revocare poteſt. Etenim ſi proximior, ſine cujus conſenſu feudum fuerat alienatum, dum feudum ad ipſum devolvitur, revocare non vult, quod poſſeſſori relictum velit; omnino vult, ut loco ſui is, in quem fuit alienatum, re utatur fruatur, adeoque perinde eſt, ac ſi ipſe feudum ad ſe devolutum ſine conſenſu remotioris in extraneum alienaſſet. Quoniam itaque quamdiu ipſe vivit, permittere tenetur, ut is, in quem alienatum fuit feudum, re feudali utatur fruatur (§. 377.); poſſeſſorem ejus compellere nequit ad rem ſibi reſtituendam, conſequenter feudum revocare nequit (§. 373.). *Quod erat unum.*

Enimvero ſi proximior feudum revocare non vult, quia repudiat; tum feudum devolvitur ad eum, qui in ordine ipſi proximus eſt (§. 387.), adeoque ad remotiorem. Quoniam itaque feudum revocare poteſt is, ad quem devolvitur, ſi ſine ejus conſenſu alienatum fuit (§. 377.); remotior feudum revocare poteſt, ſi proximior non revocat, quia repudiat. *Quod erat alterum.*

§. 389.

Idem porro expenditur.

Quoniam remotior feudum revocare nequit, quod poſſeſſori relictum velit proximior, qui non revocat; revocare autem poteſt, ſi hic feudum repudiet (§. 388.); *ſi proximior feudum non revocat, remotior idem revocare nequit, antequam ille declaraverit, utrum feudum repudiet, an ſaltem poſſeſſori relictum velit.*

Naturaliter non nocet factum patris filio (§. 380.). Quamobrem ſi pater feudum repudiat, ad filium idem devolvitur (§. 387.), & ideo feudum revocare poteſt, quod pater revocare non vult, quia repudiat, ipſo autem vivo revocare nequit, ſi id poſſeſſori relictum velit. Quamobrem & pater ante declarare debet, quando feudum, quod revocare poterat, non revocat, cur revocare nolit, quam filius revocare poſſit. Patet etiam ſi pater impedit, quo minus filium feudum revocet; alium remotiorem in præjudicium filii feudum revocare non poſſe, cum pater filio invito jus ſuum adimere non poſſit, & quamvis pater feudum repudiet ac filius cum diſſenſu patris ipſum revocare nolit, non tamen propterea filius feudum repudiare, ſed tantummodo velle intelligitur, ut ſit poſſeſſori relictum, donec patrem non offendendo revocare valeat.

§. 390.

An feudum non revocans, quia id poſſeſſori relictum vult, poteſtatem revocandi ſibi adimat.

Si proximior feudum non revocat, quia poſſeſſori relictum vult; hoc non obſtante, adhuc revocare poteſt, quandocunque ipſi viſum fuerit. Etenim cum revocandi jus habeat, *per hypoth.* ab ipſius voluntate unice pendet, utrum poſſeſſori id relictum velit, an revocare malit, &, ſi relictum velit, in arbitrio ipſius poſitum eſt, quamdiu relictum velit. Quamobrem cum poſſeſſori ſeſe non obliget ad feudum relinquendum, dum jure ſuo non utitur, nec illud ſtatim revocat; poteſtatem revocandi ſibi minime adimit, quamvis remotiori declaret, ſe habere animum feudum poſſeſſori relinquendi. Quoniam

BIU Cujas

itaque jus ſuum ſalvum manet, eodem adhuc uti poteſt, quandocunque voluerit, conſequenter adhuc revocare feudum, quandocunque ipſi viſum fuerit.

Declaratio remotiori a proximiore facta, quod poſſeſſori feudum relictum velit tantummodo impedit, ne is revocare poſſit (§. 388.), non vero, ne proximior revocare valeat, cum hæc declaratio non fiat poſſeſſori, ut promiſſionem de non revocando continere intelligatur, adeoque actus obligatorius ſit reſpectu poſſeſſoris (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*). Et ſi animum mutat proximior, revocatio non fit in præjudicium remotioris, adeoque nil obſtat, quo minus is animum mutare poſſit (§. 377. *p.* 3. *Jur. nat.*).

§. 391.

De revocatione feudi in unum ex pluribus pari gradu exiſtentibus alienato.

Si in unum ex pluribus, ad quos feudum devolvi debet, exiſtentibus in pari gradu alienatum fuit; ceteri pro rata id revocare poſſunt. Etenim ſi feudum devolvi debet mortuo eo, qui nunc idem tenet, ad plures in pari gradu exiſtentes; ſinguli ratam ſuam in eodem habent, conſequenter ſi ſine eorum conſenſu feudum in unum fuit alienatum, perinde omnino eſt ac ſi feudum aliquod ad ipſos devolutum in alium alienatum fuiſſet. Quamobrem cum is, ſine cujus conſenſu feudum fuit alienatum, id revocare poſſit, quando ad ipſum devolvitur (§. 378.); ſi in unum ex pluribus, ad quos feudum devolvi debet, exiſtentibus in pari gradu alienatum fuerit, ceteri pro rata id revocare poſſunt.

Nimirum cum nihil fieri poſſit, quod eſt contra jus tertii (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*); perinde omnino eſt, ſive feudum totum, ſive pars ejus ſine conſenſu ejus alienetur, ad quem ſpectabat, mortuo alienante. Quamdiu enim qui alienavit adhuc in vivis eſt, nihil fit contra jus reliquorum, quando unus interea ſolus re feudali utitur fruitur.

§. 392.

Qui in alienationem conſenſit, feudum revocare nequit. Etenim qui in alienationem conſentit, eo ipſo declarat, in gratiam ejus, in quem feudum alienatur, ſe jus ad feudum habere nolle, conſequenter juri ſuo renunciat (§. 103. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum ei, cui renunciat, ſeſe obliget, quod jure ſuo adverſus ipſum uti nolit, & ille acquirat jus non patiendi, ut eodem adverſus ipſum utatur (104. *part.* 3. *Jur. nat.*); quamvis alias, ſi non conſenſiſſet, feudum revocare potuiſſet (§. 377.), id tamen revocare nequit, ubi conſenſit.

Conſenſus non alio fine requiritur, quam ut is, in quem feudum alienatur, certus ſit, id revocatum minime iri. Atque adeo conſenſus in alienationem utique involvit renunciationem revocationis feudi. Alias nimirum prorſus inutilis eſſet conſenſus requiſitio.

§. 393.

An revocatio feudi deneganda filio, ſi pater in alienationem conſentit.

Naturaliter eorum filiis, qui in alienationem conſenſerunt, non denegatur revocatio feudi. Etenim feudum a patre alienatum filius revocare poteſt (§. 380.). Quoniam itaque reſpectu filii perinde eſt, ſive pater feudum, quod tenet, alienet, ſive in alienationem feudi ad ſe devolvendi conſentiat; naturaliter quoque filius ejus, qui in alienationem conſenſit, feudum revocare poteſt.

Vide, quæ ſupra annotavimus (*not.* §. 380.). Naturalem hanc æquitatem amplectuntur etiam plerique interpretes Juris feudalis poſitivi, nec valet in contrarium allata ratio, quod filiorum jus dependeat a jure paterno, conſequenter jure revocandi patris conſenſu extincto (§. 392.), nec filius eodem uti poſſit. Neque enim jus in feudo ſuccedendi filius a patre habet, etſi per eum ad filium tranſmittatur, ſed a conſtituente vi contractus feudalis, ex quo derivandum eſt omne jus feudale.

§. 394.

BIU Cujas

§. 394.

An in alienationem consentire teneatur, qui succedendi aliquam spem habet.

In alienationem feudi nemo consentire obligatur, ad quem aliquando devolvi potest, etiamsi fame vel alia necessitate coactus vasallus alienaverit. Etenim is, ad quem aliquando feudum devolvi potest, spem habet in feudo succedendi, jus aliquando excitaturam, si nimirum contingat, ut deficiente successore propiori feudum ad ipsum devolvatur. Quamobrem cum spes ista invito auferri minime possit (§. 474. *part. 3. Jur. nat.*), id quod tamen fieret, si quis in alienationem consentire obligaretur; nemo in eam consentire obligatur, ad quem aliquando seu certo casu feudum devolvi potest, etiamsi vasallus, qui feudum tenet, fame vel alia necessitate coactus alienaverit.

Diximus ante consensum in alienationem involvere renunciationem revocationis feudi (*not.* §. 392.), aut, si mavis, renunciationem juris conditionati succedendi, cum quo revocatio feudi extinguitur. A voluntate autem renunciantis unice pendet, utrum is renunciare velit, nec ne (§. 106. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 395.

An detur agnato jus protimiseos, feudo alienato.

Naturaliter jus protimiseos non competit ei, ad quem aliquando feudum devolvi potest, quando alienatur, nisi in contractu feudali inter constituentem ac primum acquirentem expresse ita fuerit conventum. Etenim quale sit jus unicuique competens, pro quo certo ordine successuro feudum constitutum, ex contractu feudali metiendum (§. 172.). Quodsi ergo expresse non fuerit conventum, ut ei, ad quem vi constitutionis feudum devolvi potest, competat jus protimiseos, quando alienatur; nec competere naturaliter potest. *Quod erat unum.*

Enimvero cum a voluntate feudum constituentis pendeat, quasnam determinationes substantialibus superaddere velit (§. 164.); quin inter constituentem ac primum acquirentem in contractu feudali ita conveniri possit, ut jus protimiseos competat ei, ad quem certo casu feudum devolvi potest, quando alienatur, dubitandum non est, consequenter cum ex contractu feudali metiendum sit jus feudale, quod alicui competit (§. 172.), jus protimiseos quoque illi competere debet, si in contractu feudali inter primum acquirentem ac constituentem ita fuerit conventum. *Quod erat alterum.*

Jure protimiseos restringitur jus alienandi, adeoque proprietas rei feudalis (§. 664. *part. 2. Jur. nat.*), quam habet vasallus. Non vero pati tenetur vasallus, ut proprietas, quam habet, magis restringatur, quam in contractu feudali restricta fuit. Tendit enim hoc ad diminutionem juris ipsius, atque hoc nomine jus protimiseos minime conventum qui sibi arrogat, contra jus vasalli hoc facit (§. 239. *p. 1. Phil. pract. univ.*), quod jure naturæ minime permissum (§. 910. *p. 1. Jur. nat.*).

§. 396.

De jure protimiseos domini.

Conveniri etiam potest, ut, quando feudum in extraneum alienatur, domino competat jus protimiseos. Etenim non modo a constituentis voluntate pendet, quas determinationes substantialibus superaddere velit (§. 164.), sed etiam qui rem in feudum offert, conditiones offerre potest, sub quibus id constitui vult (§ 169.), & determinationes istæ in contractu feudali definiendæ (§. 173.). Quodsi ergo placuerit, ita quoque conveniri potest, ut, quando feudum in extraneum alienatur, domino competat jus protimiseos (§. 788. *part. 3. Jur. nat.*).

Dico conveniri posse, ut domino competat jus protimiseos, quando feudum in extraneum alienatur. Quando enim alienatur in agnatum, seu eum, qui aliquando succedere poterat; si jus protimiseos competeret domino, hoc foret contra jus ipsius (§. 239. *p. 1. Phil. pract. univ.*). Implicat ergo feudum constituere pro certis personis certo ordine sibi invicem successuris & jus protimiseos conferre domino, si in unam earum feudum alienatur, ad quam successio nondum pertinebat.

§. 397.

BIU Cujas

§. 397.

In quanam alienatione competat jus protimiseos.

Naturaliter jus protimiseos non modo competit in alienatione, quæ fit pretio interveniente; verum etiam in ea, quæ fit nullo pretio interveniente, nisi id ad alienationem pretio interveniente factam fuerit restrictum. In casu vero posteriori pretium, quo feudum vendi poterat, determinandum. Nimirum quando alicui jus protimiseos competit, is in alienatione præferri debet alteri, in quem feudum alienatur (§. 1108. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quoniam vero nemo alteri damnum dare debet (§. 495. *part.* 2. *Jur. nat.*); ideo necesse est, ut is, cui jus protimiseos competit, idem pretium offerat alienanti, quod ab eo, in quem alienatur, accipere poterat. Atque adeo patet jus protimiseos alicui competere posse in alienatione, quæ fit pretio interveniente. *Quod erat primum.*

Enimvero si alienatio fiat pretio nullo interveniente, veluti si alteri donetur; non minus in extraneum alienatur feudum, quam si pretio interveniente alienetur, veluti si vendatur. Quoniam itaque jus protimiseos, quo dominus vel alius, qui aliquando in feudo succedere poterat, & qui ad consentiendum in alienationem cogi nequit (§. 394.), extraneo in alienatione præfertur (§. 1108. *part.* 4. *Jur. nat.*), non alio fine conceditur, quam ut dominus potius rem feudalem pleno jure habeat, aut alius, qui spem aliquando succedendi habet, feudum acquirat, quam ut ad extraneum ipsum perveniat; jus protimiseos non minus convenit alienationi feudi, quæ fit nullo pretio interveniente, quam ei, quæ fit interveniente pretio. Naturaliter itaque jus protimiseos non modo competit in alienatione, quæ fit interveniente pretio, verum etiam in ea, quæ fit pretio non interveniente. *Quod erat secundum.*

Quoniam tamen determinationes substantialibus addi possunt in contractu feudali (§. 173.), quæ constituenti & rem in feudum offerenti placuerint (§. 164. 169.); si ita visum fuerit, jus protimiseos quoque restringi potest ad eam saltem alienationem, quæ fit pretio interveniente. *Quod erat tertium.*

Denique quoniam nemo alteri damnum dare debet (§. 495. *part.* 2. *Jur. nat.*), quale quidem pateretur is, cui feudum ab altero donatur, pretium, quo vendi poterat, utique determinandum, ut detur ei, cui feudum ab altero donatum aut donandum erat. *Quod erat quartum.*

§. 398.

Quale pretium offerri debeat ab eo, qui jus protimiseos habet.

Si quis jure protimiseos uti voluerit, idem offerre debet pretium, quod alter dare vult, aut dedit, aut quod alius daret, si venderetur, quando sine pretio interveniente alienatur. Etenim jure protimiseos in alienatione qui id habet præferri debet alteri, in quem alienatum, vel alienandum (§. 1108. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quamobrem cum nullum inde damnum sentire debeat, qui feudum alienare vult, vel etiam is, in quem sine pretio interveniente alienatur (§. 495. *part.* 2. *Jur. nat.*); ideo necesse est, ut, si quis jure protimiseos uti voluerit, idem offerre debeat pretium, quod alter dare vult, aut dedit in casu priori, aut quod alius daret, si venderetur, in casu posteriori.

Non est, quod objicias, posse venditorem cum emtore convenire, ut ad deterrendum eum, qui jus protimiseos habet, ne eodem utatur, majus pretium dicatur, quam revera solvitur, vel etiam eum, cui feudum donatur, convenire posse cum alio, ut dicat, se majus pretium dare velle, si feudum vendatur, quam quo ille emeret si emere deberet. Etenim in casu priori abesse a contractu debet fraus omnis (§. 149. *part.* 5. *Jur. nat.*), & quando fraudis suspicio est, eidem cui jus protimiseos competit, omnibus uti licet mediis ad fraudem detegendam aptis; in posteriori autem feudum a peritis taxandum, ut æquum pretium inveniatur (§. 397.); immo in statu quoque civili ad indagandum verum pretium voluntarie subhastari potest feudum, ubi, si pro eo pretio habere nolit is, qui jus protimiseos habet, donatario integrum est deliberare, utrum feudum habere malit, an pretium, quod offert emtor.

§. 399.

BIU Cujas

§. 399.

Jure protimiſeos alienatio nondum perfecta prohiberi poteſt, ne perficiatur, ſi alienator pretium ab eo oblatum acceptare non vult. Quodſi enim jus protimiſeos alicui competit, & is idem offert pretium, quod alius dare vult, vel dare debebat, ſi pretio interveniente fieret alienatio, ei, in quem alienare feudum vult vaſallus, præferri debet (§. 1108. *p.* 4. *Jur. nat.*). Quodſi ergo alienator pretium ab eo oblatum acceptare recuſet, hoc vero non obſtante feudum alienaretur; alienatio foret contra jus protimiſeos, quod alteri competit (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum alterum lædat, qui quid facit contra jus ipſius (§. 920. *part.* 1. *Jur. nat.*), cuilibet autem competat jus perfectum non patiendi, ut alius ipſum lædat (§. 913. *part.* 1. *Jur. nat.*); cui jus protimiſeos competit, is pati non tenetur, ut feudum alienetur, conſequenter prohibere poteſt, ne alienatio nondum perfecta perficiatur. *Effectus juris protimiſeos quoad alienationem nondum perfectam.*

Jus protimiſeos cum in eo conſiſtat, ut quis in alienando alteri præferatur, non involvit jus cogendi alterum, ut feudum ſibi vendat; ſed ſi ab alienando deſiſtat, qui feudum alienare vult, ut animum mutet ipſi permittendum (§. 377. *p.* 3. *Jur. nat.*): quodſi enim alienatio non perficiatur, nihil fit contra jus ipſius.

§. 400.

Si feudum fuerit actu alienatum, qui jus protimiſeos habet, refuſo pretio, quod dedit emtor, vel qui pretio interveniente feudum accepit, aut ſoluto pretio, quo feudum æſtimatur, ubi pretio nullo interveniente in ipſum translatum fuerit, feudum revocare poteſt. Etenim ſi alienatio feudi fuerit perfecta, ſine conſenſu nimirum ejus, cui jus protimiſeos competit, alienatio contra jus ipſius facta, quod adimi eidem minime poteſt (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*), ſubſiſtere nequit, niſi eam ratihabere voluerit. Quodſi ergo jure ſuo uſus, quod adhuc habet, idem pretium offerat, quod dedit, in quem feudum alienatum fuit, vel pretium æquum, quo feudum æſtimatur, ſiquidem nullo pretio interveniente alienatio facta, eum, qui feudum tenet, compellere poteſt ad rem feudalem ſibi reſtituendam. Quamobrem cum feudum revocet, qui poſſeſſorem compellit ad rem feudalem reſtituendam (§. 373.); ſi feudum fuerit actu alienatum & qui jus protimiſeos habet pretium, quod dedit is, in quem fuit alienatum, vel quo æſtimatur feudum, quod nullo pretio interveniente alienatum, ſolvat, feudum is revocare poteſt. *Effectus ejusdem quoad alienationem jam perfectam.*

Nimirum aut alienando feudum altero inſcio vel contradicente, cui jus protimiſeos competit, jus ſuum eidem auferri poteſt, aut non obſtante alienatione jam perfecta eodem adhuc ut poteſt. Aſt illud fieri nequit (§. 336. *p.* 2. *Jur nat.*). Ergo revocatio feudi non deneganda ei, qui jure protimiſeos gaudet. Quando quis jure protimiſeos utitur, in caſu venditionis feudi, feudum retrahit (§. 1104. *part.* 4. *Jur. nat.*), adeoque in hoc caſu revocatio feudi coincidit cum jure retractus. Quamvis vero jus retractus non locum habeat, ſi res eidem obnoxia alio titulo, quam emtionis venditionis alienetur, veluti ſi donetur, vel cum re alia permutetur (§. 1107. *part.* 4. *Jur. nat.*); jus tamen protimiſeos latius patet jure retractus, quod ejus ſpecies quædam eſt (§. 1108. *part.* 4. *Jur. nat.*). Diſtinguendum adeo eſt naturaliter, utrum alicui in alienatione feudi competat ſaltem jus retractus, an vero jus protimiſeos: ſit ita quod interpretes Juris civilis jus protimiſeos & jus retractus tanquam ſynonyma adhibeant (*not.* §. *cit.*).

§. 401.

Feudum revocari poteſt vivo alienatore ab eo, qui jus protimiſeos habet. Etenim qui jus protimiſeos habet, prohibere poteſt, ne alienatio nondum perfecta perficiatur (§. 399.), &, ſi ipſo inſcio aut contradicente facta fuerit, feudum revocare poteſt (§. 400.), propterea quod in alienatione præferri debet alii, in quem alienatur (§. 1108. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quamobrem cum pati minime debeat, ut alius ſibi fuerit prælatus (§. 336. *An revocatio feudi jure protimiſeos fieri poſſit vivo alienatore.*

BIU Cujas

(§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*); poſſeſſorem feudi ſtatim compellere poteſt ad rem feudalem ſibi reſtituendam, conſequenter vivo adhuc vivo adhuc alienatore feudum revocare poteſt) §. 373.).

Non eſt quod objicias permittendum eſſe, quamdiu alienator vivit, ut is, in quem feudum fuit alienatum, re feudali utatur fruatur (§. 377.). Alia enim eſt ratio, ſi feudum revocatur, propterea quod tu in eodem ſuccedere debes; alia vero, ſi revocatur jure protimiſeos. In hoc enim caſu reſundendum eſt pretium, quod dedit emtor vel qui pretio interveniente feudum accepit, aut quo æſtimatur, quando nullo pretio interveniente in alium alienatum (§. 398.); aſt in illo feudum revocatur, pretio nullo refuſo, vel ſoluto (§. 381.). Præterea jus protimiſeos non ideo competit revocanti, quod feudum ad eundem, mortuo alienatore, devolvitur; ſed a devolutione prorſus independens eſt. Eſt nimirum jus conditionatum, quod ab alienatione dependet, ac ea facta purum evadit, ut nihil adſit, quod ejus executionem ſuſpendat.

§. 402.

An conſenſus in alienationem feudi tollat jus protimiſeos.

Conſenſus in alienationem feudi fit ſalvo jure protimiſeos, quando fit pretio interveniente; tollit autem jus protimiſeos, quando fit pretio nullo interveniente. Etenim ſi quis jure protimiſeos uti velit, idem offerre debet pretium, quod offert alter, ſiquidem alienatio pretio interveniente fit (§. 398.). Antequam igitur ſtatuere poſſit, utrum jure protimiſeos uti velit, nec ne, neceſſe eſt, ut conſtet de pretio, quod alter offert. Quamobrem etſi in alienationem feudi conſentiat, non tamen hoc ipſo declarat, ſe jure protimiſeos uti nolle, conſequenter eidem non renunciat (§. 103. *p.* 3. *Jur. nat.*), adeoque ad non utendum alienatori ſe non obligat (§. 104. *part.* 3. *Jur. nat.*). Conſenſus adeo in alienationem fit ſalvo jure protimiſeos, quando alienatio fit pretio interveniente. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi alienatio fit pretio nullo interveniente, veluti ſi alteri donetur, qui jure protimiſeos uti vult, offerre debet pretium, quo vendi poterat (§. 388.), a peritis & impartialibus determinandum (§. 397.). Quamobrem ſi conſenſus ejus requiritur, ſtatim ſignificare debet, ſe jure protimiſeos uti velle, & offerre pretium, quod a peritis & impartialibus determinabitur. Quodſi ergo in alienationem conſentit, tacite juri protimiſeos renunciare intelligitur (§. 103. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter tacite ſeſe obligat ad non utendum eodem (§. 104. *part.* 3. *Jur. nat.*). Conſenſus adeo in alienationem, quæ fit nullo pretio interveniente, jus protimiſeos tollit. *Quod erat alterum.*

Conſentire in alienationem, quæ fit nullo pretio interveniente, & ſibi reſervare jus protimiſeos tacite utique repugnat. Qui enim jure protimiſeos uti vult, feudum vult emere, adeoque conſentire nequit, ut alteri donetur. Aliud eſt, ſi conſentiat in donationem ſub hac conditione, ut, ſi intra tempus conventum æquum pretium offerat, res feudalis ſibi ſit tradenda & donatarius accipere debeat pretium, aut quando feudum permutatur, ut qui feudum acceperat, feudum ſibi reſtituat & vel pretium accipiat, vel rem, quam tradiderat alienatori, recipiat. Facile vero patet, ad hoc requiri ſpecialia pacta, ex quibus naſcantur obligationes alienatoris & ejus, in quem feudum fuit alienatum, & per quas jus protimiſeos reſervatur. Ex adverſo in alienationem, quæ fit pretio interveniente, conſentire poteſt, qui feudum emere vult, ſiquidem pretium, quo vendi poteſt, placuerit, atque adeo conſentit eo fine, ut pretium determinetur, quia animum emendi habet, non tamen ad pretium conſenſu alterius determinandum ſe obligare vult, nec prudens obligaret. Pars altera propoſitionis præſentis equidem Juri naturæ convenit, aſt non poſitivo, quo jus protimiſeos non habet locum in alienatione, quæ fit nullo pretio interveniente, quia ibidem jus protimiſeos idem eſt cum jure retractus (*not.* §. 400.).

§. 403.

De ordine in exercitio juris protimiſeos obſervando.

Si jus protimiſeos conceditur iis, ad quos feudum devolvi poteſt, eo ordine conceditur, quo in feudo ſuccedere poſſunt. Etenim ſi jus protimiſeos conceditur iis, ad quos feudum devolvi poteſt, quod tamen nonniſi unus exercere poteſt, quando feudum alienatur, neceſſe omnino eſt, ut certo ordine exerceatur. Quamobrem cum ii, quibus

conceſ-

BIU Cujas

conceſſum, nonniſi certo ordine in feudo ſuccedere poſſint, vi primæ conſtitutionis, & in eodem contractu feudali, quo feudum conſtitutum (§. 171.), etiam jus protimiſeos conceſſum ſit (§. 395.); eundem omnino ordinem reſpexiſſe quoque intelliguntur contrahentes in exercitio Juris protimiſeos. Quamobrem patet, ſi jus protimiſeos conceditur iis, ad quos feudum devolvi poteſt, id eo ordine concedi, quo in feudo ſuccedere poterant.

Sane niſi idem ordo in exercitio juris protimiſeos obſervari debeat, quo quis in feudo ſuccedere poteſt, quinam alius ordo obſervari debeat, conveniendum erat. Et conveniens omnino eſt, ut ejus, qui jus propius ſuccedendi habet, aut, ſi mavis, ſpem propiorem, jus protimiſeos quoque propius ſit, quod intuitu juris ſuccedendi conceditur, niſi jus protimiſeos ei competere debeat, qui eodem uſurus meliores offert conditiones: id quod quidem conveniri poterat, aſt ubi conventum non fuit, obtinere nequit. Hic enim quæritur, quid obtinere debeat, quando ſimpliciter dictum, jus protimiſeos iis competere debere, ad quos feudum devolvi poteſt. Tum vero non attendi poteſt niſi proximitas in ſuccedendo, ut ſit potior jure, qui prior poterat ſuccedere.

§. 404.

Idem porro expenditur.

Quoniam jus protimiſeos iis, ad quos feudum devolvi poteſt, eo ordine conceſſum intelligitur, quo in feudo ſuccedere poſſunt (§. 403.); *ſi proximior jure protimiſeos uti velit, quando feudum alienatur, remotior eadem uti nequit, adeoque non admittitur, niſi quando proximior eodem uti noluerit.*

Hoc nimirum valet, ſi vi primæ conſtitutionis jus protimiſeos conceſſum ſimpliciter omnibus, ad quos feudum devolvi poteſt. Quoniam tamen jus hoc totum a conventione dependet, nec aliter admittitur, niſi quale fuerit conventum; ita omnino etiam conveniri poteſt, ut jus protimiſeos non competat niſi ei, qui proximam ſpem ſuccedendi habet. Non eſt quod dicas, hunc jure protimiſeos non indigere, ut feudo potiatur, cum in alienationem non conſentire cogatur ſine pretio poſt mortem alienatoris idem accepturus (§. 394.) & ſi alienatum fuerit, idem poſt mortem alienatoris revocare poſſit pretio non refuſo (§. 378. 381.); dantur enim caſus, in quibus in alienationem conſentire tenetur, veluti ſi in oppignorationem conſentit. Non tamen negandum, jus protimiſeos convenientius ſimpliciter concedi ſingulis, qui in feudo ſuccedere poſſunt.

§. 405.

De conſenſu declarato ei, in quem feudum alienatur.

Qui conſenſum ſuum in alienationem declarat ei, in quem alienatur; feudum revocare neequit jure protimiſeos. Etenim ſi is, in quem feudum alienatur, requirit conſenſum ejus, qui jus protimiſeos habet; id non facit alio fine, quam ut certus ſit, feudum ab eo revocatum non iri. Quando igitur conſenſum ſuum eidem declarat, eo ipſo ſignificat ſe jure protimiſeos adverſus ipſum non uſurum, conſequenter juri huic renunciat (§. 103. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque illi ſe obligat ad eodem non utendum (§. 104. *p.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem qui conſenſum ſuum in alienationem ei declarat, in quem alienatur, feudum revocare nequit.

Nimirum quando in ſuperioribus oſtendimus conſenſum in alienationem, quæ ſit intervenientе pretio, non tollere jus protimiſeos; tum ſupponitur, quemadmodum ex demonſtratione liquet (§. 402.), conſenſum declarari alienatori, antequam alienatio perficiatur, vel etiam ubi ad ratihabendam eam, quæ jam perfecta fuit, ab eodem requiritur. Etenim in caſu iſto ſeſe ſaltem obligat alienatori, quod permittere velit, ut feudum alienetur, vel quod alienationem ab eo factam ratihabeat; minime vero ei, in quem alienatur, quod jure protimiſeos uti nolit, quemadmodum in caſu præſenti.

§ 406.

Quamdiu jure protimiſeos quis uti poſſit.

Qui jus protimiſeos habet, feudum ſe inſcio alienatum revocare poteſt a die ſcientiæ, quandocunque ipſi viſum fuerit, niſi certus terminus fuerit in contractu feudali præfixus.

BIU Cujas

Etenim jus protimiſeos invito auferri nequit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque prœterea non extinguitur, quod eodem non ſtatim utatur, quamprimum eidem innoteſcit feudum ſe inſcio fuiſſe alienatum. Quoniam itaque hoc jus tamdiu ſubſiſtit, quamdiu is, cui competit, non habet animum id derelinquendi (§. 256. 250. *p.* 2. *Jur. nat.*); eodem quoque uti poteſt, quandocunque ipſi viſum fuerit a die ſcientiæ. Quamobrem cum jure protimiſeos perfecta alienatione feudum revocari poſſit (§. 400.); qui jus protimiſeos habet, feudum ſe inſcio alienatum revocare poteſt a die ſcientiæ, quandocunque ipſi viſum fuerit. *Quod erat unum.*

Enimvero cum in contractu feudali ſubſtantialibus ſuperaddi poſſint determinationes, quæ placuerint conſtituenti, vel etiam rem in feudum offerenti (§. 146. 169. 173.), certus quoque terminus in eodem præfigi poteſt, ultra quem a die ſcientiæ revocatio jure protimiſeos fieri nequit. Quoniam itaque jus omne feudale metiendum ex contractu feudali (§. 172.); ultra terminum præfixum jure protimiſeos quis uti nequit. *Quod erat alterum.*

Quemadmodum conventione præfigi poteſt terminus, ultra quem jus protimiſeos non durat; ita jure quoque poſitivo ittiuſmodi terminus conſtitui poteſt, qualis quidem commodus viſus fuerit juris conditori. De præſcriptione juris protimiſeos & juris revocandi feudum ad ſe devolutum ut quid dicatur, opus non eſt. Pendet enim præſcriptio a principiis generalibus, quæ alias demonſtravimus (§. 1024. *& ſeqq. part.* 3. *Jur. nat.*). Per ea vero facile diſcernuntur, quæ juris mere poſitivi ſunt, ab iis, quæ juris ſunt naturæ.

§. 407.

Quid ſit refutatio feudi.

Feudum refutare dicitur vaſallus, ſi ſignificat domino ſe id diutius habere nolle ſive ſimpliciter, ſive in favorem tertii. Quoniam itaque feudum conſiſtit in dominio utili ſub conditione mutuæ fidelitatis conceſſo (§. 155.); *vaſallus feudum refutans ſignificat, quod dominium utile habere nolit*, conſequenter *nec obligatus eſſe domino ad fidelitatem in contractu feudali conventam diutius præſtandum, ſed potius ab omni nexu feudali liber eſſe velit.* Unde porro conſequitur, *ſi feudum ſimpliciter refutat, eum velle, ut res feudalis redeat ad dominum; ſi vero in favorem tertii refutat, eum velle, ut tertio huic feudum concedatur.* In caſu priori *feudum refutari* ſeu *refutatio fieri* vulgo dicitur *domino*; in poſteriori autem *tertio. Quando* itaque *refutatio domino fit, vaſallus* ſignificat ſe nolle ut dominus amplius obligatus ſit ad dominium utile in re feudali concedendum, adeoque *jus ſuum remittit* (§. 95. *part.* 3. *Jur. nat.*): *quando* vero *refutatio fit tertio*, idem ſignificat, ſe velle dominum eſſe obligatum ad concedendum dominium utile in re feudali tertio, adeoque jus ſuum in eum transferri, conſequenter *feudum tertio cedit* (§. 81. *p.* 3. *Jur. nat.*).

Solet in utroque caſu refutatio feudi etiam ceſſio feudi dici. Vid. *Struvius* in Syntagm. Jur. feud. c. 12. §. 14. Immo abdicatio quoque & renunciatio appellatur, propterea quod vulgo termini iſti non ſatis accurate a ſe invicem diſtinguuntur, ſed vagum quendam admittunt ſignificatum. Sed cum nos ſingulis terminis fixum quendam ac determinatum tribuimus ſignificatum; convenientius refutatio domino facta, ſeu facta eidem ſimpliciter remiſſio juris in re feudali; facta vero tertio, aut accuratius loquendo facta domino in favorem tertii ceſſio feudi appellatur. Aſt in verbis non ſumus ſcrupuloſi, modo in re conveniamus, quamvis in Jure naturæ verborum etiam ſcrupuloſitatem ſectari teneamur.

§. 408.

Quando refutatio domino facta licita.

Naturaliter vaſallus feudum domino refutare poteſt, quando refutatio non fit contra jus ipſius, ſeu in ejus præjudicium, eodem etiam invito. Quando enim vaſallus feudum domino refutat, jus ſuum, quod habet, remittit (§. 407.). Enimvero naturaliter quilibet jus ſuum remittere poteſt, quando hoc ipſo nihil fit contra jus alterius (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*). Naturaliter itaque vaſallus feudum domino refutare poteſt,

BIU Cujas

teſt, quando refutatio non fit contra jus ipſius, ſeu in ejus præjudicium. *Quod erat unum.*

Quoniam adeo vaſallo naturaliter competit jus remittendi jus ſuum, quod habet, nimirum ut dominus pati teneatur ipſum habere dominium utile in re, *per demonſtr.* dominus quoque impedire nequit, quando refutatio non fit contra jus ipſius, ſeu in ejus præjudicium non vergit, quominus vaſallus eodem utatur (§. 180. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Vaſallus itaque feudum domino etiam invito refutare poteſt (§. 407.). *Quod erat alterum.*

Non eſt, quod objicias, vaſallum obligatum eſſe domino ad præſtandam fidelitatem conventam (§. 245.), neminem autem ab obligatione ſua ſeipſum liberare poſſe (§. 674. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter cum feudum refutans domino non amplius obligatus eſſe velit ad fidelitatem conventam præſtandum (§. 407.), ſine domini conſenſu refutationem fieri non poſſe. Etenim vaſallus dominium utile in re habet ſub hac conditione, ut fidelitatem conventam præſtet (§. 155.), conſequenter ad fidelitatem præſtandam domino obligatur, quia dominium utile habet. Quodſi ergo dominium utile habere nolit; nec ad fidelitatem præſtandam obligatus eſt. Obligatio nimirum jurī cohæret tanquam per conventionem adjecta, cum abeſſe poſſet, neque enim neceſſe eſt, ut qui dominium utile in re habet, ad fidelitatem præſtandam ſit obligatus, vel emphyteuſi teſte (§. 12.), non vero jus ex obligatione oritur, ut nonniſi hac extincta amittatur. [Quoniam dominium utile conceditur eum in finem, ut tu obligatus ſis ad fidelitatem domino directo præſtandam (§. 155.); obligatio hæc ſpectari poteſt quaſi modus, ſub quo illud conceditur (§. 557. *p.* 3. *Jur. nat.*), quem ſi adimplere nolueris, rem feudalem reſtituere debes (§. 562. *p.* 5. *Jur. nat.*): quod cum faciat, dum feudum domino refutat, nihil committitur, quod eſt contra jus domini, ut ſine ejus conſenſu refutatio fieri nequeat (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*), niſi ex caſu emergente naſcatur præjudicium domino, quod illicitam facit refutationem. Unde diximus, jus refutandi competere vaſallo, quando refutatio non fit in præjudicium domini.

§. 409.

Vaſallus domino feudum refutare nequit, quando refutatio fit contra jus ipſius, ſeu in ejus præjudicium. Etenim nemo quicquam facere debet, quod eſt contra jus alterius (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*) & omne damnum ab altero avertere debet (§. 495. *p.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter nil quicquam facere, quod ullo modo vergit in præjudicium alterius. Quamobrem nec vaſallus domino feudum refutare poteſt, quando refutatio fit contra jus ipſius, ſeu in ejus præjudicium vergit. *Quando refutatio domino fieri nequit.*

Oſtendimus jam (*not.* §. 408.), refutationem feudi domino factam non per ſe, ſed tantummodo ob caſum emergentem vergere in præjudicium domini. Caſus adeo emergens illicitam facit, quæ in ſe illicita non eſt.

§. 410.

Quoniam *vaſallus* domino feudum refutare nequit, quando refutatio fit contra jus ipſius (§. 409.), contra jus vero domini fit, *ſi feudum refutet, dum ſervitia militaria, quibus dominus nunc indiget, præſtare tenetur, vel eo animo, ut hoſtilia in eum ſecurius moliri poſſit* (§. 154. *h.* & 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*): in utroque caſu *refutare feudum nequit.* *Caſus particulares.*

§. 411.

Si feudum domino refutatur, poſt mortem refutantis feudum revocare poteſt is, ad quem devolvitur: ipſo autem vivo permittere tenetur, ut dominus re feudali utatur fruatur. Etenim ſi feudum domino refutatur, res feudalis ad ipſum redit (§. 407.), ut adeo ipſe eandem frui ac uti poſſit, quemadmodum utebatur fruebatur antea vaſallus (§. 159.). Enimvero poſt mortem refutantis is, ad quem feudum vi primæ conſtitutionis devolvitur, in eodem ſuccedere debet: quod jus cum eidem invito auferri *De revocatione feudi domino refutati.*

BIU Cujas

non possit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*), dominum, si nolit, ad restituendum rem feudalem compellere potest. Quamobrem cum feudum revocet, qui detentorem rei feudalis ad rem feudalem sibi restituendum compellit (§. 373.): si feudum domino refutatur, post mortem refutantis feudum revocare potest is, ad quem devolvitur. *Quod erat unum.*

Enimvero antequam refutans moritur, nihil fit contra jus ipsius, ad quem feudum devolvitur, dum dominus re feudali utitur fruitur (§. 325.). Quamobrem si feudum domino refutatur, quamdiu refutans vivit, permittere tenetur is, ad quem post mortem refutantis devolvitur, ut dominus re feudali utatur fruatur. *Quod erat alterum.*

Equidem dominus, cui feudum refutatum, feudum statim concedere potest ei, ad quem post mortem refutantis demum devolvitur, quemadmodum etiam extraneo jus utendi fruendi concedere potest, quamdiu vivit refutans, si ipse re feudali uti frui nolit, cum de jure sibi competente pro arbitrio disponere possit; non tamen hoc facit jure, sed quia ipsi ita visum fuerit.

§. 412.

De feudi remotiori refutati revocatione.

Si feudum refutatur eorum, ad quos aliquando devolvi potest, remotiori; post mortem refutantis proximior revocare ipsum potest; vivo autem refutante permittere tenetur, ut re feudali utatur fruatur remotior. Etenim si feudum refutatur remotiori cuidam eorum, ad quos feudum devolvi potest; refutans declarat, se feudum diutius habere nolle, velle autem ut tertius habeat, in cujus gratiam fit refutatio (§. 407.), adeoque perinde est ac si in remotiorem alienaretur (§. 662. *part.* 2. *Jur. nat.*). Enimvero feudum ad se devolutum revocare potest proximior, si in remotiorem fuerit alienatum, in quem ante ipsum devolvi non poterat (§. 379.), consequenter mortuo alienatore (§. 378.). Ergo si feudum refutatur remotiori, post mortem refutantis proximior ipsum revocare potest. *Quod erat unum.*

Posterius patet eodem modo, quo idem in propositione antecedente (§. 411. *n.* 2.) demonstravimus. *Quod erat alterum.*

Vide quæ supra eam in rem annotavimus, cum de alienatione feudi ageremus (*not.* §. 378. 379.) Quoniam refutatio in casu propositionis præsentis cum alienatione convenit, non opus est ut plura de eadem dicamus.

§. 413.

De refutatione successori in feudo facta.

Si feudum refutatur ei, qui mortuo refutante in eo succedere debet; jure successionis ad eum devolutum intelligitur. Etenim si feudum refutatur, refutans declarat, se feudum diutius habere nolle (§. 407.), & quoniam refutatur ei, qui mortuo refutante in eo succedere debet, eo ipso significat, sese feudum ideo habere nolle, ut sit ejus, qui alias se mortuo in eodem succederet (§. *cit.*), consequenter vult ut habeatur pro mortuo. Quoniam itaque vi constitutionis ipso mortuo feudum ad eundem devolvitur jure successionis; quando feudum refutatur ei, qui mortuo refutante in eo succedere debet; jure successionis ad eum devolutum intelligitur.

Quando vasallus moritur, feudum devolvitur ad eum, qui vi primæ constitutionis in eodem succedere potest, propterea quod non est alius, qui jure re feudali uti frui posset, seu dominium utile habere. Enimvero si vasallus declarat, se feudum amplius habere nolle, sed potius velle, ut is, qui post mortem suam in eodem succedere debet, idem nunc habeat; itidem feudum ad eum devolvitur, propterea quod non est alius, qui jure re feudali uti frui posset, aut potius dominium utile in ea habere posset. Atque adeo patet, perinde esse, sive vasallus moriatur, sive feudum refuret ei, ad quem post mortem ipsius devolvi debet. Sane huic nil obstat, quo minus feudum ad ipsum devolvatur & is in eodem succedat, quam quod ad vasallum adhuc vivum pertineat. Quando autem ab eodem feudum ipsi refutatur, juri successorio nil amplius obstat, atque adeo jure successorio ad ipsum devolutum intelligitur. Quando domino, vel alicui eorum, qui spem aliquam succedendi remotiorem habent, refutatur, non dici potest, quod jure successorio ad ipsos devolutum sit, cum jus succedendi neutri competat, etiamsi vasallus feudum habere amplius nolit, adeoque ipsis tantummodo jus utendi fruendi re feudali, seu exercitium dominii utilis concessum intelligitur, quamdiu vasallo id competit, consequenter quamdiu

BIU Cujas

diu ipse vivit. Ipso enim mortuo jus successoris vim suam acquirit, dum quod conditionatum fuerat jam purum evadit; quemadmodum jam supra vidimus in casu simili (*not.* §. 401.).

§. 414.

Si feudum refutatur in gratiam extranei, refutatio alienatio est. Etenim si feudum refutatur in gratiam extranei, refutans declarat se feudum diutius habere nolle, velle autem, ut extraneus habeat (§. 407.). Quoniam adeo dominium utile transfert in extraneum (§. 155.), hæc autem translatio alienatio est (§. 662. *part.* 2. *Jur. nat.*); si feudum refutatur in gratiam extranei, perinde est ac si in extraneum alienaretur, adeoque refutatio alienatio est. *De refutatione extraneo facta.*

§. 415.

Quoniam si feudum extraneo refutatur, perinde est ac si in eundem alienaretur (§. 414.); *de feudo extraneo refutato eadem valent, quæ de alienatione in extraneum facta.* *Cur non plura de ea dicantur.*

Non igitur opus est, ut plura eam in rem dicantur.

§. 416.

Si feudum refutatur ei, qui mortuo vasallo in eodem succedere debet, & is sine filio decedit ante refutantem, ad hunc feudum revertitur, quando refutatio unice in ipsius gratiam facta; non revertitur, quando omnino facta, quasi animo feudum derelinquendi. Etenim si is, qui feudum refutat, unice facit in gratiam ejus, cui refutatur; tacite sibi reservat regressum ad feudum, siquidem ipsum ante se mori contingat. Quamobrem cum a voluntate ipsius dependeret, quomodo feudum refutare vellet (§. 11. *p.* 3. *Jur. nat.*); quin hunc regressum sibi reservare potuerit, dubitandum non est. Quoniam itaque jus, quod sibi reservavit, nemo eidem auferre potest (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*); si is, cui feudum refutavit, ante se decedat, feudum ad eum revertitur. *Quod erat unum.* *De eo, cui feudum refutatum ante refutantem mortuo.*

Enimvero si feudum omnino refutetur, quasi animo derelinquendi; id amplius habere nude non vult, parum sollicitus quinam habeat, etsi malit, eum habere, qui se mortuo succedere debet, voluntate nimirum consequente (§. 249. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam itaque regressum ad feudum sibi reservare non intelligitur, siquidem contingat eum, cui refutatur, ante se decedere; nec feudum ad eum reverti potest. *Quod erat alterum.*

§. 417.

Quilibet juri suo succedendi in feudo renunciare potest. Potest enim quilibet renunciare juri cuivis quæsito, quamdiu nil fit contra jus tertii (§. 118. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam juri suo succedendi in feudo renunciare potest, cum renunciatione nec jus domini, nec ceterorum, ad quos feudum devolvi potest, obstet, quemadmodum ex anterioribus satis patet. *An jure succedendi in feudo renunciari possit.*

Renunciatio fit ab eo, qui feudum nondum possidet, sed saltem habet spem succedendi, sive propinquam, sive remotam, vel quando succedere poterat, in gratiam vero alterius succedere non vult. Atque ideo refutationem distinximus a renunciatione (§. 407.), sit ita quod vulgo vago quodam significatu renunciare etiam dicatur is, qui refutat. Quoniam vero de successione in bonis defuncti in posterum demum agetur; ideo quoque in præsenti ea prætermittenda sunt, quæ de successione in re feudali adhuc demonstrari poterant ac debebant.

§. 418.

BIU Cujas

§. 418.

Quando feudum precarium finiatur.

Feudum precarium finitur, vel amittitur, quamprimum dominus vasallo significat, se nolle, ut res sua diutius ipsi sit infeudata. Demonstrationem jam dedimus supra (*not.* §. 374.).

Initio feuda erant precaria, ita ut a domino, qui concesserat, pro lubitu vasallo auferri possent I. f. 1. §. 1. 2. Jus vero hoc deinde mutatum est, non quod esset iniquum, cum juri naturali minime repugnet, ut feudum sit precarium, cujus quippe constitutio quoad ea, quæ substantialia non sunt, a voluntate concedentis dependet (§. 164.); sed quod deinde placuit feuda concedere non modo pro primo acquirente, sed ejus etiam descendentibus, vel certis personis aliis certa lege eidem successuris: id quod notioni feudi minime repugnat (§. 155.).

§. 419.

Quando morte vasalli finiatur feudum.

Feudum finitur, successore feudali deficiente, seu mortuo vasallo sine successore feudali. Etenim feudi constitutio continet tacitam hanc conditionem, ut, si nemo amplius sit, cui id competere, seu qui in eodem succedere possit, res, quæ feudalis fuerat, pleno jure sit domini feudi (§. 326.). Ea igitur intelligitur fuisse constituentis voluntas, ut, si vasallus moriatur sine successore feudali, feudum finiatur. Quamobrem cum determinationes substantialibus in contractu feudali superadditæ (§. 173.) pendeant a voluntate constituentis (§. 164.); duratio quoque ea erit, quæ visa fuerit constituenti, consequenter feudum finitur, vasallo sine successore feudali mortuo.

Ostenditur etiam hoc modo. Quando feudum constituitur pro certis personis, quæ nominantur, &, quæ certo ordine in eodem succedere possunt; constituentis non alius esse potest animus, quam ut deficiente successore feudali feudum finiri debeat. Quamobrem cum feudum sit jus alteri in re sua a domino constitutum (§. 155.), adeoque valeat, quod constituenti placuit (§. 984. *part. 3. Jur. nat.*); successore feudali deficiente, seu mortuo vasallo sine successore feudali, feudum finitur.

§. 420.

An feudum fiat res nullius, vel ad dominum tunc sane ad dominum directum revertatur.

Quoniam feudum finitur, mortuo vasallo, sine successore feudali (§. 419.); *feudum vasallo sine successore feudali mortuo non fit res nullius, neque etiam dici potest proprie feudum*, consequenter *dominium utile sub conditione præstandæ fidelitatis vasallo concessum ad dominum directum reverti.*

Si feudum vasallo sine successore feudali mortuo fieret res nullius, naturaliter tum occupabile foret. Ad dominum directum ut revertatur dominium utile sub conditione præstandæ fidelitatis, non satis apte dicitur, cum non concipiatur dominium utile & directum, nisi quatenus utrumque in diversis subjectis subsistit. Accurate igitur loquendo dicendum est, finiri feudum, consequenter cum dominio utili expirare directum, & rem, quæ infeudata fuerat, pleno jure fieri domini, vi contractus feudalis. Quemadmodum enim in contractu feudali definiri potuit, quænam personæ in feudo succedere debeant; ita quoque definiri potuit, qualis & cujusnam res esse debeat, si nemo amplius adsit, qui vi hujus contractus succedere possit. Ubi vero expresse definitum nil fuit, valet utique illud, quod contractui tacite inest. Tacita nimirum voluntas idem operatur, quod expressa.

§. 421.

De fine feudi ad dies vitæ, vel certum tempus concesso.

Si feudum ad dies vitæ, vel ad certum tempus fuerit concessum; mortuo vasallo, vel tempore isto elapso feudum finitur. Etenim si feudum ad dies vitæ fuerit concessum; ex conventione non diutius subsistere debet, quam quamdiu vivit vasallus. Et si conceditur ad certum tempus, similiter ex conventione diutius subsistere non debet, quam donec tempus istud fuerit præterlapsum. Quamprimum itaque vasallus moritur, vel tem-

BIU Cujas

tempus, ad quod conceſſum eſt feudum, præterlapſum fuerit; feudum finitur (§. 382. *part. 3. Jur. nac.*).

Feudum jus pactitium eſt (§. 170.), adeoque vi conventionis ſubſiſtit (§. 788. *p. 3. Jur. nat.*). Quodſi ergo duratio ejus in contractu feudali fuerit definita, tamdiu utique durabit, quamdiu quod durare debeat fuerit conventum.

§. 422.

Si res tota interit; feudum extinguitur. Etenim ſi res feudalis tota interit, dominium in ea interit (§. 352. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque nec alius in ea dominium utile, nec directum alius habere poteſt (§. 1. 3.). Quamobrem non minus vaſallus dominium utile, quam directum dominus amittit (§. 158.). Quoniam itaque feudum non ſubſiſtit, niſi dominium utile uni, alteri directum in re infeudata competat (§. 156.); ſi res tota interit, feudum extinguitur. *De interitu totali rei feudalis.*

§. 423.

Si pars rei feudalis interit, feudum in parte reliqua ſubſiſtit: liberum tamen eſt vaſallo feudum domino refutare. Etenim ſi rei feudalis pars interit, eodem, quo ante (§. 422.), modo patet, feudum in ea parte extingui. Cum vero dominium in parte reliqua adhuc ſubſiſtat, neque repugnet, ut hoc quoque ſit diviſum in dominium utile ac directum; quin illud adhuc vaſallo, hoc domino competat (§. 158.), adeoque feudum quoad hanc partem ſubſiſtat, dubitandum non eſt (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*). *Quod erat unum.* *De partiali rei interitu.*

Enimvero quoniam in tota re feudali vaſallo conceſſum dominium utile ſub conditione præſtandæ fidelitatis (§. 155.), adeoque vaſallus ad eam præſtandam obligatur, propterea quod tota re feudali utitur fruitur; domino non competit jus ab invito exigendi fidelitatem conventam propter dominium utile in parte (§. 172.). Quamobrem a voluntate vaſalli unice pendet, utrum obligatus adhuc eſſe velit domino ad fidelitatem conventam præſtandam nec ne, etiamſi parte tantummodo rei infeudatæ uti frui poſſit. Liberum adeoque ipſi eſt declarare domino ſimpliciter, quod feudum diutius habere nolit, nec amplius eidem obligatus eſſe velit ad fidelitatem conventam præſtandam. Quamobrem cum feudum domino refutet, qui eidem ſimpliciter declarat, quod feudum diutius habere nolit, nec eidem amplius obligatus eſſe velit ad fidelitatem conventam præſtandam (§. 407.); ſi pars rei feudalis interit, liberum eſt vaſallo feudum domino refutare. *Quod erat alterum.*

Rationes nimirum eſſe poſſunt vaſallo, cur malit ea carere utilitate, quæ ex re feudali percipitur, quam fidelitatem conventam præſtare. Non vero opus eſt, ut de eorum mente ſollicitus ſit, ad quos aliquando feudum devolvi poteſt. Quodſi enim his aliter viſum fuerit, illi feudum, quando ad eos devolvitur vi primæ conſtitutionis, a domino revocare poſſunt (§. 411.). Refutatio igitur non fit in præjudicium ipſorum, atque adeo non habent jus contradicendi, nec de eo ſolliciti ſint neceſſe eſt, ut jus ſuum ſibi reſervent. Dominus vero volenti in parte reſidua feudum ſtatim concedere poteſt, cum de jure ſuo diſponere poſſit pro arbitrio ſuo. Neque dubium eſt, quin etiam vaſallus feudum volenti refutare poſſit, eo effectu, qui ex ſuperius demonſtratis (§. 412. *& ſeqq.*) manifeſtus eſt.

§. 424.

Si feudum ſub certa conditione fuerit conceſſum, ſeu donec certa conditio exiſtat; conditione illa exiſtente, aut non amplius exiſtente, feudum finitur. Etenim ſi feudum ſub certa conditione fuerit conceſſum, ſeu donec certa conditio exiſtat, vel ita conveniatur, quod feudum tamdiu durare debeat, quamdiu hæc conditio exiſtit, aut quamdiu non exiſtit, conſequenter, quod finiri debeat, ſi conditio conventa non amplius exiſtit, aut, *De fine feudi ſub conditione conceſſi.*

BIU Cujas

aut quamprimum existit. Quamobrem cum plus juris in re feudali consequi non potuerit vasallus, quam ei concedere voluit dominus in contractu feudali (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.* & §. 172. *h.*); si feudum sub certa conditione fuerit concessum, seu donec certa conditio existat, conditione illa existente, aut non amplius existente, feudum finitur.

Ex. gr. Si feudum tibi conceditur, donec munere aliquo fungaris; tamdiu concessum intelligitur, quamdiu eodem fungeris, consequenter eo deposito feudum finitur. Ex adverso si feudum conceditur, donec certo cuidam muneri præponaris, ubi hoc contingit, feudum finitur. Nimirum hic conditio designat tempus, ut perinde sit, ac si feudum ad certum tempus fuisset constitutum. Quamdiu adeo conditio in casu priori existit, tempus non finitur; finitur autem, quamprimum conditio existere desinit. In casu posteriori tempus præterlapsum, quamprimum conditio existit. Quamobrem cum feudum finiatur, tempore elapso, ad quod constitutum (§. 421.): idem quoque in casu priori finiri debet, quando conditio non amplius existit, in posteriori autem, quamprimum existit.

§. 425.

De præscriptione domini utilis ac directi.

Dominium tam utile, quam directum usucapi & præscribi potest naturaliter. Etenim naturaliter res, quam quis dereliquisse præsumitur, fit possessoris (§. 1020. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque hic eam usucapit (§. 1021. *part.* 3. *Jur. nat.*), sive corporalis fuerit, sive incorporalis (§. 1022. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum tam dominium utile, quam directum sit res incorporalis (§. 498. *part.* 1. *Jur. nat.*); utrumque etiam usucapi potest. *Quod erat unum.*

Enimvero in usucapione dominium domino præscribitur (§. 1031. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum dominium utile spectandum sit tanquam res incorporalis, quæ est in dominio vasalli, & dominium directum tanquam res incorporalis, quæ est in dominio domini (§. 158. *h.* & §. 216. *part* 2. *Jur. nat.*); utrumque etiam dominium istud, consequenter vasallo dominium utile & domino directum præscribi potest (§. 1024 *part.* 3. *Jur. nat.*).

Nimirum quando dominium dividitur in directum ac utile, duæ resultant res incorporales, quarum una subjicitur dominio seu juri pro arbitrio suo de eodem disponendi (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*), domini, altera vero vasalli (§. 158.), ut adeo illa competat domino, hæc vasallo cum exclusione ceterorum omnium (§. 120. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quemadmodum itaque naturaliter res quælibet, tam corporales, quam incorporales, usucapi possunt (§. 1022. *part.* 3. *Jur. nat.*); ita etiam dominium tam directum, quam utile usucapi potest. Amittit vero tum dominus dominium directum, & vasallus utile, cui a possessore acquiritur ex consensu præsumto (§. 1027. *part.* 3. *Jur. nat.*), atque adeo etiam dominium istud, in quo tam directum, quam utile esse concipitur, consequenter cum hoc dominium tam directum, quam utile præscribitur (§. 1024. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ita nimirum præscriptionem dominii utilis ac directi concipere debemus, si singula ad vivum resecare velimus, ne aliquas relinquatur notionum generalium alias stabilitarum dissensus. Ceterum cum de usucapione & præscriptione demonstraverimus abunde, quomodo naturaliter procedat integro capite septimo partis tertiæ Juris naturalis; non opus est ut ea, quæ ibidem exposita sunt, ad dominii utilis ac directi præscriptionem ac usucapionem applicemus.

§. 426.

De præscriptione & usucapione juris in re infeudata.

Quoniam dominium tam utile, quam directum præscribi ac usucapi potest (§. 425.), dominium vero utile vasallo directum domino competit (§. 158.); *vasallus* quoque *dominium directum usucapere & adversus dominum præscribere*, *dominus autem dominium utile usucapere & adversus vasallum præscribere*, immo etiam *alius quicunque dominium utile usucapere & adversus vasallum præscribere*, *dominium quoque directum simul usucapere & adversus dominum præscribere potest*.

Quando fiat usucapio & præscriptio in singulis casibus, patet ex iis, quæ de usucapione & præscriptione in genere alibi demonstrata sunt (*not.* §. 425.).

§. 427.

BIU Cujas

§. 427.

De præscriptione dominii directi adversus dominum.

Si vasallus dominium directum adversus dominum præscribit; res, quæ feudalis fuerat, fit allodialis. Quando enim vasallus dominium directum adversus dominum præscribit, dominus illud amittit (§. 1024 *p. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum nemo amplius sit, cui dominium directum in re, quam possidet vasallus, competat; jam pleno jure eandem habet (§. 156.). Quoniam itaque res allodialis est, in qua quis plenum dominium habet, seu quam pleno jure habet (§. 192.); si vasallus dominium directum adversus dominum præscribit, res, quæ feudalis fuerat, fit allodialis.

Contingere hoc potest, si hæres defuncti vasalli rem feudalem tanquam allodialem bona fide vendit & alius bona fide eandem tanquam allodialem emit, item si ipse hæres rem feudalem tanquam allodialem apprehendit eamque tanquam allodialem bona fide possidet.

428.

De præscriptione domini adversus vasallum.

Si dominus adversus vasallum dominium utile præscribit; remotior eorum, ad quos devolvi potest, feudum adhuc revocare potest, quando ad ipsum devolvitur. Quando enim feudum ad aliquem devolvitur, eidem competit jus in eodem succedendi vi contractus feudalis, quo feudum constitutum (§. 171. 176.). Quoniam itaque hoc jus invito auferri nequit (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*); nec ei præscriptio dominii utilis adversus vasallum, ad quem feudum antea pertinebat, nocere potest (§. 910. *p. 1. Jur. nat.*). Quamobrem dominum compellere potest ad rem feudalem sibi restituendam remotior eorum, ad quos feudum devolvi potest, quando ad ipsum devolvitur, etiamsi is dominium utile præscripserit adversus vasallum, ad quem antea ipsum feudum pertinebat. Sed feudum revocat a domino, qui eum compellit ad rem feudalem sibi restituendam (§. 373.). Ergo si dominus adversus vasallum dominium utile præscribit, remotior eorum, ad quos devolvi potest, feudum adhuc revocare potest, quando ad ipsum devolvitur.

Præscriptio fit ex consensu præsumto (§. 1024. *part. 3. Jur. nat.*), nimirum quod is, ad quem feudum pertinet, id dereliquerit (§. 1031. 1021. *part. 3. Jur. nat.*). Enimvero nemo præsumi potest feudum dereliquisse, quamdiu ad ipsum non pertinet, cum non ante id revocare possit, quam ad eum fuerit devolutum (§. 378.). Quamvis adeo is non contradicat, quod dominus pleno jure rem possideat, ad quem feudum aliquando devolvi potest; ex eo tamen, quod tacet, quando loqui non debet, nec potest, præsumi nequit, quod in hoc consentiat, ut res pleno jure maneat domini, quando feudum ad ipsum devolutum fuerit. Quamdiu feudum ad te non pertinet, tibi permittendum est, ut alius re feudali utatur fruatur, cum nullum tibi hinc nascatur præjudicium.

§. 429.

Quando feudum præscriptione plene extinguatur.

Quoniam remotior eorum, ad quos devolvi potest, feudum adhuc revocare potest, quando ad ipsum devolvitur, si dominus dominium utile adversus vasallum præscribit (§. 428.); *præscriptione a domino facta non ante feudum plene extinguitur, quam si nemo amplius supersit, ad quem istud devolvi potest.*

Tamdiu nimirum feudum revocabile manet, quamdiu aliquis existit, ad quem aliquando devolvi potest (§. 428.). Quamdiu vero feudum revocabile est, nec dici potest quod plene sit extinctum, cum qualitas feudalis eidem adhuc potentia insit, etsi videatur ad tempus abesse, quatenus permittendum, ut dominus re feudali utatur fruatur absque nexu feudali, utpote qui sibi ipsi ad fidelitatem præstandam obligatus esse nequit, quemadmodum obligatur, qui feudum tenet (§. 155.).

BIU Cujas

§. 430.

De præscriptione feudi a vasallo adversus vasallum facta.

Si vasallus adversus vasallum feudum præscribit, ille feudum amittit & hic ipsum acquirit. Etenim si vasallo feudum præscribitur, cum præscriptione jus amittatur, quod quis habet (§. 1024. *part.* 3. *Jur. nat.*), feudum is utique amittit. *Quod erat unum.*

Enimvero dum feudum præscribitur, eo ipso non præscribitur domino dominium directum (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*), consequenter feudum adhuc subsistit (§. 156.). Quamobrem præscribens nonnisi feudum usucapere potest (§. 1024. *part.* 3. *Jur. nat.*), consequenter quaudo feudum præscribit, feudum acquirit (§. 1023. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Quod erat alterum.*

Nimirum per præscriptionem mutari nequit qualitas feudalis, cum hoc foret contra jus domini (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), contra quod præscriptio fieri nequit (§. 910. *p.* 1. *Jur. nat.*). Quodsi alius fuerit propior, per superiora facile patet, quod feudum ante revocare nequeat, nisi quando ad ipsum devolvitur, ut adeo opus non sit, id disertius demonstrari.

§. 431.

Obligatio feudalis quænam sit.

Obligatio feudalis dicitur, quæ ex contractu feudali oritur. Et in mutua obligatione vasalli & domini *Nexus feudalis* consistit.

Ex contractu enim feudali oritur tam domini erga vasallum, quam vasalli erga dominum obligatio (§. 793. *p.* 3. *Jur. nat.*), & ex eodem metienda est utriusque obligatio.

§. 432.

Ratio obligationis feudalis.

Quoniam obligatio feudalis ex contractu feudali oritur (§. 431.), eodem autem & feudum a domino constituitur, & a vasallo acquiritur (§. 171.); *obligatio feudalis rationem in feudo habet* (§. 56. *Ontol.*), *adeoque ab eodem dependet* (§. 851. *Ontol.*).

Nimirum propter feudi constitutionem dominus vasallo ad ea obligatur, ad quæ alias ipsi non obligaretur, & vasallus domino vicissim obligatur ad ea, ad quæ alias ipsi non obligaretur. Obligatio igitur feudalis a feudo dependet.

§. 433.

Quamdiu ea duret.

Quia obligatio feudalis a feudo dependet (§. 432.), *feudo sublato, tollitur omnis feudalis obligatio*, consequenter *nexus feudalis dissolvitur.*

Obligatio feudalis diutius durare nequit, quam quamdiu feudum subsistit, cum a feudo tota veniat, sive a substantialibus, sive ab accidentalibus pendeat.

§. 434.

Felonia quid sit.

Omne factum tam positivum, quam negativum obligationi feudali contrarium *Felonia* dicitur.

Felonia vocabulum non est Latinum; recte tamen retinetur, cum sit in Jure feudali receptum (§. 147. *Disc. prælim.*). Neque enim ita affectare debemus Latinitatem, quemadmodum dudum monuit *Antonius Matthæus*, Jctus in Academia Ultrajectina, ut pro perspicuis obscura verba usurpasse videamur: id quod nos observavimus per omnem philosophiam.

§. 435.

BIU Cujas

§. 435.

Quoniam factum omne tam positivum, quam negativum obligationi contrariam feudali felonia est (§. 434.); *tot modis felonia committi potest, quot sunt obligationes feudales*: quoniam tamen omnes obligationes non sunt ejusdem gradus, *felonia* quoque *omnis non est ejusdem gradus, sed alia delictum majus, alia minus.* *Quot modis felonia committatur.*

§. 436.

Quia felonia tot modis committi potest, quot sunt obligationes feudales (§. 435.); *si plures fuerint obligationes feudales, pluribus* quoque *modis committi potest felonia, quam si fuerint pauciores.* Cumque ex contractu feudali metienda sit omnis obligatio feudalis (§. 172. 431.); *ex contractu* quoque *feudali æstimandum, quando felonia, seu quomodo ea committi possit.* *Idem ultetius expenditur.*

Obligationes feudales nunc plures esse posse, nunc pauciores, prouti visum fuerit contrahentibus, haud obscurum est. Etenim a voluntate constituentis (§. 164.), & rem in feudum offerentis pendet, quas determinationes substantialibus superaddere velint (§. 169.), atque determinationes istæ in contractu feudali definiendæ (§. 173.), consequenter contrahentes de iis convenire possunt, ad quæ sibi invicem propter feudum obligati esse velint.

§. 437.

Quia vi contractus feudalis tam dominus vasallo, quam vasallus domino ad certas præstationes obligatur, prouti ex anterioribus abunde constat, omne autem factum tam positivum, quam negativum obligationi feudali contrarium felonia est (§. 434.); *felonia committi potest cum a domino feudi, tum a vasallo.* *A quibus committi possit.*

Obtinet hoc etiam jure positivo, quo non minus ob feloniam dominus dominium directum, quam vasallus feudum amittere potest.

§. 438.

Si vasallus domino, vel dominus vasallo non præstat fidelitatem conventam; felonia committitur. Etenim vasallus domino & dominus vasallo obligatur ad præstandum fidelitatem conventam (§. 245.). Quamobrem cum hæc obligatio feudalis sit (§. 431.); si vasallus dominus, vel dominus vasallo non præstet fidelitatem conventam, sive faciendo, quod fidelitati conventæ repugnat, sive non faciendo, quod ea exigit; factum tam negativum, quam positivum obligationi feudali contrariatur. Quoniam itaque factum omne tam positivum, quam negativum obligationi feudali contrarium felonia est (§. 434.); felonia utique committitur, si vasallus domino, vel dominus vasallo non præstet fidelitatem conventam. *Fidelitas conventa non præstita felonia est.*

Fidelitas cum complectatur omne officium humanitatis (§. 154.), non uno modo facto fidelitati contrario felonia committi potest. Ne tamen hoc delictum in nimium extendatur, non tam ex notione fidelitatis in genere, quam ex ea, quæ conventa in specie fuit, felonia æstimanda, præsertim si de pœna feloniæ fuerit conventum. Rectius enim statuitur, naturaliter non dari obligationem perfectam præstandi aliquod officium humanitatis, nisi de quo præstando fuit conventum sive expresse, sive tacite: alias enim manet obligatio imperfecta, quæ natura datur, nec ad factum huic contrarium felonia trahi potest. Jure positivo autem quemadmodum determinari potest fidelitas (*not.* §. 154.); ita etiam definiri, quot modis faciendo contra fidelitatem felonia committatur.

BIU Cujas

§. 439.

Felonia in non præſtandis ſervitiis commiſſa.

Si vaſallus ad certa ſervitia, veluti militaria, præſtanda obligatur, ea vero præſtare nolit; feloniam committit. Etenim ſi vaſallus ad certa ſervitia, veluti militaria, præſtanda obligetur; obligatio hæc feudalis eſt (§. 178. 431.). Quodſi ergo vaſallus ea domino præſtare nolit; factum hoc negativum obligationi feudali contrarium eſt. Quamobrem cum factum negativum obligationi feudali contrarium felonia ſit (§. 434.); feloniam vaſallus committit, ſi domino præſtare nolit ſervitia, veluti militaria, ad quæ præſtanda ipſi obligatus eſt.

§. 440.

Quia vaſallus feloniam committit, ſi ad certa ſervitia præſtanda obligatus ea præſtare nolit (§. 439.), in feudo cenſuali autem loco ſervitiorum quotannis canonem certum præſtare tenetur (§. 184.); *felonia committitur in feudo cenſuali, ſi vaſallus canonem conventum præſtare nolit.*

Quoniam in Jure naturæ feudum cenſuale quoque dici poteſt, ſi juxta alia ſervitia præſtandus etiam canon eſt (§. 184.), cum præſtatio canonis non minus referenda ſit ad obligationem feudalem, quam ſi loco ſervitiorum ſolvitur (§. 431.), ſi vaſallus canonem conventum præſtare nolit; feloniam quoque committit (§. 434.).

§. 441.

De ſervitiis militaribus in bello injuſto non præſtitis.

Si vaſallus domino bellum injuſtum gerenti ſervitia militaria conventa præſtare nolit; feloniam non committit. Etenim qui bellum injuſtum gerit, in ejus gratiam nil quicquam facere licet (§. 1115. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter nec vaſallus ad ſervitia militaria conventa obligatur. Quoniam itaque vaſallus domino bellum injuſtum gerenti militaria ſervitia præſtare detrectans nil facit, quod obligationi feudali contrariatur (§. 178. 431., felonia vero non eſt factum, quod eidem minime contrarium (§. 434.); nec feloniam committit vaſallus, ſi domino bellum injuſtum gerenti ſervitia militaria conventa præſtare nolit.

Cum naturalis obligatio ſit immutabilis (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); vaſallus ſeſe obligare nequit ad præſtanda ſervitia militaria in bello etiam injuſto. Iſtiuſmodi adeo obligatio ex contractu feudali oriri nequit, adeoque feudalis non eſt (§. 431.). Neceſſe tamen eſt, ut certo conſtet, bellum eſſe injuſtum. Quid vero obtinere debeat in caſu dubio, ſuo videbimus loco, quando de bello publico acturi ſumus.

§. 442.

De protectione conventa non præſtita.

Si dominus vaſallo conventam protectionem præſtare nolit; feloniam committit. Idem valet, ſi alia præſtare nolit, ad quæ præſtanda ſeſe obligavit. Ad præſtationem conventam, adeoque & ad protectionem (§. 246.), dominus vaſallo perfecte obligatur (§. 247.), hæcque obligatio, cum veniat ex contractu feudali (§. 179. 246. 173.), feudalis eſt (§. 431.). Quoniam itaque factum tam privativum, quam poſitivum obligationi feudali contrarium felonia eſt (§. 434.) & felonia etiam a domino committi poteſt (§. 437.); dominus feloniam committit, ſi vaſallo protectionem conventam, vel alia præſtare nolit, ad quæ præſtanda ſeſe obligavit.

§. 443.

BIU Cujas

§. 443.

Si vasallus damna a domino avertere, aut commoda ejus promovere nolit, cum possit, multoque magis, si ipse damnum domino infert, vel contra salutem ejus quidpiam molitur, vel quomodocunque ad factum istiusmodi concurrit; feloniam committit. Etenim fidelitas continet ea officia, quibus damna avertuntur, ac commoda promoventur (§. 154.). Quamobrem cum vasallus domino obligetur ad fidelitatem conventam præstandam (§. 245.), ad damna quoque ab ipso avertenda & commoda ejus promovenda obligatur, adeoque multo magis ad non inferendum damnum domino, nec quicquam adversus salutem ipsius moliendum, vel quomodocunque ad factum istiusmodi concurrendum. Quicquid itaque horum contingit, id omne obligationi feudali contrariatur (§. 431.). Quamobrem cum factum omne tam positivum, quam negativum obligationi feudali contrarium felonia sit (§. 434.); vasallus feloniam committit, sive damnum a domino avertere, vel commoda ejus promovere nolit, cum possit, neque enim ad impossibile quis obligatur (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*), multo magis autem committit feloniam, si ipse damnum domino inferat, vel contra salutem ipsius quidpiam moliatur, vel quomodocunque ad factum istiusmodi concurrat. *Quomod. contra fidelitatem quid committatur.*

Non licet excipere, obligationem feudalem non esse extendendam ultra fidelitatem conventam. Etenim sine officio avertendi damna a domino & promovendi commoda, seu salutem ejus, consequenter non inferendi damna vel quidpiam moliendi adversus salutem non concipitur fidelitas (§. 154.). Quamobrem cum fidelitas ad substantialia feudi pertineat (§. 161.), ut feudum sine ea subsistere non possit (§. *cit.*); sine quibus fidelitas concipi nequit, ad ea utique præstanda obligatus intelligitur vasallus vi ipsius contractus feudalis, quo feudum acquisivit (§. 171.), consequenter ea referenda sunt ad fidelitatem conventam. Fidelitas non terminus inanis est, & quamvis mutuo consensu in contractu feudali determinanda sit (§. 244.), hoc tamen non obstante, quædam notioni ejus per se insunt, ut expresse de iis conveniri non sit opus. Quamobrem cum fidelitatem definiremus per complexum omnium officiorum humanitatis, consulto addidimus, quod inprimis ea hic spectentur officia, per quæ damna avertuntur & commoda promoventur (§. 154.), utque rectius hæc intelligantur, ex Jure positivo annotavimus, quænam ad fidelitatem inprimis requirantur (*not. §. cit.*). Immo naturaliter nihil absurdi, nec iniqui quidpiam inde consequitur, si vel maxime fidelitas ad omne officium humanitatis extendatur, adeoque factum quodvis officio cuidam humanitatis contrarium ad feloniam referatur, cum jure naturali nulla certa pœna feloniæ in genere sit constituta.

§. 444.

Quoniam *vasallus* feloniam committit, si contra salutem domini quidpiam molitur (§. 443.); *feloniam utique committit, si domino vim infert, insidias struit, cum hoste vel inimico ejusdem in ipsius perniciem fœdus ineat.* *De vi illata & insidiis structis.*

Vis infertur armis, infertur etiam veneno. Perinde vero est, sive ipse hoc faciat, sive ad factum alterius concurrat.

§. 445.

Similiter quia *vasallus* feloniam committit, si damnum a domino non avertit (§. 443.); *feloniam* quoque *committit, si eum in pugna vel periculo alio constitutum deserat, seu auxilium ei non ferat.* *De auxilio denegato.*

Exempli loco hæc particularia adducuntur, ut, quæ in genere demonstrata sunt, clariora evadant & ad casus particulares sine hæsitatione applicentur.

§. 446.

BIU Cujas

§. 446.

An vasallus vitam domini propriæ præferre teneatur.

Si vasallus in periculo communi vitam propriam vitæ domini præferat ; feloniam non committit. Quoniam homo vitam suam (§. 350. *part.* 1. *Jur. nat.*) ac aliorum conservare tenetur (§. 641. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque conservatio vitæ propriæ officium erga seipsum, conservatio vitæ alienæ officium erga alios est (§. 226. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*); in periculo communi domini ac vasalli officium erga seipsum colliditur cum officio erga alios, si vita unius vitæ alterius præferenda (§. 206. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero si officium erga seipsum colliditur cum officio erga alios, illud vincit (§. 229. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ergo si vasallus periculo communi vitam propriam vitæ domini postponere non tenetur, sed suam potius huic recte præfert (§. 208. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam obligatio naturalis utpote immutabilis (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), per pacta mutari nequit; nec vi contractus feudalis, ex quo metienda est vasalli obligatio (§. 172.), is obligatus esse potest ad vitam domini in periculo communi propriæ præferendam, consequenter obligationi feudali minime contrariatur, si vasallus in periculo communi vitam propriam vitæ domini præferat (§. 431.). Jam felonia non committitur, quando quis facit, quod obligationi feudali minime contrariatur (§. 434.). Vasallus itaque in periculo communi vitam propriam vitæ domini præferens feloniam non committit.

Ex demonstratione propositionis præsentis liquet, alios adhuc posse dari casus, in quibus factum negativum, quod alias obligationi feudali contrarium foret, feloniæ accenseri nequit.

§. 447.

De defensione violenta adversus dominum.

Si dominus vi præsente impetat corpus vasalli, nec hic periculum vitæ vel mutilationis membrorum aliter evitare possit, quam illum interficiendo; dominum interficere licet, nec eum interficiendo felonia committitur. Etenim si in periculo communi vasallus vitam suam vitæ domini præfert, feloniam non committit (§. 446.), consequenter præferendo vitam suam vitæ domini non contrariatur obligationi feudali (§. 434.). Quamobrem cum aggressorem interficere liceat, si is vi præsente impetat corpus alterius, nec periculum vitæ vel mutilationis membrorum aliter evitari possit (§. 1013. *part.* 3. *Jur. nat.*); vasallus quoque in hypothesi propositionis præsentis dominum aggressorem interficere potest. *Quod erat unum.*

Quoniam itaque obligationi feudali minime repugnat, si vasallus adversus dominum aggressorem cum internecione ipsius, si necesse fuerit, se defendat, *per demonstrata n.* 1.; felonia autem minime committitur, nisi quid fiat, quod obligationi feudali contrarium (§. 434.); vasallus quoque feloniam minime committit, si dominus vi præsente impetat corpus ipsius, nec hic periculum vitæ, vel mutilationis membrorum aliter evitare possit, quam illum interficiendo, ubi hoc fecerit. *Quod erat alterum.*

Dominus hic spectatur non ut dominus feudi, sed ut aggressor. Aggressor cum lædere conetur eum, cui vim infert (§. 979. *part.* 1. *Jur. nat.*), jus securitatis ejusdem violat (§. 917. *part.* 1. *Jur. nat.*). Dominus itaque feudi, quando aggressoris personam induit, vasallo injuriam facit (§. 859. *part.* 1. *Jur. nat.*); vasallus vero jure suo sese defendendi usus (§. 1013. *part.* 1. *Jur. nat.*), domino injuriam non facit (§. 975. *p.* 1. *Jur. nat.*). Obligatio feudalis, quæ tenet vasallum, non extendenda est ad patientiam læsionis omnis etiam maximæ, ita ut vi injustæ resistere non liceat. Ceterum notandum est, nos obligationem feudalem hic spectare, qualis in se est, in statu naturali, ita ut inter dominum feudi & vasallum non alia obtineat quam hæc relatio. Alia vero est quæstio, si dominus feudi simul sit summus imperans & vasallus simul subditus: sed ea hoc est hujus loci.

§. 448.

BIU Cujas

§. 448.

Si vasallus consensum domini in alienationem feudi, quem requirere debebat, non requirit; feloniam committit. Etenim si vasallus consensum domini in alienationem requirere debet (§. 194.); obligationi feudali contrariatur alienatio sine consensu domini facta (§. 431.). Quoniam itaque feloniam committit vasallus, si quid facit, quod obligationi feudali contrarium (§. 434.); feloniam quoque committit, si consensum domini in alienationem non requirit, quem tamen requirere debebat. *De consensu domini in feudi alienationem non requisito.*

Aliter statuendum est de consensu eorum, ad quos feudum aliquando devolvi poterat, non requisito in alienationem, Quoniam obligatio feudalis proprie respicit dominum & vasallum, inter quos nexus feudalis intercedit, seu qui vi feudi & dominii directi sibi invicem obligati sunt. Obligatio vero requirendi consensum eorum, ad quos feudum aliquando devolvi potest, ex accidente accedit, ut ei consulatur, in quem feudum alienatur. Unde etiam requiri potest, etiamsi de eo requirendo nil fuerit conventum. Contractus feudalis initur a vasallo cum domino, minime autem vasallus contrahit cum aliis, pro quibus feudum simul constituitur.

§. 449.

Si expresse fuerit conventum, ne feudum subinfeudari debeat, aut ne liceat subinfeudare sine domini consensu; in casu priori subinfeudatio simpliciter, in posteriori sine consensu domini facta felonia est. Utrumque conveniri posse, ex superioribus patet (§. 317. 318.). Unde porro eodem, quo ante (§. 448.), modo sequitur, subinfeudationem, quando prohibita fuit, simpliciter, quando vero consensus domini ad eam requirendus erat, sine ejus consensu factam feloniam esse. *De felonia subinfeudando commissa.*

§. 450.

Si ita fuerit conventum, ne dominium directum alienetur, vel ne alienetur sine consensu vasalli; in casu priori alienatio dominii directi simpliciter, in posteriori sine consensu vasalli facta felonia est. Utrumque ita conveniri posse constat (§. 238.). Quamobrem cum felonia etiam a domino committi possit (§. 437.); eodem, quo ante (§. 448.), modo patet, alienationem dominii directi simpliciter feloniam esse, si ita fuerit conventum, ne dominium directum alienetur; aut alienationem sine consensu vasalli factam esse feloniam, si ita fuerit conventum, ne sine vasalli consensu alienari possit. *De felonia in alienatione dominii directi commissa.*

In statu naturali non minor est obligatio dominii, quam vasalli, nec in æstimando delicto, quale est felonia, respectus personarum attenditur. Si feloniam committit vasallus, quando contra conventionem alienat feudum, vel sine consensu domini, quem requirere debebat; dominus itidem feloniam committit, quando contra conventionem dominium directum alienat, vel sine consensu vasalli, quem requirere debebat.

§. 451.

Si vasallus dominium directum sciens recognoscere nolit; feloniam committit. Etenim cum dominium directum competat domino (§. 158.), adeoque vasallus hoc jus invito auferre non possit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*); per ipsam substantiam feudi vasallus obligatur dominium directum recognoscere (§. 161.). Quodsi itaque hoc sciens facere nolit, id ipsum obligationi feudali maxime contrariatur (§. 431.). Quamobrem cum omne factum obligationi feudali contrarium felonia sit (§. 434.); vasallus vel maxime feloniam committit, si sciens dominium directum recognoscere nolit. *De felonia in dominio directo non recognoscendo commissa.*

Ostenditur etiam hoc modo. Si vasallus dominium directum recognoscere nolit, necesse est aut ut neget, se rem jure feudi possidere, aut ut dominum directum alium reco-

BIU Cujas

recognoscere velit. In utroque casu, cum faciat hoc sciens *per hypoth.* fidelitatem conventam domino feudi præstare non vult. Enimvero si vasallus fidelitatem conventam præstare non vult, feloniam committit (§. 438.). Committit igitur feloniam, si dominium directum recognoscere nolit.

Probe notandum est, necesse esse, ut vasallus sciens dominum directum recognoscere nolit. Quodsi enim putet, rem esse allodialem, vel dominium directum alii competere, quam cui re vera competit, dicendum omnino non est, quod feloniam committat. Ut igitur erroris redarguatur, necesse est ut dominus feudi probet, rem, quam possidet, esse feudalem, sibique dominium directum competere. Cum feudum pacto constituatur (§. 170.), & ad extraordinaria referendum sit, quod dominium utile alicui sit in re concessum sub conditione fidelitatis; res quælibet præsumitur allodialis, minime vero feudalis (§. 248. *part.* 2. *Jur. natur.*).

§. 452.

An per feloniam feudum sive dominium directum amittatur.

Naturaliter per feloniam nec vasallus feudum, nec dominus directus dominium directum amittit, nisi specialiter fuerit conventum, ut amittatur. Feloniam enim committit vasallus, si quid facit, quod obligationi feudali contrariatur, consequenter ad quod non faciendum erat obligatus, aut si quid non facit, ad quod faciendum erat obligatus (§. 434.). Enimvero cum perfecta sit obligatio, quæ ex contractu oritur feudali (§. 793. *part.* 3. *Jur. nat.*); si alterutra pars non facit, ad quod faciendum obligata est, alteri competit jus eam compellendi ad faciendum (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), aut si pars altera damnum incurrit, vel lucrum ejus cessat, propterea quod obligationi suæ non satisfecit altera, illi hæc ad id, quod interest, tenetur (§. 629. *part.* 3. *Jur. nat.*), & si facto obligationi contrario pars altera læsa fuit, læsæ competit jus puniendi lædentem (§. 1061. *part.* 1. *Jur. nat.*); si vero quid factum, quod sine consensu alterius fieri non debebat, tanquam nullo jure factum invalidum est, adeoque a parte hac altera rescindi potest, nisi ratihabere velit. Atque adeo patet, naturaliter per feloniam nec vasallum feudum, nec dominum directum dominium directum amittere. *Quod erat unum.*

Enimvero ita etiam conveniri potest, ut, si dominus non præstet id, de quo in contractu feudali conventum, res feudalis pleno jure sit vasalli, & ex adverso, si vasallus non præstet id, de quo conventum, eadem pleno jure sit domini (§. 248.). Quamobrem cum dominus dominium directum amittat, si res, quæ feudalis fuerat, pleno jure fit vasalli, & vicissim vasallus amittat feudum, si res, quæ fuerat feudalis, pleno jure fit domini (§. 156.); ita etiam conveniri potest, ut nisi obligationi feudali satisfiat, seu ob factum vel positivum, vel negativum eidem contrarium dominium directum a domino, feudum a vasallo amittatur. Pœna adjicitur contractui, quando ita convenitur (§. 606. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam itaque pœna præstanda, si quis obligationi sub pœna contractæ non satisfacit (§. 611. *part.* 3. *Jur. nat.*); per feloniam vasallus feudum, dominus directus dominium directum amittit, si expresse ita fuerit conventum, ut amittatur. *Quod erat alterum.*

Juris adeo mere positivi est, quod per feloniam vasallus amittat feudum, vel etiam dominus feudi dominium directum: quorum istud inprimis convenit feudo dato tanquam pœna ingratitudinis, si feudum fuerit a domino gratis constitutum in re sua, hoc autem feudo oblato.

§. 453.

De felonia remissa.

Quoniam quilibet jus suum remittere potest (§. 117. *p.* 3. *Jur. nat.*); si ita fuerit conventum, ut per feloniam amittatur feudum a vasallo, dominium directum a domino (§. 452.); *felonia commissa remitti potest*, consequenter cum *felonia* remissa jus vasalli, vel domini extinguatur (§. 97. *part.* 3. *Jur. nat.*), eadem *remissa vasallus feudum, dominus feudi dominium directum non amittit.*

In

In aliis casibus, quando scilicet pœna feloniæ contractui feudali addita non fuit, facile patet, quinam sit effectus remissionis feloniæ, modo consideremus, quale jus cadat in eum, in quem felonia committitur, & quænam sit committentis obligatio, vi demonstrationis partis primæ propositionis præcedentis (§. 452.), ac notemus remissa felonia, extingui jus illius, adversus quem ea fuit commissa & committentem liberari ab obligatione sua (§. 97. *part.* 3. *Jur. nat.*), ut adeo in hisce demonstrandis nolimus esse prolixiores.

§. 454.

Si feudum fuerit constitutum pro pluribus certo ordine sibi invicem in eodem successuris; felonia a vasallo commissa per se imputari nequit ceteris, ad quos feudum devolvi certo casu potest. Etenim si vasallus feloniam committit, consequenter facit, ad quod non faciendum erat obligatus, vel non facit, ad quod faciendum obligatus erat (§. 434.); id non ideo facit, quia ceteri, ad quos feudum devolvi certo casu potest, volunt ut hoc faciat, vel non faciat, sed facere potest ipsis insciis, immo invitis. Quoniam itaque factum alienum nemini imputatur, nisi quando a voluntate ipsius aliquo modo dependet (§. 650. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ideo patet, nec feloniam a vasallo commissam ceteris per se imputari posse, ad quos feudum devolvi potest, si feudum fuerit constitutum pro pluribus certo ordine sibi invicem successuris.

De felonia vasalli, quando feudum propter. ribus certo ordine sibi invicem successuris constitutum.

Dico, per se feloniam vasalli imputari non posse ceteris, ad quos certo casu feudum devolvi potest: quodsi enim ad eandem concurrant, tum ipsis utique imputatur (§. 650. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quoniam tunc sunt participes delicti. Ast hic quæstio est de eo casu, quando ad delictum vasalli non concurrunt.

§. 455.

Si vasallus ob feloniam feudum amittit; dominus tamen mortuo vasallo id conferre tenetur ei, ad quem post mortem ipsius devolvitur. Quando enim feloniam committit vasallus, ea per se imputari nequit ceteris, pro quibus feudum constitutum, & ad quos devolvi adeo potest (§. 454.). Quamobrem nec propter eandem ipsis auferri potest jus in feudo succedendi, quando ipsum ad eos devolvitur, etiamsi vasallus feudum amittat. Quoniam igitur hoc non obstante, quod feudo privatus fuerit vasallus, jus ipsorum adhuc integrum est; quando feudum vi primæ constitutionis ad aliquem devolvitur, is in eo succedere debet, adeoque dominus, qui re feudali hactenus usus est, eam tanquam feudalem eidem restituere tenetur. Patet itaque si vasallus ob feloniam feudum amittit; dominum tamen mortuo vasallo id conferre teneri ei, ad quem post mortem ipsius devolvitur.

An felonia vasalli noceat successori, si ob eam feudum amittitur.

Quamdiu nimirum vasallus, qui feloniam commisit, vivit, nullum jus est alteri cuidam in eo succedendi, quippe cum vi constitutionis feudum non ante devolvatur ad alium, nisi mortuo eo, qui nunc feudum tenet, seu vasallo. Pœna feloniæ, quæ in amissione feudi consistit, quemadmodum non nocet successori; ita nec prodest. Quamdiu nemo fuerit, qui jure feudi rem feudalem possidere potest; jus percipiendi ex eadem omnem utilitatem, quæ alias vasallo competit, domino competit, nec adeo dum actu utitur fruitur, quicquam committit, quod est contra jus ejus, ad quem vasallo mortuo feudum devolvitur; quemadmodum jam abunde patet per ea, quæ in anterioribus demonstrata sunt. Ceterum cum dominus jus suum remittere possit (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*), si voluerit, statim id conferre potest ei, qui in feudo succederet, si vasallus mortuus esset. Neque naturaliter quicquam obstat, quo minus etiam ita conveniatur, ut feudum propter feloniam amissum statim devolvatur ad eum, qui mortuo succedere debebat. Tum enim pœna adjecta, quæ datur domino ob feloniam in ipsum commissam, continet remissionem necessariam juris sui, seu renunciationem.

§. 456.

Quoniam nec factum patris imputari potest filio (§. 454.), ad hunc vero patre mortuo feudum devolvitur, quod per se patet; ideo *naturaliter nec filius privari po-*

An ob feloniam a patre com-

BIU Cujas

missam filius feudo privetur. *test feudo ob feloniam a patre commissam, sed patre mortuo dominus feudum eidem conferre tenetur* (§. 455.).

Clarius adhuc idem elucescet, ubi de successione in feudo acturi sumus, quando nimirum de successione ab intestato agetur: tum enim patebit, filium succedere in feudo jure proprio, neque adeo ullam esse inter ipsum & alios, pro quibus feudum constitutum, differentiam. Sed hic sufficit, demonstrationem eodem modo subsistere quoad filium, quo subsistit quoad alios, ad quos vi constitutionis feudum devolvi potest.

§. 457.

An per feloniam feudum amissum finiri possit feudum. Quia feudum a vasallo ob feloniam amissum dominus vasallo mortuo conferre tenetur ei, ad quem post mortem ipsius devolvitur (§. 455.); *feudum per feloniam non finitur.*

Quodsi excipias, fieri posse, ut, dum vasallus per feloniam feudum amittit, nullus amplius extet, ad quem ipso mortuo devolvi possit, consequenter tum finiri; facilis est responsio: feudum non finiri per feloniam, sed propter defectum successoris feudalis, consequenter per accidens finiri feudum, dum per feloniam amittitur.

§. 458.

De revocatione feudi per feloniam amissi. Similiter quia feudum a vasallo ob feloniam amissum dominus vasallo mortuo ei conferre tenetur, ad quem post mortem ipsius devolvitur (§. 455.); huic competit jus dominum compellendi vasallo mortuo, ad feudum sibi restituendum (§. 236. *p. I. Phil. pract. univ.*), consequenter cum feudum revocet, qui hoc facit (§. 573.), *is, ad quem mortuo vasallo feudum devolvitur, feudum per feloniam amissum a domino revocare potest.*

Quando feudum per feloniam amittitur, res feudalis ad dominum revertitur, ut ea utatur fruatur, quamdiu vasallus uti frui poterat, nisi jure suo fuisset privatus. Jus domini adeo expirat, quamprimum vasallus moritur, adeoque jus revocandi mortuo vasallo statim competit successori, quod facto alieno ipsi ademtum non est.

CAPUT III.

De Interpretatione.

§. 459.

Interpretatio quid sit. INterpretari idem est ac certo modo colligere, quid quis per verba sua *aut* signa alia indicare voluerit. Interni actus animi, tam intellectus, quam voluntatis, aut si mavis, facultatis cognoscendi & appetendi ac aversandi verbis, quæ quis ore profert aut scribit, respondentes dicuntur *Mens loquentis*. Atque adeo *interpretari verba alterius* idem est ac mentem ejus investigare. Unde *Interpretatio* est investigatio mentis per verba aliaque signa indicatæ.

Egimus hactenus de promissis & pactis, quæ promissiones continent. Contra promissorem pro vero habetur, quod sufficienter indicavit (§. 428. *p. 3. Jur. nat.*), nimirum sive verbis, sive signis aliis. Ut igitur constet, quid contra eum pro vero sit habendum, necesse est ut manifestum sit, quidnam per verba, aut signa alia, indicare voluerit, consequenter quænam ipsius mens fuerit. Atque hinc patet, cur de interpretatione hic agatur. Nisi enim de mente promittentis rite constet, cum omnis obligatio promittentis nascatur ex promisso (§. 393. *part. 3. Jur. nat.*), nec promissarius plus juris a promissore acquirere possit, quam is in ipsum transferre vult, nec hunc ultra voluntatem suam sibi obligare valeat ad quid dandum, vel faciendum

BIU Cujas

dum (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*); jura ac obligationes erunt incerta. Quamſtis vero de interpretatione hic agamus eo potiſſimum fine, ut ſciamus, quomodo promiſſa & pacta interpretari debeamus; haud quaquam tamen exiſtimandum eſt, quaſi ea, quæ hic traduntur, tantummodo in promiſſis atque pactis interpretandis habeant uſum. Uſus enim eorum etiam extenditur ad interpretationem legum & verborum ab aliis quibuſcunque prolatorum.

§. 460.

Si ſingula verba fixum ac determinatum haberent ſignificatum, & loquentes ſemper mentem ſuam ſufficienter iiſdem exprimerent; nulla interpretatione foret opus. Contrarium cum obtineat, interpretatione opus eſt. Etenim ſi ſingula verba fixum ac determinatum haberent ſignificatum; quinam actus interni iiſdem ſignificentur, abſque ulla hæſitatione ſemper conſtaret (§. 123. 129. *Log.*). Quodſi ergo loquentes mentem ſuam iiſdem ſufficienter exprimerent; ſinguli actus interni, ſive ad facultatem cognoſcendi, ſive ad facultatem appetendi aut averſandi referendi, nobis perſpecti eſſent (§. 459.), conſequenter ex ipſis verbis ſtatim manifeſtum foret, quid per verba ſua loquentes ſignificare voluerint. Quamobrem cum interpretemur verba alterius, ſi certo modo colligere velimus, quidnam per ea ſignificare voluerit (§. *cit.*); omnino patet nulla opus fore interpretatione, ſi ſingula verba fixum ac determinatum haberent ſignificatum ac loquentes iiſdem ſemper mentem ſuam ſufficienter exprimerent. *Quod erat unum.* *Cur interpretatione ſit opus.*

Enimvero obvia experientia docemur, vocabulis ſi non pleriſque, attamen plurimis, non conſtanter invariatam reſpondere notionem, conſequenter ſignificatum non fixum, ſed vagum eſſe (§. 129. *Log.*). Immo patet nec determinatas ſingulis reſpondere notiones (§. 123. *Log.*), ac haud raro plus dici, vel minus, quam loquentes dicere intendunt. Quamobrem ſi de eorum mente certo conſtare debet, neceſſe eſt ut certo quodam modo colligatur, quamnam per verba ſua indicare voluerint. Quoniam itaque verba alterius interpretamur, quando certo quodam modo colligimus, quid per ea ſignificare voluerit (§. 459.); interpretatione opus eſt. *Quod erat alterum.*

Exemplum quoad partem primam propoſitionis præſentis præbet *Euclides*, qui cum terminis per definitiones tribuerit ſignificatum fixum ac determinatum, nec ab eo ullibi recedit, interprete nullo habet opus. Verba, quibus utitur, ſatis aperte mentem ejuſdem loquuntur, ut non demum multo ſtudio ac labore in eam ſit inquirendum. Aſt non adeo obvia eſt mens *Ariſtotelis*, ut in ea explicanda multum ſtudii collocaverint interpretes ac commentatores, nec eam perveſtigare ſemper potuerint. Idem obtinet in aliis Autoribus, quod facile experiri datur, ſi diſtincte exponere volueris, quænam notiones verbis eorum jungendæ ſint, & demonſtrare haſce præciſe, non alias, cum iis eſſe conjungendas: id quod fieri neceſſe eſt, ſi quidem eos intelligere, ſeu mentem eorundem perſpicere velis. Optandum omnino foret, ut ſaltem inter eruditos, eos præſertim, qui diſciplinas tractant, conſtans quidam loquendi modus introduci poſſet, adeoque Lexicon proſtaret, in quibus ſingulis vocabulis fixi ac ſatis determinati ſignificatus attribuerentur: id quod tamen ob maximam rei difficultatem & rationes alias minime ſperandum. Si vero vel maxime iſtiuſmodi loquendi mos obtineret, ea tamen adhuc deſideraretur perſpicacia, quæ requiritur ad hoc, ut tantum præciſe ſemper dicatur, quantum dicere quis vult.

§. 461.

In pactis & promiſſis nemo verborum ſuorum interpres eſſe poteſt. Ponamus enim promiſſorem verba ſua interpretari poſſe, atque adeo interpretatione ejus ſtandum eſſe promiſſario. Quoniam verbis ſenſum affingere poſſet, quem vellet; ſe non hoc, quod poſcit promiſſarius, ſed aliud quid promiſiſſe contendere poterit. Quamobrem cum promittendo nos alteri obligemus (§. 363. *part. 3. Jur. nat.*), quando ſibi viſum fuerit non ſtare promiſſis, ſemetipſum ab obligatione ſua liberare poteſt, quandocunque voluerit, conſequenter jus eidem reſpondens alteri auferre (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*). Quod utrumque cum ſit abſurdum (§. 674. *part. 3. &* §. 336. *part. 2. Jur. nat.*); in promiſſis nemo verborum ſuorum interpres eſſe poteſt. *Quod erat unum.* *An in pactis & promiſſis quilibet ſuorum verborum interpres eſſe poſſit.*

Quoniam pacta continent promiſſiones (§. 788. *part. 3. Jur. nat.*), & per eas paciſcentes

scentes sese sibi invicem obligant (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*), in promissis vero nemo verborum suorum interpres esse potest, *per demonstrata n.* 1. nemo etiam in pactis verborum suorum interpres esse potest. *Quod erat secundum.*

Non est, quod excipias, promissorem omnium optime nosse, quænam ipsius fuerit mens in promittendo, consequenter ad quidnam alteri sese obligare voluerit. Quamobrem cum promissarius eundem sibi obligare non potuerit ultra voluntatem suam (§. 382. *p.* 3. *Jur. nat.*); permittendum omnino esse promissori, ut quænam sibi fuerit mens in promittendo declaret, consequenter ut verba sua interpretetur (§. 459.). Etenim adversus eum pro vero habendum, quod sufficienter indicavit (§. 428. *part.* 3. *Jur. natur.*): quid vero per verba promittentis sufficienter indicatum fuerit, certa interpretatione definiendum, quam vi demonstrationis promissori relinquere tutum non est. Alias enim jus omne promissarii erit incertum, cum abunde constet, faciliores esse homines in promittendo, quam in promissis adimplendis, voluntate ambulatoria existente. Neque est quod porro urgeas, cum juramentum sit probatio per Deum testem (§. 852. *part.* 3. *Jur. nat.*), interpretationem verborum propriam juramento confirmari posse, ut tuto credi queat. Qui enim promissa servare non vult, ei nec satis tuto creditur juranti, & quamdiu de eo, quod promissum est, aliunde constare potest, nec ad juramentum deveniendum (§. 922. *part.* 3. *Jur. nat.*). Immo si verendum, ne quis verba detorqueat in sensum alienum, quo minus promissis stare teneatur; quomodo certus esse poteris, ne etiam jurans verbis affingat sensum alienum?

§. 462.

Quando quis proprio-rum verbo-rum inter-pres esse pos-sit.

In verbis non obligatoriis permittendum, ut quis ipse ea interpretur. Etenim si verba non fuerint obligatoria, per ea nulla inducitur obligatio, adeoque tua parum refert, quænam sit, vel fuerit mens loquentis, quam verbis istis indicare voluerit. Quamobrem cum is, qui loquitur, omnium optime norit, quænam sit ipsius mens; utique permittendum est, ut ipsemet declaret, quamnam mentem habeat, vel habuerit & verbis istis significare voluerit. Permittendum igitur ipsi est, ut ea interpretetur (§. 359.).

In hoc casu valet, quod vulgo dicitur, quemlibet optimum esse verborum suorum interpretem. Ex. gr. ponamus autori alicui imputari errorem quendam. Quodsi is neget, se hoc statuere, & verba sua ita interpretetur, ne sint errori obnoxia; interpretatione ejus standum. Nimirum hac interpretatione nil committitur contra jus alterius cujusdam, adeoque nil obstat, quo minus verba sua ita interpretetur, ut ab errore immunis sit.

§. 463.

An promissarius verba promittentis interpretari possit.

Promissario non permittendum, ut verba promittentis interpretetur eo sensu, quo eadem intellecta velit. Ponamus enim promissarium verba promittentis interpretari posse, prout eadem a se intellecta velit. Quoniam promissor promissario perfecte obligatur (§. 336. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque huic competit jus illum ad promissum adimplendum cogendi (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); pro lubitu verbis promittentis sensum affingere potest, ut is sibi præstare teneatur, ad quod præstandum sese eidem obligare minime voluit. Quod cum sit absurdum, cum promissarius promissorem sibi obligare nequeat ultra voluntatem suam (§. 382. *p.* 3. *Jur. nat.*), ideo nec promissario permittendum, ut verba promittentis eo interpretetur sensu, quo eadem intellecta velit.

Quando quæritur, ad quid tibi obligatus sim, non de eo quæstio est, quomodo tu verba mea intellexeris, sed quid verbis meis indicatum fuerit: hoc enim, non istud contra me pro vero habendum (§. 428. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 464.

Quomodo interpreta-tio fieri de-beat.

Interpretatio verborum in pactis & promissis fieri debet juxta certas regulas, quas tam promissarius, quam promittens admittere tenetur. In pactis enim & promissis verba promittentis, nec ipse qui promittit, nec promissarius interpretari potest (§. 461. 463.),

dicendo

BIU Cujas

dicendo nimirum, quomodo verba ista intelligi velit. Necesse igitur est, ut interpretatio arbitrio nec promittentis, nec promissarii relinquenda certis adstringatur regulis, quas utraque contrahentium pars admittere debet, siquidem pro vero habendum, hoc promisisse promissorem, consequenter ad hoc præstandum promissario esse obligatum (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque ad id, quod promissum est, promissario jus perfectum competere (§. 364. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum negotium aliter exitum habere nequeat, nisi constet, quid contra promittentem pro vero sit habendum, interpretatio verborum in pactis & promissis fieri debet juxta certas regulas, quas tam promissarius, quam promittens admittere tenetur.

Quoniam promissarius non plus juris a promittente acquirere potest, quam is in eundem transferre voluit, nec hic illum ultra voluntatem suam obligare valet ad quid dandum, vel faciendum (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*); promissarius & promittens una decernere debent, quid dandum vel faciendum sit (§. 497. *part.* 1. *Theol. nat.*), consequenter de eo, quod præstandum, convenire (§. 698. *part.* 3. *Jur. nat.*). Necesse igitur est, ut animi sui sensa sibi invicem sufficienter indicent: quod cum fieri nequeat nisi verbis, aut aliis subinde signis æquipollentibus, ideo necesse est, ut promissor & promissarius cum verbis, quibus quid promittitur easdem notiones jungant, consequenter promissarius mentem promittentis intelligat (§. 117. *Log.*). Quamobrem promissor cum verbis non eas jungere potest notiones, quas velit, sed eas, quas auditis verbis in promissario excitare valet, seu ita loquendum est, ut a promissario intelligi possit. Nec vicissim promissarius verbis promittentis eas jungere potest notiones, quas voluerit, sed quas cum iisdem jungit promittens, seu verba promittentis ita accipienda, prouti intelligi debent. Necesse igitur est, verborum significatum certis regulis adstringi, ut constet, quomodo intelligenda sint, consequenter nec promissor contendere possit, se ea ita intelligi voluisse, nec promissarius contra defendere queat, se eadem ita intellexisse. Atque adeo patet opus esse regulis interpretandi, per quas definitur sensus verbis in conventionibus quibuscunque tribuendus, ut manifestum sit, in quodnam consenserint qui inter se convenerunt. Dari istiusmodi regulas, ex sequentibus eluceſcet. Et sane nisi darentur, actus omnes obligatorii & cum his omnia jura & obligationes omnes, quæ contrahuntur, incerta forent.

§. 465.

Recta dicitur *interpretatio*, quæ fit per regulas interpretandi demonstratas. Quoniam enim regulæ, juxta quas fit interpretatio, certæ esse debent (§. 464.), certæ autem esse nequeunt, nisi demonstrentur (§. 568. *Log.*); *regulæ, juxta quas facienda interpretatio, demonstrandæ sunt.* *Interpretatio recta quanam sit.*

Jure naturæ requiritur, ne quid committatur contra jus alterius (§. 910. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem ita facienda interpretatio, ne sit juri promissarii adversa, vel obligationem ultra id, quod promissum est, extendat. Regulæ adeo interpretandi ex ipsis principiis Juris naturalis demonstrandæ, ut recte affirmetur, ipsam naturæ legem hanc imperare interpretationem, consequenter ad eam admittendam obligetur tam promittens, quam promissarius. Unde simul patet rectam interpretationem esse legi naturæ conformem.

§. 466.

Promissario jus est promissorem cogendi ad id, quod recta interpretatio suggerit. Et enim recta interpretatio fit per regulas interpretandi demonstratas (§. 465.), adeoque certas, quas tam promissarius, quam promissor admittere tenetur (§. 568. *Log.*). Quamobrem cum interpretatio fieri debeat juxta regulas certas, quas cum promissarius, tum promissor admittere tenetur (§. 464.); pro vero habendum est, eam fuisse mentem promittentis, quam recta interpretatio suggerit (§. 459.), consequenter ad id, quod eadem suggerit, promissorem sese obligare voluisse. Quoniam itaque obligatio hæc perfecta est (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque promissario competit jus cogendi promissorem ad id, quod promissum est (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); eidem utique competit jus promissorem cogendi ad id, quod recta interpretatio suggerit. *Effectus rectæ interpretationis.*

Pro-

BIU Cujas

Promissa sunt servanda (§. 431. *p.* 3. *Jur. nat.*), adeoque promissor præstare tenetur, quod se præstiturum dixit (§. 340. *part.* 3. *Jur. nat.*). Dixisse autem censendus est se præstiturum, quod recta interpretatio suggerit, per ea, quæ demonstravimus. Ergo promissor præstare tenetur id, quod recta interpretatio suggerit, consequenter si nolit, promissarius compellere eum potest ad id præstandum.

§. 467.

Quomodo paciscentes loqui teneantur.

Paciscentes ita loqui obligantur, ut a se invicem intelligi possint. Paciscentes enim convenire debent de eo, quod promittitur (§. 788. *part.* 3. *Jur. nat.*), consequenter quod ab uno alteri dandum, vel faciendum (§. 358. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem necesse est, ut intelligat promissarius, quod promissor se daturum vel facturum dicit. Necesse igitur est, paciscentes ita loqui, ut a se invicem intelligi possint, adeoque ad ita loquendum obligantur (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Paciscentes non volunt nihil agere, sed obligationes contrahere atque jura acquirere. Quamobrem quoque volunt, ut jura, quæ acquiruntur, & obligationes, quæ contrahuntur, sint certa, ne ad arbitrium libidinemque partis unius eludi possint. Ut igitur constet, quid promittat promissor & quamnam ipse obligationem contrahat, quodnam vero jus acquirat promissarius; paciscentes ita loqui tenentur, ut unus alterum intelligere, seu mentem ipsius assequi possit.

§. 468.

Significatus verborum & terminorum a paciscentibus attendendus.

Quoniam paciscentes ita loqui obligantur, ut a se invicem intelligi possint (§. 467.), unus vero alterum intelligere nequeat, nisi uterque easdem cum verbis iisdem conjungat notiones (§. 117. *Log.*), in communi autem sermone significatum proprium constituit usus loquendi (§. 139. *Log.*) & huic in disciplinis ac arte respondet receptus terminorum significatus (§. 140. *Log.*); *paciscentes verbis uti debent in eo significatu, quem fert usus loquendi, adeoque proprio, & terminos accipere in significatu recepto*, consequenter *scientes ac volentes a verborum significatu proprio & significatu terminorum recepto recedere non debent.*

Nimirum si cuilibet liberum esse debet, verbis ac terminis, quibus utitur, imponere significatum pro arbitrio suo; fieri non potest, ut unus ab altero intelligatur, nisi explicet in quonam significatu verba ac terminos accipiat.

§. 469.

Quid de eo præsumatur.

Quoniam paciscentes verbis in significatu proprio & terminis in recepto uti debent, nec ab eo recedere (§. 468.); *tamdiu præsumuntur verba accepisse in significatu proprio, & terminos in recepto, quamdiu non adsunt rationes urgentes in contrarium.*

Nimirum quamvis sciens ac volens a significatu proprio verborum & recepto terminorum recedere non debeat, qui cum altero paciscitur; recedere tamen quis potest inscius, tantoque facilius, si significatus fuerit vagus, quemadmodum haud raro esse solet. Quamobrem ubi prostant rationes urgentes, ob quas promittens non videtur verba in significatu proprio, vel terminos in recepto accepisse, quales prostare posse, ex postea dicendis apparebit; ideo præsumtio fortior rationibus istis innixa vincit alteram tanquam debiliorem, qua id præsumitur, quod fieri debebat.

§. 470.

Quamdiu significatui proprio inharendum.

In promissis & pactis interpretandis a communi usu loquendi recedendum non est, nisi adsint rationes urgentes in contrarium. Etenim paciscentes præsumuntur verba accepisse in significatu proprio, adeoque non recessisse a communi usu loquendi (§. 139. *Log.*), quamdiu non prostant rationes urgentes in contrarium (§. 469.). Quamobrem cum pro-

BIU Cujas

promissa & pacta interpretaturus investigare debeat mentem paciscentium, quam verbis suis significare voluerunt (§. 459.); in iis interpretandis utique a communi usu loquendi recedendum non est, nisi adsint rationes urgentes in contrarium.

Promittendo nos alteri obligamus, quia eidem nos obligare volumus, nec ultra voluntatem nostram quisquam nos sibi obligare potest, nec acquirere a nobis jus aliquod, nisi quod in eum conferre voluimus (§. 382. *p. 3. jur. natur.*). Quamobrem non tam verba paciscentium spectanda sunt, quam mens & voluntas sequenda. Mentem tamen aliunde cognoscere non possumus, nisi quatenus sufficienter indicatur per certa signa, quod per se patet. Hinc de eadem judicandum ex iis, quæ dicta sunt, cum usus sermonis in eo consistat, ut mentem nostram alteri significemus. Quodsi tamen adsint præter verba conjecturæ adhuc aliæ, quales adesse solere cum experientia probat, tum ex inferius demonstrandis patebit, quo hæ ducant, omnino dispiciendum. Quamobrem si tales sint, quæ mentem contrahentium aliam indicant, quam quæ ex verbis in significatu proprio acceptis colligi poterat, cum sic pateat ab eodem recessisse contrahentes, eidem quoque inhærendum non est. Quamdiu autem tale nil apparet, inhærendum utique significatui verborum proprio, quem consuetudo, verborum domina, approbat, cum non modo nulla adsit ratio, cur ab usu loquendi communi in interpretando recedamus, verum etiam cur ab eo recedentes hunc potius, quam alium verbis significatum tribuamus. Nisi ergo cuilibet quamvis fingendi libidinem concedere velis, ut nulla relinquatur negotiis humanis certitudo, nec ea exitum reperire possint; tenendum omnino est, quod in propositione præsenti demonstravimus. Quodsi contingat, aliquem mentem suam non sufficienter indicasse, ut alia appareat; id sibi imputet, quod non fecerit, ad quod faciendum erat obligatus.

§. 471.

Quoniam in interpretandis pactis a communi usu loquendi non recedendum, nisi adsint rationes urgentes in contrarium (§. 470.), longiore autem usu proprius verborum significatus mutari solet; *pacta interpretanda sunt [secundum usum loquendi ejus temporis, quo condita fuerunt.*

De pactis antiquis eo sine notandis.

Mutationem significatus, quem longior usus introducit, nemo prævidere potest; consequenter absurdum foret statuere, quod paciscentes verba in eodem acceperint. Ea de causa haud raro difficilis redditur pactorum antiquorum, vel olim dictorum interpretatio, si de illa mutatione non satis constare possit. Hinc eruditis, quorum opera posteris quoque prodesse debent, magis convenit lingua mortua, quam alia quæcunque præsentis ævi. Sane quis nostro tempore legere amat libros lingua Germanica antiqua, vel etiam ante seculum Gallica conscriptos? Ecquis vero contendere ausit, non fore aliquod tempus, quo lingua moderna sive Germanica, sive Gallica æque displicebit ac nauseam movebit posteris, quemadmodum præsenti ævo nauseamus antiquum loquendi ac scribendi modum. Significatum vocabulis primum impositum parum curant homines, quorum in eo imponendo arbitrium dominatur, ut eundem vertant, qua velint. Immo multum quoque hic tribuendum casui, qui hominum non modo arbitrium regit, sed etiam haud raro vel insciis mutationem insinuat, ut adeo longa dies non soleat servare voces in eo significatu, in quo primum datæ sunt.

§. 472.

Per *Etymologiam* intelligimus expositionem originis vocabulorum. Quoniam vocabula vel sunt composita, quæ ex aliis componuntur, vel simplicia, quæ non componuntur ex aliis, & hæc vel derivativa, quæ ex alio vocabulo formantur, vel primitiva, quæ non formantur ab alio; *etymologus inquirere debet in rationem, cur vocabula primitiva primitus ad eas res denotandas fuerint adhibita, quibus denotandis fuerunt destinata, & docere, a quibusnam derivativa deducantur & ex quibusnam composita componantur, ac quinam sit vi derivationis ac compositionis eorundem significatus.*

Etymologia quid sit.

Sequimur in definienda etymologia *Quintilianum*, qui lib. 1. cap. 16. Etymologiam dicit inquirere in verborum originem. Quamvis vero significatus verborum sit arbitrarius; non tamen idcirco destituitur ratione, cum nihil fiat sine ratione sufficiente. Quamobrem vix dubitandum, quin primi vocabulorum inventores rationes desumserint a rebus, ad quas denotandas eadem adhibuerunt, ut ad eo ipsa vocabula aliquid repræsentent, quod inest rebus per ea significatis.

BIU Cujas

ris. Vi adeo originis, quemadmodum olim visum est *Platoni*, vocabula sunt quasi quædam imagines rerum pro modulo cognitionis ab inventoribus effictæ. Hinc verum admiserunt in verbis *Stoici* ac *Platonici* & hoc dixerunt id, quod naturæ rei conforme & aliquam ejus partem repræsentat. Et artis etymologicæ est invenire verum istud, quod inest verbis, præsertim primitivis. Cum nos philosophiam ad omne possibile extendamus, lubenter concedimus scientiam etymologicam esse partem quandam Philosophiæ, neque improbamus studium, quod in ea excolenda collocatur, etsi pro certo habeamus, nec a quoquam facile in dubium vocari possit, etymologiam nil conferre ad rerum cognitionem, sed hanc potius supponere. Immo subinde error origini vocabulorum ansam dare potuit, veluti quando Astronomi stellas quasdam dixerunt *adfixas*, quod eas orbi cuidam solido infixas putarent. Quamobrem in scientiis etymologiam prorsus inutilem agnoscimus, ubi notiones rerum sunt explicandæ & ex iis, quæ rebus insunt, demonstranda alia, quæ vel simul inesse debent, aut sub certa conditione inesse possunt. Ceterum ob verum istud, quod verbis inest, significatus verborum non desinit esse arbitrarius, nec necessarius efficitur, cum eo non obstante res eadem alio adhuc vocabulo indigitari potuisset, quemadmodum ex vocabulo, quo Deus in diversis linguis appellatur, abunde patet. Sed de his prolixius dicere a præsenti instituto alienum est.

§. 473.

Significatus etymologicus.

Significatus etymologicus dicitur, qui petitur ab etymologia. Vocatur etiam *Grammaticus*, quia etymologia principiis grammaticis superstructa, etsi quoad vocabula primitiva opus sit adhuc aliis.

Ita nonnulli vocabulum Deus derivant a Græco δίος, quod timorem significat, ut adeo vi originis denotent ens metuendum ab hominibus. Unde *Petronius*:

primus in Orbe Deos fecit timor.

Erit adeo significatus etymologicus, quod Deus sit ens hominibus metuendum, seu timendum. Hæc autem significatio æquivoca est, quatenus timorem accipis vel pro filiali, vel pro servili, aut utrumque conjungis. *Petronius* respexit ad metum servilem. Ita verbum trado compositum ex verbo do & præpositione trans, adeoque vi originis significat ita dare quidpiam, ut a se transeat.

§. 474.

An in interpretando sit usui.

In interpretando significatus etymologicus non est attendendus. Etenim in interpretando a communi loquendi usu recedendum non est, nisi necessitas quædam urgeat (§. 470.), consequenter significatus in communi sermone proprius retinendus (§. 139. *Log.*), ut scilicet vocabulo indigitetur ea res, cui indigitandæ communiter adhiberi solet (§. 138. *Log.*). Enimvero nemo est qui nesciat, in significatu, quem vocabulum ex communi loquendi usu obtinet, minime attendi originem ejus, consequenter significatum etymologicum insuper haberi. Quamobrem patet, nec in interpretando significatum etymologicum attendendum esse.

Parum curant homines, dum loquuntur, significatum etymologicum, immo curare non possunt, si vel maxime vellent. Etenim vocabulorum origines dum explicant etymologi, sæpissime a se invicem dissentiunt. Ita non omnes vocabulum Deus a Græco δίος derivant. Vid. *Martinus* in Lexico philolog. & etymolog. Et qui hanc derivationem admittunt, rationem tamen denominandi non prorsus eandem reddunt. Ita vi originis Deus juxta alios significat ens ob mala physica, quæ inferre potest, metuendum; juxta alios ens, cui ob bonitatem summam reverentia ac timor filialis debetur; juxta *Petronius* ens, quod timor fecit. Præterea vocabula successu temporis magnam subeunt mutationem, ut eorum origo vix agnoscatur, adeoque etymologi in eam inquirentes literarum transmutatione, transpositione, elisione & adjectione eadem in alia transformem. Accedit, quemadmodum jam ante annotavimus (*not.* §. 471.), quod longiore usu propriæ significationes vocabulorum mutentur, ut parum vel nihil ab origine sua trahant. Ecquis adeo mentem alterius divinare ausit ex origine vocis, de qua nunquam cogitavit, immo plerumque ne cogitare quidem potuit? Verbis utimur ad ea denotanda, ad quæ denotanda adhibita fuerunt ab aliis, a quibus eadem didicimus, parum solliciti, quam significationem primitus ex origine acceperint.

§. 475.

BIU Cujas

§. 475.

Si a pacisentibus expresse dictum fuerit, quod pactum eum intellectum habere debeat, quem solum verborum proprietas præ se fert; significatui proprio, quem vocabula ex communi usu loquendi habent, strictissime inhærendum. Etenim contra promissorem pro vero non habendum, nisi quod sufficienter indicavit (§. 428. *p.* 3. *Jur. nat.*). Quodsi ergo expresse dictum fuerit, quod pactum eum intellectum habere debeat, quem solum verborum proprietas præ se fert; sufficienter indicatum est, quod promissor ad aliud promissario obligatus esse nolit, nisi quod verba secundum communem usum loquendi indigitant (§. 139. *Log.*), consequenter nec aliud contra illum pro vero haberi potest. In hypothesi adeo propositionis præsentis, significatui proprio, quem vocabula ex communi usu loquendi habent, strictissime inhærendum. *Clausula pactis quoad interpretationem adjicienda.*

Equidem vulgo pactis adjici minime solet hæc clausula; non tamen prorsus inauditum est, ut adjiciatur. Exemplum habemus apud *Camdenum* in Hist. Elis. part. 2. ubi diserte dicitur: Hoc fœdus illum intellectum habeat, quem solum verborum vis & proprietas præ se fert. Non inutiliter clausula hæc adjicitur, ubi verendum, ne pars altera verba aliter interpretando, quam ea intellexit promittens, eadem detorqueat in sensum a mente ipsius alienum, ut ad id obligetur, ad quod obligari non voluit, vel etiam ipse promittens hoc faciat, ne ad id obligetur, ad quod obligare sibi eundem voluit pars altera. Clausula igitur hæc arcet omnes conjecturas quibus alias locus concedi facile poterat, consequenter lites præcavet circa interpretationem forsan suborituras ac fidem fallacem manifestat, ubi quis verba aliter interpretari voluerit, quam debebat.

§. 476.

In pactis & promissis interpretandis non admittendæ sunt reservationes mentales. Etenim per reservationes mentales animo audientis falsa ingeneratur opinio, eædemque sensum verborum detorquent in huic contrarium (§. 231. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quodsi ergo pacisentibus liberum fuerit reservationibus mentalibus uti, pars una alteram intelligere nequit. Quamobrem cum pacisentes ita loqui obligentur, ut a se invicem intelligi possint (§. 467.); reservationibus mentalibus in pactis nullus conceditur locus. Enimvero qui pacta & promissa interpretatur, in mentem promittentis inquirit (§. 459.), consequenter explicat, quomodo verba pacisentium sint intelligenda. In pactis adeo atque promissis interpretandis non admittendæ sunt reservationes mentales. *De reservationibus mentalibus*

Huc refero exemplum Locrorum, quod affert *Grotius* de J. B. & P. lib. 2. c. 16. §. 2. ex *Polybio* lib. 12. c. 4. Cum enim hi polliciti essent se pactis staturos, quamdiu terram hanc insisterent & capita humeris gestarent, eam intellexerunt terram, quam calceamentis suis injecerant, & capita alliorum, quæ humeris suis imposuerant; utique per reservationem mentalem (§. 231. *part.* 3. *Jur. nat.*). Atque adeo putabant, se ab obligatione esse liberatos, cum terram calceamentis injectam & alliorum capita humeris suis imposita abjicerent. Immo huc etiam referre licet exemplum *Bœotorum* apud *Thucydidem* lib. 5. qui urbem polliciti reddere, eversam reddiderunt.

§. 477.

Si manifestum fuerit, quinam verborum sensus conveniat intentioni promissarii, non licet eum perducere ad alium intentioni illius e diametro contrarium. Quodsi enim intentio promissarii fuerit manifesta, per eam patet, quid sibi promitti voluerit. Quamobrem si quis sensus verborum manifesto conveniat intentioni promissarii, promissor eidem promisisse intelligitur, quod sibi promitti voluit (§. 428. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam itaque promissa sunt servanda (§. 431. *part.* 3. *Jur. nat.*); non ita interpretari licet verba, quibus promissum, ut promissio eludatur. Quoniam itaque hoc contingit, si sensus verborum intentioni promissarii manifesto conveniens perducatur ad alium intentioni ejusdem e diametro contrarium, hoc facere minime licet. *De cavillationibus in interpretando vitandis.*

BIU Cujas

Istiusmodi cavillationes in interpretandis pactis, quæ fides tuetur (§. 760. *part.* 3. *Jur. nat.*) & a quibus fraus omnis procul abesse debet (§. 149. *part.* 5. *Jur. nat.*), minime ferendæ : immo dedecet virum bonum cavillationibus decipere alterum, qui dictis fidem habet. Exemplum præbet *Mahomes* Turcarum imperator, qui cum Eubœa capta alicui promisisset, caput ipsi fore incolume, medium dissecari jussit. Huc etiam referendum, quod *Temures* cum præsidiariis urbis Sebastiæ pactus, ut urbe dedita sanguis non effunderetur, captivos vivos defodi curavit. Nimirum nemo non videt, in casu utroque pacisentes non aliud intendisse, quam ut vitæ ipsorum parceretur. Verba promittentium sensum huic intentioni convenientem fundebant; a promittentibus autem in sensum eidem prorsus contrarium perducebantur.

§. 478.

De interpretatione terminorum technicorum.

Vocabula artium, seu termini technici explicanda sunt per definitiones prudentum cujusque artis, seu accipienda in significatu apud eos recepto in pactorum interpretatione, nisi adsint rationes urgentes in contrarium. Etenim pacisentes præsumuntur verba accepisse in significatu recepto, quamdiu non prostant rationes urgentes in contrarium (§. 469.). Quamobrem cum promissa & pacta interpretaturus investigare debeat mentem pacisentium, quam verbis suis significare voluerunt (§. 459.); in iis interpretandis non recedendum est a significatu apud prudentes artis cujusque recepto, consequenter si definitiones prostent apud eosdem, cum per eas terminos explicari constet (§. 152. *Log.*), per eas utique explicandi erunt termini technici.

Non termini omnes in Scientiis ac Artibus definiuntur, sicuti fieri debebat, adeoque per definitiones artis peritorum non semper explicari possunt : alio igitur modo investigandus est significatus receptus, quemadmodum fieri solet in sermone communi, ubi definitione quoque carent vocabula. Quodsi contingat, terminos technicos non eodem prorsus modo ab omnibus definiri, vel etiam vagum eorundem esse significatum, quemadmodum in sermone communi; interpretatio alias requirit conjecturas, de quibus in sequentibus dicetur.

§. 479.

De vocabulis aliquid secundum gradus significantibus.

Si vocabula aliquid secundum gradus significent; definitioni eorum in interpretatione non semper stricte inhærendum; sed orationis, cujus pars est vocabulum explicandum, conveniens definitio formanda. Etenim si vocabula significent aliquid secundum gradus, definitiones fieri solent ac debent, prout res sunt in gradu perfectissimo. Quoniam tamen vocabulis istis non semper utimur in eo significatu, ut denotent res, quales sunt in gradu perfectissimo, in interpretatione autem mentem loquentis investigare debemus (§. 459.); vocabula quoque ista in interpretatione per definitiones eorum, quæ dantur, explicare minime licet, adeoque iisdem stricte inhærendum non est, consequenter dispiciendum, quænam immutanda sint, ut definitio conveniat orationi, cujus pars est vocabulum, adeoque isti conveniens definitio formanda.

Ex. gr. Ponamus ita conventum fuisse, ut standum sit judicio philosophi cujusdam. Quodsi vocabulum philosophi explicare velis per definitionem, qualem dari oportet in Philosophia, nullibi terrarum reperire datur philosophum, cui definitio, quæ philosophum in gradu perfectissimo repræsentat, competit. Quamobrem per philosophum intelligi debet vir doctus, qui præsumitur habere scientiam istius rei, de qua statuendum, seu judicium ferendum. Neque enim aliud intendisse videntur contrahentes, cum alias ipsorum negotium exitum habere non posset.

§. 480.

Quid sit Homonymia & Amphibolia.

Sicuti diversus ejusdem vocis significatus *Homonymia*, sive *Æquivocatio* dicitur (§. 326. *Log.*); ita diversus complexionis plurium vocum, seu integræ orationis significatus *Amphibolia* vocatur. Quamobrem *si homonymia, vel amphibolia sermonem obscurum reddit, ex verborum significatu proprio interpretatio fieri nequit*, quoniam nimirum determinandum est, quænam ex pluribus significationibus in præsenti locum habeat, ubi singu-

BIU Cujas

singulæ fuerint repertæ. Unde patet, *si lateat homonymia in vocibus singulis, vel amphibolia in complexione plurium vocum, seu integra oratione; in interpretatione inquirendum esse in diversos significatus, quos vocabulum, vel complexio verborum habere potest, ac postea investigandum, quænam illarum significationum in interpretatione sit sumenda.*

Homonymiam fecit partim vocabulorum indigentia, quippe quæ necessitatem imposuit eodem res plures indigitandi vocabulo; partim consilium ac propositum dicentis, qui elegantiam in oratione quærens metaphoris & metonymiis uti voluit; partim etiam incuria, quod ad proprium significatum non semper attendunt loquentes. Amphibolia sæpe inest sermoni, etiamsi verbis, ex quibus constat, nulla insit æquivocatio, veluti si adsit ellipsis, nec quod omissum est, facile suppleri possit, aut adsit pleonasmus, qui ellipsi opponitur. Sed de causis amphiboliæ ex instituto dicere jam nostrum non est.

§. 481.

Si idem verbum, aut eadem verborum complexio plures habeat significatus, & in aliqua oratione bis vel aliquoties occurrat; in interpretatione non idem semper significatus retineri potest. Quodsi enim idem verbum, aut eadem verborum complexio plures habeat significationes, nil obstat, quo minus aliquis in una orationis parte verbum istud vel verborum istam complexionem in hoc significatu accipiat, in parte alia in alio, prout commodum acciderit, vel casus tulerit, cum ad id attentus, quod nunc loquitur, non animum advertat ad id, quod ante dixerat. Quamobrem cum interpres mentem dicentis investigare debeat (§. 459.), consequenter inquirere, quidnam per verba, quibus eam indicavit, significare voluerit (§. *cit.*); non licet eidem vocabulo vel eidem verborum complexioni, quoties occurrit, eundem imponere significatum. Quodsi itaque idem verbum, aut eadem verborum complexio plures recipiat significatus, & in aliqua oratione bis vel aliquoties occurrat; in interpretatione non idem semper significatus retineri potest. *De homonymia & amphibolia eadem aliquoties occurrente.*

Si vocabulum aliquod fuerit homonymon, non tamen in eadem oratione semper adhiberi in eodem significatu, experientia satis constat. E. g. feudum sumitur tum pro jure, quod competit vasallo in re feudalitum pro ipsa re feudali. Nunc igitur in significatu priori, nunc in posteriori accipi in eadem oratione potest. Quamobrem in interpretando dispiciendum, num accipiatur pro jure, an pro re feudali, ne vel perversa, vel contorta, vel prorsus absurda prodeat interpretatio. Similiter tutela nunc de jure tutoris, nunc de munere accipitur, nec repugnat, ut in eadem oratione in utroque significatu diversis locis accipiatur. Quamvis adeo certum satis sit, in uno loco vocabulum esse accipiendum pro jure, non tamen ideo in altero quoque loco, ubi idem occurrit, pro jure tutoris accipiendum. Quælibet igitur pars orationis sigillatim interpretanda, nec ad reliquam est referenda.

§. 482.

Si obscuritas oritur ex homonymia vel amphibolia; significatus conveniens materiæ, de qua agitur, præferendus ceteris. Quodsi enim vocabulum ob homonymiam vel verborum quorundam complexio ob amphiboliam plures habuerit significatus (§. 480.); dicens animum ad eum advertisse intelligitur, qui ipsi succurrere potuit. Quoniam igitur de re cogitanti succurrunt vocabula eidem denotandæ destinata (§. 273. *Psych. empir.*); quando de materia, de qua agitur, cogitat dicens, vocabulum ipsi succurrit tanquam signum ei indigitando aptum, quod materiæ convenit. Atque adeo patet non de alio significatu tum cogitasse dicentem, quam qui materiæ, de qua agitur, convenit, consequenter si obscuritas oritur ex homonymia vel amphibolia, significatus conveniens materiæ, de qua agitur, præferendus. *De significatu materiæ conveniente in homonymia & amphibolia.*

Supponitur nimirum, abesse omnem fraudem, ne quis homonymia, vel amphibolia alterum, cui loquitur, decipere intendat. Quilibet enim sumitur ideo locutus esse, ut ab altero intelligi voluerit, & quando de pactis & promissis agitur, ita loqui debuit, ut ab altero intelligi potuerit. Quoniam igitur ea, de quibus dicere volumus, ante obversantur menti nostræ, quam verba, quibus indigitanda, nobis succurrunt; utique non alia iisdem indigitare voluimus, quam

BIU Cujas

quæ materiæ, de qua mentem noſtram exprimimus, conveniunt. Hinc vulgo dicitur: *Verba intelligenda eſſe ſecundum ſubſtratam materiam.* Exempla plura affert *Grotius* de J. Bel. & Pacis lib. 2. c. 16. §. 5. nobis ſufficiant ſequentia. Vox diei vel pro ea temporis parte, quæ ſol ſupra horixontem moratur; vel pro intervallo temporis, quod eſt viginti quatuor horarum, ſeu quod effluit interea, dum ſol a fixo quodam cœli puncto digreſſus ad idem redit. Quodſi triginta dierum induciæ fuerint pactæ, cum induciarum tempore ſuſpendi debeant actus bellici, ecquis non videt, induciis convenire, ut non modo ſuſpendantur interdiu, verum etiam noctu, conſequenter dies hic intelligi debere, qui viginti quatuor horis definiuntur. Significatus adeo poſterior, qui materiæ convenit, in interpretando priori præferendus, ut adeo nec noctu facere liceat, quod tempore induciarum fieri nequit. Hominis vox ſumitur tam de homine vivo, quam mortuo. Quodſi quis promittat, ſe homines captivos reddere velle; is intelligitur promiſiſſe, quod vivos reddere velit. Quando enim convenitur de hominibus captivis reddendis, de vivis agitur, non de mortuis. Hinc in caſu priori frivola erat cavillatio *Cleomenis*, qui aliquot dierum inducias pactus cum Argivis, noctu dormientes aggreſſus partem necavit, partim cepit, quod induciæ tantummodo pactæ fuiſſent in dies, non vero ſimul in noctes. Et ejuſdem farinæ in caſu poſteriori erat cavillatio *Platæenſium*, qui cum Thebanos captivos reddere promiſiſſent, mortuos reddidere. Ferrum non modo ſumitur pro metallo notiſſimo, ſed & pro iis rebus, quæ ex metallo confectæ ſunt, velati pro gladiis. Quodſi conveniatur, ut milites ferrum deponant, id intelligendum eſt de gladiis, cum de militum armis, cum paciſceretur, cogitatum ſit, adeoque hic ſignificatus materiæ conveniat. *Pericles* itaque cum hoſtium quibuſdam ita pactus, ut ipſi ferrum deponerent, eos pacti violati perperam inſimulavit, quod non depoſuiſſent fibulas ferreas, quas in laciniis veſtimentorum gerebant. Pars dimidia navium intelligi poteſt tam de diviſione navium integrarum, ita ut, ſi duodecim fuerint naves, partem dimidiam conſtituant ſex, vel de diviſione ſectarum, ita ut in eodem caſu ſingularum navium partes dimidiæ numero duodecim conſtituant partem dimidiam illarum. Quando convenitur cum hoſte, ut navium captarum partem dimidiam reſtituat; cum non alio fine ſic conventum fuerit, quam ne omnium jacturam faciat, qui partem dimidiam ſibi reſtitui vult, ſatis patet materiæ convenire, ut pars dimidia navium intelligatur de diviſione integrarum. Accedit, quod hanc interpretationem probet regula de ſenſu intentioni paciſcentis conveniente non reducendo ad alium eidem e diametro contrarium (§. 477.). In interpretando enim plures ſubinde regulæ eidem interpretationi favent, tumque ea tanto manifeſtior eſt. Ita autem improbe luſit Q. *Fabius Labeo*, qui, cum *Antiocho* partem navium dimidiam tradere deberet, ſingulas naves diſſecuit. Simili modo cavillati ſunt *Campani*, qui cum dimidiam armorum partem hoſti tradere promiſiſſent, diſſectis armis ſingulorum dimidium eos accipere juſſerunt. Huc etiam refert *Puffendorfius* lib. 5. c. 12. §. 7. exemplum *Rhadamaſti* apud *Tacitum* Ann. 12. qui cum *Mithridati* juraſſet, ſe ei nec veneno, nec ferro vim allaturum, mox eum injecta multa veſte necavit. Enimvero cum hic obſcuritas non oriatur ex homonymia, vel amphibolia, niſi forſan eandem arceſſere velis a metonymia; ego mallem exemplum hoc potius reducere ad regulam ſuperiorem (§. 477.), ad quam modo provocavimus. Etenim *Mithridatis* cum *Rhadamiſto* paciſcentis, ne vim veneno, aut ferro inferret, non alia fuit intentio, quam ut incolumis ſervaretur. Id nimirum voluiſſe intelligitur, ut nec vi manifeſta, nec clandeſtina vita privaretur. Præſtat omnino ad præſcindendas cavillationes mentem ſuam ſatis determinate exprimere, ut nulla interpretatione ſit opus (§. 460.); ſed quoniam hoc non ſemper fieri facile poteſt, ac propterea interpretationem rectam tuetur ipſum Jus naturæ (§. 466.), ideo cavillationes non minus illicitæ ſunt, quibus ex verbis ambiguis quæritur prætextus, quam ſi prætextus iſtiuſmodi deſtituerentur.

§. 483.

De vitando abſurdo in interpretatione.

Ea interpretatio rejicienda, ex qua abſurdum aliquod ſequitur. Quoniam enim nemo præſumitur velle abſurdum; quod per ſe patet; nemo quoque præſumitur verba, quibus animi ſui ſenſa indicavit, ita intelligi voluiſſe, ut abſurdum aliquod inde conſequatur. Quoniam ergo interpretando verba alterius inquiritur, quidnam per ea ſignificare is voluerit (§. 459.); ea interpretatio rejicienda eſt, ex qua abſurdum aliquod ſequitur.

Abſurdum dicitur non modo, quod phyſice impoſſibile; verum etiam quod a ratione alienum, ut nemo ſanus vel prudens id velle dici poſſit. Exemplum eſſe poteſt ſtatutum Bononienſe, quod refert *Puffendorfius* loc. cit. §. 8. (*not.* §. 482.), ut, quicunque in platea alteri ſanguinem elicuerit, graviſſimas pœnas daret. Ex ea enim lege delatus aliquando fuit barbitonſor, qui alicui in platea venam ſecuerat. A ratione nimirum maxime alienum eſt, ut quis graves det pœnas, quod venam alicui ſecuerit in platea, cum nihil inde damni redundet neque in publicum, neque in hominem privatum, conſequenter ratio nulla ſit, cur venæ ſectio in platea facta pœnam gravem

vem mereatur. Illustre exemplum occurrit in l. 13. §. 2. ff. de excusat. ubi Divus *Marcus* ad excusationem tutori, qui in ipsa civitate est, vel intra centum milliaria, quinquaginta dies dedit; ei vero, qui ultra centum milliaria habitat, in unamquamque diem numerari jussit viginti milliaria, & extra hos alios triginta dies adjecit ad excusationem. Quodsi verba simpliciter accipere velis, prouti sonant; sequetur inde hoc absurdum, quod in deteriori ordine esse debeat, qui longius habitat, eo, qui intra centum milliaria est, vel in ipsa civitate. Pone enim alicujus habitationem centum sexaginta milliaria abesse. Cum is octo dierum spatium habeat centum sexaginta milliariorum nomine, triginta vero eo, quod ad excusationem faciunt; non erunt ei nisi dies triginta octo, cum ei, qui intra centum milliaria est, dati sint dies quinquaginta. Absurdum hoc ut evitetur, *Scævola*, *Paulus* & *Ulpianus* mentem legislatoris ita interpretantur, quod is voluerit, ut nunquam alicui minus detur quinquaginta dierum spatio; tunc autem longius, cum annumeratio dierum, qui in viam computantur, adjectis triginta diebus, qui ad excusationem dantur, excedit quinquaginta dies. Exemplum hoc afferunt, ut interpretatio ista facilius intelligatur. Ponamus aliquem quadringentis quadraginta milliariis habitare: hic enim viæ quidem habebit dies viginti duos, ad excusationem autem alios triginta.

§. 484.

Quoniam ea interpretatio rejicienda, ex qua absurdum aliquod sequitur (§. 483.); *si verborum significatui stricte inhærendo sequatur aliquod absurdum, ita facienda interpretatio est, ut absurdum istud evitetur.* *Idem porro expenditur.*

Atque hic valet regula, magis spectandam esse mentem dicentis, quam verba: ad quam nos ducit intentio ejus ex materia vel aliis circumstantiis colligenda (§. 477.). Exempla, quæ modo dedimus (*not.* §. 483.), aperte loquuntur, quomodo facienda sit interpretatio, ut absurdum evitetur. Modo enim constet, quidnam absurdum ex significatu vocum recepto sequatur; in casu particulari haud difficile erit reperire, quomodo absurdum evitari possit, consequenter quænam mens fuerit dicenti, etiamsi is non satis circumspecte verbis eandem expresserit. Quodsi absurdum animadvertisset, quod certo casu consequitur, qui minus circumspecte locutus, dubium non est, quin aliis verbis mentem suam expressisset.

§. 485.

Ea interpretatio non admittenda, qua stante sequitur, nihil actum esse. Etenim nemo prudens velle præsumitur, ut nihil actum sit, dum negotium aliquod gerit, veluti dum cum altero pacisci tur, vel eidem quidpiam promittit, aut legem quandam præscribit: quod nemo sanus in dubium vocaverit, præsertim cum constet, nos naturaliter esse obligatos nil temere facere aut loqui (§. 278. *p.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam itaque interpretando verba alterius inquiritur, quidnam per ea significare voluerit (§. 459.); non ita eadem interpretari licet, ut stante interpretatione nihil actum esse sequatur, consequenter iuterpretatio istiusmodi non admittenda. *De nullitate in interpretando non admittenda.*

Exemplum illustre præbet casus apud *Quintilianum* declam. 332. quem hisce verbis describit. Pauper & dives amici erant. Dives testamento alium amicum bonorum instituit hæredem: pauperi jussit dari id, quod ille sibi testamento daret. Apertæ sunt tabulæ pauperis: omnium bonorum instituerat hæredem. Petit totam divitis hæreditatem. Ille, qui scriptus erat, vult dare tantum, quantum in censum habet pauper. Quodsi valeat interpretatio pauperis, ut ea mens fuisse dicatur diviti, quod hæreditatem totam habere debeat pauper, si omnium bonorum hæredem ipsum instituerit; institutio hæredis scripti nullum haberet effectum, adeoque nihil egisset dives, dum eum hæredem instituit. Pauperis itaque interpretatio admitti nequit. Ita *Brasidas* apud *Thucydidem* lib. 4. cum promisisset se agro Bœoto decessurum, male negabat agrum esse Bœotum, quem exercitu insideret. Admissa enim hac interpretatione, nihil actum erat, cum ita conveniretur, ut agro Bœoto decederet *Brasidas*. Huc etiam pertinet casus apud *Carpzovium* part. 3. const. 20. def. 5. quo inter virum & uxorem in pactis dotalibus conventum fuerat, ut uxor superstes certam portionem ex bonis mariti haberet, maritus vero eidem in testamento aliquid legaverat. Quando enim quæritur, an legatum hoc in portionem pactis dotalibus comprehensam computari debeat; ubi hoc affirmare volueris, legando nihil actum, adeoque hæc interpretatio, quasi ea fuerit mens legantis, admittenda non est.

§. 486.

BIU Cujas

§. 486.

Idem porro expenditur. Quoniam ea interpretatio non admittenda, qua ſtante ſequitur, nihil actum eſſe (§. 485.); *ſi verborum ſignificatui ſtricte inhærendo ſequatur nihil actum eſſe, ita facienda interpretatio, ut aliquid actum ſit, vel ut res, de qua agitur, valeat, non pereat. Idem valet, ſi ambigua fuerit oratio.*

Convenit hoc cum l. 12. ff. de reb. dub. Quoties in actionibus aut in exceptionibus ambigua oratio eſt; commodiſſimum eſt id accipi, quo res, de qua agitur, magis valeat, quam pereat. Hinc in caſu apud *Quintilianum*, quem modo memoravimus, facienda interpretatio, ut hæres ſcriptus tantum det pauperi, quantum ipſe in cenſum habet. Et in caſu ſecundo dicendum, Braſidæ fuiſſe decedendum agro, quem exercitu inſidebat; in tertio autem, viduæ una cum portione in pactis dotalibus conventa deberi legatum. Enimvero ſi interpretatio ita facienda, ne nihil actum ſit, vel ut evitetur abſurdum; contingere poteſt, ut non una ſit interpretatio, qua abſurditas, vel nullitas vitatur. Ex aliis itaque regulis tum dijudicandum, quænam eligi debeat. Immo etiamſi vi regulæ præſentis eliciatur ſtatim interpretatio menti dicentis conveniens; in caſu tamen particulari particulares dantur rationes, quæ interpretationem confirmant. Cumque rationes ſpeciales apertius oſtendant mentem dicentis, eædem negligendæ non ſunt. Ita in exemplo primo facile patet, teſtatorem magis faviſſe hæredi ſcripto, quam legatario, conſequenter præſumi minime poſſe, quod voluerit, ut ex aſſe hæres ſit pauper, ſi ſe hæredem omnium bonorum ſuorum inſtituerit. Similiter haud obſcure colligitur; teſtatorem voluiſſe, ut ſit æqualitas inter legatum & id, quod a paupere amico ſperare poterat, ſiquidem ei ſupervixiſſet. Et in caſu *Braſidæ* conſtat, agrum, quem quis exercitu inſidet, nondum eſſe ſuum. Similiter in tertio maritus faviſſe intelligitur uxori, adeoque voluiſſe, ut plus haberet, quam ex pactis dotalibus ipſi debetur.

§. 487.

De interpretatione ex conjunctis origine. *Si quæ obſcure dicuntur, in antecedentibus vel conſequentibus, vel alio loco & occaſione ſine obſcuritate dicta ſunt; ea, quæ obſcure dicuntur, ita interpretanda ſunt, ut cum verborum perſpicuorum ſignificatione conveniant.* Etenim ubi manifeſtum non eſt, aliquem voluntatem ſuam mutaſſe, idem velle quis præſumitur, ubi obſcure dicit, quæ velit, quam ubi idem ſine obſcuritate dixit. Quamobrem cum verba ita interpretanda ſint, ut quænam fuerit mens dicentis appareat (§. 459.); ſi quæ obſcure quis dixit, in antecedentibus, vel conſequentibus, vel alio etiam loco & occaſione idem dixit ſine obſcuritate, quin iſta interpretanda ſint, ut cum horum ſignificatione conveniant dubitandum non eſt.

Grotius tres locos memorat lib. 2. c. 16. §. 4. ex quibus voluntatis conjecturæ petuntur, materiam, effectum & conjuncta. De iis, quæ petuntur ex materia, diximus §. 482. de iis vero, quæ ex effectu deſumuntur §. 483. *& ſeqq.* Reſtat ut etiam dicamus de iis, quæ ex conjunctis derivantur. *Conjuncta* vero vocantur, quæ de re eadem, vel affinitatem quandam cum ea habente ab eodem dicuntur. Et *origine conjuncta* appellat *Grotius*, quæ ex eadem voluntate proficiſcuntur, etiamſi alio loco & occaſione dicta: *conjuncta origine & loco* vero, quæ ex eadem voluntate proficiſcuntur in eodem loco dicta. Hæc ideo annotare libuit, ut, quæ hic demonſtrantur, cum iis, quæ *Grotius* tradit, facilius conferri poſſint. Theologi dicunt, *ſenſum erui ex contextu*, ſi eorum, quæ obſcurius dicta ſunt, ſenſus inveſtigatur ex collatione cum antecedentibus & conſequentibus: aſt *ex locis parallelis*, ſi quæ in uno loco obſcurius dicta videntur, explicantur per ea, quæ alio in loco conſpicue de eadem materia dicuntur. *Interpretatio ex contextu* eadem eſt cum interpretatione *ex conjunctis origine ac loco*; *interpretatio vero per loca parallela* eadem cum interpretatione ex conjunctis origine tantum, ſed non etiam loco. De priore interpretatione loquitur *Auguſtinus* contra *Adamantium* c. 42. Quando: particulas, inquit, quaſdam de ſcripturis eligunt, quibus decipiant imperitos, non connectentes ea, quæ ſupra & infra ſcripta ſunt, ex quibus voluntas & intentio ſcriptoris poſſit intelligi. De poſteriori *Cicero* intelligendus de inventione l. 2. quando ſcribit: qua in ſententia ſcriptor fuerit, ex ceteris ejus ſcriptis, ex factis, dictis, animo atque vita ejus ſumi oportebit.

§. 488.

BIU Cujas

§. 488.

Ita facienda interpretatio eſt, ut inferiora & ſuperiora textus inter ſe concordent, niſi manifeſto appareat, per inferiora ſuperiora fuiſſe mutata. Etenim non modo nemo vel- le præſumitur, quæ ſibi mutuo contrariantur; verum etiam, quæ quis dicit, nunc ad antecedentia, nunc ad conſequentia refert, ut adeo nonniſi per ſuperiora intelligantur, vel per inferiora explicentur. Quamobrem ſi verba ejus intelligere volueris, neceſſe eſt, ut nunc antecedentium, nunc conſequentium, nunc utrorumque rationem habeas, adeoque quæ dicuntur cum ſuperioribus & inferioribus conferas. Quoniam itaque intellectum verborum quæris, ubi ea interpretari volueris (§. 459.); ita facienda interpretatio eſt, ut inferiora & ſuperiora textus inter ſe concordent. *Quod erat unum.* *Idem porro expenditur.*

Quodſi vero & ſuperiora, & inferiora adeo clara fuerint, ut per ſe intelligi poſſint, atque adeo manifeſto appareat, inferiora aliam indicare mentem dicentis, quam ſuperiora (§. 459.), conſequenter ſuperiora per inferiora fuiſſe mutata (§. 290. *Ontol.*); ſtandum utique eſt eo, quod poſterius placuit. Atque adeo interpretatio tum ita facienda non eſt, ut inferiora cum ſuperioribus concordent. *Quod erat alterum.*

Homines amant brachyologiam. Quodſi ergo ipſorum intentio ex antecedentibus fuerit ſatis manifeſta, ut per ea, quæ dicuntur, intelligatur, etiamſi non ſatis determinate mentem ſuam exprimant; ita loqui ſolent, ut verba extra contextum ſpectata in alium ſenſum a mente ipſorum alienum facile detorqueri poſſint, aut obſcura videantur, quæ ad antecedentia relata ſatis perſpicua ſunt. Patet etiam ſubinde per antecedentia ſatis determinate materia, de qua agitur, quæ ſi rite expendatur lucem affundit verbis in ſequentibus, quæ per ſe obſcuriora videntur. Similiter quando ipſimet prævidemus, ex iis, quæ dicimus, alios non ſufficienter mentem noſtram perſpecturos, vel etiam contingere poſſe, ut verba in alienum ſenſum non ſine quadam ſpecie detorqueantur: ea addere ſolemus in ſequentibus, quæ ambiguitatem omnem tollunt. Immo ſubinde etiam ipſa materia, de qua agitur in ſuperioribus, lucem affundit ei, quæ occurrit in inferioribus, vel contra, quatenus concordia ſpectanda eſt ſive in affirmando, vel negando, ſive in volendo. Quodſi vero manifeſtum fuerit, non dari inter ſuperiora ac inferiora concordiam; contra evidentiam nulla valet præſumtio. Conſentit cum propoſitione præſenti *Celſus* l. 24. de LL. ubi: incivile eſt, inquit, niſi tota lege perſpecta, una aliqua particula legis propoſita judicare & reſpondere. Differt autem propoſitio præſens a præcedente. In præcedente nimirum ſupponitur, idem in uno loco obſcurius dici, in alio autem verbis magis perſpicuis efferri. Aſt in præſente ſaltem ſupponitur, dari affinitatem quandam inter ea, quæ ſuperiori loco extant, & ea, quæ inferius occurrunt, ut unum alteri intelligendo rectius inſerviat. Ex. gr. Ponamus Titium tibi debere viginti modios tritici. Poſtea conveniri, ut loco tritici ſolvatur avena, non expreſſa quantitate. Conventio poſterior foret ſola, ſeu in ſe ſpectata inutilis, cum nulla quantitate expreſſa non conſtet, quid ſit ſolvendum. Enimvero ſi conventio poſterior referatur ad priorem, quam utramque eidem inſtrumento inſertam ſupponere libet; ex quantitate tritici, quæ debebatur, facile determinatur quantitas avenæ ejus loco ſolvendæ, cum conſtet de ratione pretii avenæ ad pretium tritici, qualis ſcilicet fuerit tempore novationis, vel communiter ſtatuitur, ſiquidem de illa non ſatis conſtet.

§. 489.

Si certo conſtet, quænam ratio unice moverit voluntatem alterius, ſeu cur hoc voluerit; verba ita interpretanda ſunt, ut eidem conveniant. Etenim ſi certo conſtet, quænam ratio unice moverit voluntatem alterius; tum nobis manifeſtum eſt, cur hoc, de quo quæritur, quomodo intelligendum ſit, voluerit. Id igitur voluiſſe dicendus eſt, quod ſtante ratione iſta velle potuit ac debuit. Quamobrem cum hæc ſit mens ejus, quam verbis exprimere voluit (§. 459.); ita omnino verba interpretanda ſunt, ut rationi, quæ unice movit voluntatem ejus, cujus mens inveſtigatur, conveniant. *De ratione voluntatis indicio in interpretando.*

Ita donatio propter nuptias non valet, & jam facta revocari poteſt, quando nuptiæ non ſunt conſecutæ. Etenim ratio unica, cur promiſſa fuerit donatio, vel etiam actu facta, fuerunt nuptiæ: quodſi ergo eædem non fuerunt ſecutæ, ceſſante ratione, cur quid promiſſum, vel etiam datum fuerit, ceſſare etiam debet donandi voluntas, & in caſu poſteriori ea intelligitur

BIU Cujas

gitur fuisse voluntas donantis, ut restituatur quod datum, nisi nuptiæ subsequantur. Recte huc refert casum, qui proponitur ab Autore ad *Herennium*, *Puffendorfius* lib. 5. c. 12. §. 10. Lex est, qui propter tempestatem navim reliquerint, omnia perdant: eorum navis ceteraque sint, qui in navi remanserint. Magnitudine tempestatis omnes perterriti navim reliquerunt & in scapham conscenderunt, præter unum ægrotum, qui propter morbum exire & fugere non potuit. Casu navis in portum incolumis delata est. Illam ægrotus possidet. Navim petit ille, cujus fuerat. Nemo non videt, rationem hujus legis unicam fuisse, ut, qui navis servandæ causa periculum vitæ subit, præmio aliquo gaudeat, eoque incitetur ad vires omnes in navim conservandam impendendas, & ne quocunque metu impulsi navem deserant, qui eam servare potuissent, si mansissent. Stante autem hac ratione, non ea dici potest fuisse mens autori legis, ut navim haberet, qui in ea remanere coactus ad eam servandam nihil conferre potuit. Ægrotus itaque eandem prætendere nequit. Nititur propositio præsens principio ontologico, quod posita ratione sufficiente, ponatur id, quod propter eam potius est quam non est (§. 118. *Ontol.*). Hinc enim sequitur, posita ratione unica, propter quam quis quidpiam voluit, ponendum quoque esse id, quod vi illius potius voluit, quam non voluit. Præsens itaque propositio fundamento tam firmo ac inconcusso innixa maximam vim habet in interpretando. Consentit cum propositione præsenti tritum illud: Cessante ratione legis, cessat lex.

§. 490.

De rationibus pluribus conjunctim, vel divisim voluntatem moventibus.

Si plures fuerint rationes, quæ nonnisi conjunctim moverunt voluntatem, ita ut ob unam earum, quod quis voluit, id non voluisset; ita facienda interpretatio, ut nonnisi iis conjunctim conveniat. Quodsi vero plures fuerint rationes, quæ divisim movere potuerunt voluntatem, ita ut ob unam quamlibet earum solam idem voluisset, quod ob eas simul voluit; interpretatio ita facienda, ut singulis divisim conveniat. Etenim si plures fuerint rationes, quæ nonnisi conjunctim moverunt voluntatem, ita ut ob unam earum, quod quis voluit, id non voluisset; omnes istæ conjunctim sumtæ sunt ratio sufficiens, cur quis quidpiam voluerit (§. 56. *Ontol.*). Quamobrem cum posita ratione sufficiente, ponatur id, quod propter eam potius est, quam non est (§. 118. *Ontol.*); positis rationibus istis conjunctim ponitur voluntas. Atque adeo eædem simul sumtæ sunt unice illa ratio, quæ voluntatem moverunt. Quoniam itaque, si certo constet, quænam ratio unice moverit voluntatem, ita facienda interpretatio, ut eidem conveniat (§. 489.); Si plures fuerint rationes, quæ nonnisi conjunctim moverunt voluntatem, ita ut ob unam earum quod quis voluit non voluisset, ita facienda interpretatio, ut nonnisi iis conjunctim conveniat. *Quod erat unum.*

Quodsi vero plures fuerint rationes, quæ divisim movere potuerunt voluntatem, ita ut ob unam earum idem voluisset, etiamsi de altera non cogitasset; quælibet earum spectanda est tanquam ratio unica, quæ voluntatem movit, seu, quod perinde est, tanquam ratio sufficiens, cur id voluerit. Quamobrem cum ita facienda sit interpretatio, ut conveniat rationi, quam unicam esse constat, ob quam quis quidpiam voluit (§. 489.); si plures fuerint rationes, quæ divisim movere potuerunt voluntatem, ita ut ob unam earum solam idem voluisset, quod ob eas simul voluit, interpretatio ita facienda, ut singulis divisim conveniat. *Quod erat alterum.*

Ratio, quæ movet voluntatem, sufficiens esse debet, cum ea posita ponatur volitio (§. 118. *Ontol.*). Ratio autem sufficiens vel simplex esse potest, vel composita. Nec obstat quicquam, quominus subinde dari possint rationes sufficientes plures ejusdem volitionis.

§. 491.

De verbis cum relatione ad aliquid sumtis.

Si verbum quoddam, vel verborum quædam complexio sumitur cum relatione ad aliquid; significatus, quem habet, quando simpliciter sumitur, ita immutandus, ut relationi isti conveniat. Nimirum quando verbum cum relatione ad aliquid sumitur, cum eandem connotet, necesse est, ut significatus ejus aliquid ab ea trahat, adeoque idem subsistere nequit, quem simpliciter sumtum habet. Necesse igitur est hunc ita immutari, ut relationi ad aliud, cum qua sumitur, conveniat.

E. gr.

BIU Cujas

Ex. gr. Major anni pars; quando verba simpliciter accipiuntur, denotat temporis spatium, quod sex menses superat. Enimvero quando duo contendunt de possessione, cui debeatur, l. 156. de V. S. majore anni parte possedisse quis intelligitur, etiamsi duobus mensibus possederit, si modo adversarius ejus aut paucioribus diebus, aut nullis possederit. Tum enim major anni pars sumitur cum relatione ad tempus, quo adversarius possedit, quod minor anni pars est, quam tempus, quo possedit alter, vel etiam nulla, quatenus scilicet tempus nullum spectatur tanquam terminus, unde spatium annuum incipit, adeoque instar principii, sicuti Mathematici in serie numerorum naturali tam positivorum, quam negativorum primo loco ponunt cyphram, seu o, supra quam continua unitatis additione crescunt numeri positivi, & infra quam eodem modo decrescunt privativi. Pendet veritas propositionis præsentis a principiis Grammaticæ universalis. Quodsi enim quis omnem artem interpretandi methodo demonstrativa tradere vellet; is supponere deberet Grammaticam universalem atque Rhetoricam, & Logicam tam demonstrativam, quam probabilium eadem methodo in formam scientiæ redactam. Ita nimirum haberemus scientiam generalem interpretandi. Quodsi vero porro desideraretur specialis linguæ cuidam propria; Grammatica specialis in subsidium vocanda foret, ut inde peterentur principia linguæ isti propria. Viam hanc ingressus est Autor quidam in Tractatu de Scientia interpretandi cum in genere omnes alias orationes, tum in specie leges Romanas, opere quinquaginta & quod excedit annorum. Ipse tamen ingenue fatetur, se nondum penitus absolvisse omnia, quæ dicenda fuerunt. Cum lex naturæ nos obliget ad actionum rectitudinem (§. 189. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*); dubium non est, quin etiam nos obliget ad rectitudinem in interpretando: quod in pactis & promissis tanto evidentius patet, quia in iis adimplendis sine recta interpretatione legi naturæ satisfieri haud raro non potest. Quoniam vero in actione humana recta nihil desiderari debet ex parte intellectus (§. 79. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); autoritate legis naturæ pro recta haberi nequit interpretatio, nisi quæ ita sese habet, ut ex principiis antea dictis demonstrari possit. Equidem non nego fieri posse non una de causa, in quam nobis jam inquirendum non est, ut absque scientia, quam diximus, interpretandi recta sæpius fiat interpretatio, quemadmodum bene sæpissime ratiocinantur, qui Logicam artificialem non didicerunt, naturali contenti; quemadmodum tamen propterea Logica artificialis non est inutilis, ac minus recte damnatur ab ignorantibus, ita quoque Hermeneutica artificialis, quæ nomen suum tuetur, non eo nomine damnanda, quod sine ea in rectas quoque interpretationes inciderint interpretes casu temerario. Neglectus solidioris scientiæ interpretandi quantum noceat, abunde docet copia disputantium & pugnantium sententiarum tam in Theologia, quam in Jurisprudentia; & hoc permovit Autorem modo laudatum, ut ad scientiam interpretandi solidiorem investigandam animum appelleret.

§. 492.

De sententia orationis divisim, vel conjunctim accipienda.

Sententia orationis alia subinde est in sensu conjuncto, alia in diviso, seu, si verba conjunctim & si divisim accipiantur. Patet hoc per exempla. Ita v. gr. posse dormientem vigilare in sensu conjuncto significat, eum, qui dormit, vigilare posse dum dormit; in sensu autem diviso, eum, qui nunc dormit, posse vigilare dum quid fit, aut fieri debet, vel tempore sequente. Hinc consequitur, *in interpretando attendendum quoque esse, utrum sententia orationis sit divisim, an conjunctim accipienda.*

Simile exemplum est, quando dicitur: Ægrotus est sanus, item Lazarus mortuus vivit. In priori enim casu sensus hic est, qui erat ægrotus, vel ægrotus dicebatur, sanus est; in posteriori Lazarus, qui erat mortuus, vivit, quando sententia orationis divisim accipitur. Equidem ad interpretationem in exemplis datis ducere videtur regula, quod ea ita facienda, ut evitetur absurdum (§. 484.); non tamen propterea regula præsens inutilis videri debet, cum per eam pateat, ita interpretationem fieri posse, ut absurdum vitetur.

§. 493.

De significatu latiori & strictiori.

Si verba quædam, aut verborum complexio nunc pauciora, nunc plura significat; in priori casu *significatum strictiorem*, in posteriori *latiorem habere*, vel etiam in isto *in significatu strictiori*, in hoc *in latiori sumi* dicuntur. Dari autem istiusmodi voces & verborum complexiones, quæ significatum duplicem, alterum strictiorem, alterum laxiorem, seu latiorem habent, exempla probant; veluti quando idem est nomen speciei unius & generis, ut cognatio & adoptio; quando nomen aliquod masculinum sumitur etiam pro communi, ut *si quis* tam de masculis solis, quam de masculis & fœminis

BIU Cujas

minis simul usurpatur, canis tum pro mare, tum pro mare & fœmella, seu utroque sexu; quando usus artis latius patet, quam popularis usus, seu eadem vox tanquam terminus technicus ad alia significanda producitur, quam fert communis usus loquendi, veluti si in Jure mors præter mortem naturalem significat etiam civilem, nempe deportationem; quando etiam pro subsstrata materia verborum aliqua complexio ad plura extenditur, vel ad pauciora restringitur, quam proprius verborum significatus admittit, veluti si mittere auxilium nunc significet mittere auxilium cum impendiis, nunc vero mittere auxilium sine impendiis.

Cognatio nimirum in genere complectitur sub se agnationem & cognationem in specie sic dictam; adoptio autem arrogationem & adoptionem in specie sic dictam. Similiter culpa sub se continet dolum & culpam in specie sic dictam tanquam suas species. Ita plura dantur animalia, quorum utrique sexui convenit nonnisi nomen commune, etsi istud sit vel masculini generis, ut canis, passer, vel fœminini, ut columba, alauda. Usus artis non modo verborum significatum ampliorem reddit, seu extendit ultra usum vulgarem, verum etiam subinde restringit, prout commodum visum fuerit. Ita verbum in Grammatica tanquam terminus technicus multo strictiorem habet significatum, quam in communi sermone. Significatum latiorem subinde etiam peperit abusus, in ipso etiam communi sermone, veluti cum studiosum Theologiæ vocamus Theologum, ut quando dicitur in Academiis Theologos semper esse nequissimos, vel studiosum Philosophiæ Philosophum & Logicæ Logicum. Tum enim significatus entis actu extenditur etiam per abusum ad ens potentia. Istiusmodi autem *significatus* rectius dicuntur *abusivi*.

§. 494.

Favorabile & odiosum quid sit.

Favorabile dicitur, quod ad utilitatem alicujus promovendam facit. *Favere* enim, ut *Schardius* notat in Lexico Juridico, idem est ac commodum, seu utilitatem alicujus tueri ex animo. *Odiosum* igitur, quod eidem opponitur, appellatur, quod ad utilitatem alicujus promovendam non facit, eumque onerat.

Difficile videtur definire, quid favorabile dicatur, quid odiosum. Unde & *Grotius* de J. B. & P. lib. 2. c. 16. §. 10. missa definitione favorabilis ac odiosi tantummodo recenset, quænam in pactis ac promissis habenda sint pro favorabilibus, quænam pro odiosis, eundemque sequitur *Pufendorfius* verba ipsius, quemadmodum in aliis, ita etiam hic repetens. Non tamen videmur nobis a significatu in Jure recepto recessisse in definiendo favorabili ac odioso, non modo quod cum *Schardii* interpretatione verbi favere consentiat significatio tradita, verum etiam quod ex definitionibus nostris sequatur, ea esse favorabilia ac odiosa, quæ in illorum ac horum censum refert *Grotius*. Bene autem observat *Schardius* loc. cit. quoties mentionem favoris facit lex, non accipiendum esse vagum aliquem ac proclivem hominis affectum, qui sæpe solet errare in delectu honesti; sed intelligendam esse utilitatem quandam adeo conjunctam justitiæ, ut favor nihil aliud censeri possit, quam ipsum jus: siquidem jus a causa finali inspectum nihil aliud sit, nisi honestæ utilitatis dispensatio ad transigendam hanc vitam civiliter secundum voluntatem Dei.

§. 495.

Quænam in pactis ad favorabilia referenda.

Quoniam favorabile ad utilitatem alterius promovendam facit (§. 494.), pacta vero mutuas promissiones continent (§. 788. *part. 3. Jur. nat.*); *favorabilia in pactis sunt, quæ ad communem spectant utilitatem, & utrique parti æqualiter consulunt*. Unde porro consequitur, *promissi favorem eo majorem esse, quo major est ac quo latius patet ista utilitas*.

Atque hæc sunt, quæ in pactis ad favorabilia refert *Grotius*. Æquitati nimirum maxime convenit, ut æqualis sit pacisentium conditio, quemadmodum patet ex iis, quæ de æqualitate in contractibus observanda alias demonstravimus. Nisi enim adsint rationes, quæ contrarium suadent, nemo præsumitur alienæ utilitati magis consultum voluisse, quam propriæ.

§. 496.

BIU Cujas

§. 496.

An inæqualitas in pactis odiosa.

Quoniam in pactis favorabilia sunt, quæ utrique parti æqualiter consulunt (§. 495.), favorabilia non sunt, quæ partem alteram tantum onerant aut plus onerant altera, consequenter cum odiosa sint, quæ favorabilia non sunt (§. 491.); *odiosa* utique *sunt in pactis, quæ partem alteram tantum onerant, aut plus onerant altera.*

Sequitur idem etiam inde, quod utilitatem alterius non promoveat, quod ipsum onerat, id vero odiosum sit, quod ipsius utilitatem non promovet (§. 494.). Si alter tibi vicissim præstat, quantum tu præstas ipsi, præstatio onus non est. Ast si quis præstare debet alteri, pro quo nihil vicissim recipit, id utilitati ipsius obstet, eumque onerat. Ubi igitur utriusque spectanda est utilitas, vel spectandum commodum utriusque, ille oneratur, qui præstare quid debet, pro quo vicissim nil recipit, adeoque & plus præstare, quam ipsi ab altero præstatur.

§. 497.

An pœnale quod est sit odiosum.

Cum per ipsam pœnæ notionem constet, ea utilitatem ejus, qui punitur, non promoveri (§. 285. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ac idem de pœna conventa, quæ pactis adjicitur, pateat (§. 606. *part.* 3. *Jur. nat.*); odiosum vero sit, quod utilitatem nostram minime promovet (§. 494.); *quæ pœnam continent, odiosa sunt.*

In pactis locum non habent nisi pœnæ conventionales, quæ in aliqua præstatione consistunt, pro qua nihil vicissim recipis (§. 606. *part.* 3. *Jur. nat.*), consequenter quæ te tantummodo onerat. Quamobrem cum odiosa sint in pactis, quæ partem alteram tantummodo onerant (§. 496.); pœnæ pactis adjectæ ad odiosa utique referendæ. Ne vero quis existimet, in ceteris pœnis non æque manifestum esse per definitionem odiosi, quam dedimus (§. 492.), quod eædem in odiosorum numero sint; sequentia perpendat velim. Mulcta, quæ in pecunia consistit, non facit ad utilitatem ejus, qui mulctatur, cum perdat, quod habet. Enimvero aliæ pœnæ pecunia redimi solent, adeoque in mulctas mutantur, & quilibet puniendus, si fieri posset, sive physice, sive moraliter, pecunia pœnam redimere mallet. Quamobrem cum mulcta non faciat ad utilitatem ejus, qui mulctatur; multo minus pœnæ aliæ, quæ mulcta majores æstimantur, ad utilitatem ejus, qui punitur, facere possunt.

§. 498.

An odiosæ sint, quæ actus irritos faciunt.

Denique cum contra utilitatem tuam sit, si actus tibi utilis irritus fiat, odiosum vero sit, quod contra utilitatem tuam fit (§. 494.); *Quæ actus faciunt irritos, sive ex toto, sive ex parte*, consequenter *etiam quæ de prioribus aliquid immutant, odiosa sunt.*

Paciscuntur homines invicem utilitatis suæ causa. Quamobrem si pacta ipsorum irrita fiunt, id contra utilitatem ipsorum est, atque ideo odiosum quidpiam. Aliud est, si mutuo dissensu pactum dissolvunt, tum enim major utilitas est in pacti dissolutione, quam in ejus adimpletione.

§. 499.

De mixtis ex favorabilibus & odiosis.

Si favor & odium concurrunt, id *Mixtum* dicitur, scilicet ex favorabili & odioso. *Quando itaque interpretatio fieri debet vel favoris, vel odii causa; mixtum accensetur favorabilibus, si favor prævalet, si vero odium prævalet, odiosis accensetur.*

An aliquid sit favorabile, an odiosum, plerumque absque difficultate cognoscitur, cum quilibet facile sentiat, quid ad utilitatem suam faciat, quid eidem repugnet. Ast quid mixtum sit, non semper adeo facile cognitu, cum non eodem modo pateat, utrum quod favorabile est, an quod odiosum prædominetur. *Grotius* lib. 2. cap. 16. §. 10. exempli loco affert mutans priora sed pacis causa, quod pro magnitudine boni aut mutationis modo favorabile, modo odiosum censeri debet. Recte autem idem addit, ceteris paribus favorem censendum esse potiorem, nimirum ut ab odiosis abstineatur, nisi favorabile quod odiosum est insigniter superet, veluti si auxilium denegetur, quod favorabile, quando ferendum contra socios, quod odiosum.

BIU Cujas

§. 500.

Quomodo verba interpretanda in favorabilibus.

In favorabilibus verba sumenda sunt secundum totam proprietatem usus popularis, &, si plures sint, eam, quæ latissima est. Etenim quoniam favorabile ad utilitatem promovendam facit (§. 494.); qui favorabile quid promittit, vel in gratiam alicujus constituit, is declarat animum utilitatem alterius promovendi, adeoque cum nihil obstet, quo minus verba sumantur in eo significatu, quem habere possunt, & contra dicentem pro vero habendum sit, quod sufficienter indicatum (§. 427. *part.* 3. *Jur. nat.*), verba utique sumenda sine ulla restrictione in eo significatu, quem iisdem tribuit usus loquendi, consequenter secundum totam proprietatem usus popularis (§. 139. *Log.*). Quodsi vero usus loquendi plures admittat significatus, cum jam quæratur, quinam alteri sit præferendus, quoniam qui loquitur nullo modo indicat, se verborum suorum significatum restringi voluisse, sumenda erunt verba secundum eam proprietatem, quæ latissima est.

Ostenditur etiam hoc modo. Agitur hic de interpretatione pactorum & promissorum mere liberalium, atque eorum, quæ in favorem alicujus constituuntur. Quæ in pactis favorabilia sunt, ea ad communem utilitatem spectant, & utrique parti iisdem æqualiter consulitur (§. 495.). Quamobrem cum communis utilitas ratio sit, cur ita convenerint (§. 56. *Ontol.*); nulla quoque ratio urget, cur præsumatur, eos a significatu proprio, seu eo, quem verba ex communi loquendi usu habere possunt, recessisse, consequenter in favorabilibus interpretandis sumenda sunt verba secundum totam proprietatem usus popularis &, si plures fuerint, eam, quæ latissima est.

Si alteri quid mere liberaliter promittis, scilicet quod gratis quid dare, vel facere velis, consequenter ut nihil vicissim a promissario recipias (§. 18. *part.* 4. *Jur. nat.*), ex mera benevolentia; utilitati ipsius consulere vis. Quamobrem cum per hoc, quod utilitati ipsius consulere velis, ex mera benevolentia minime intelligatur, te verborum, quibus mentem tuam exprimis, significatum restringere voluisse, nulla quoque ratio est, cur eundem restringere velis (§. 56. *Ontol.*), consequenter id sufficienter indicatum intelligitur, quod fert usus loquendi. In promissis adeo mere liberalibus interpretandis verba sumenda sunt secundum totam proprietatem usus popularis, nisi aliunde aliud appareat (§. 489.).

Denique si quid in favorem alterius constitutum est, utilitas ejus unica ratio est, quæ constituentem movit ad hoc constituendum (§. 494. *h.* & §. 56. *Ontol.*), nimirum ita constituit, quia voluit, ut consulatur utilitati alterius. Patet igitur ut ante, verba sumenda esse secundum totam proprietatem usus popularis &, si plures fuerint, eam, quæ latissima est.

Ex. gr. Si duo vicini inter se conveniant, ut uterque in alterius agro feras capere possit; interpretatio ita fieri nequit, ut excipiantur cervi, vel apri, aut conventio tantummodo intelligatur de feris, quarum major est copia, non de rarioribus. Quodsi vero excipiantur cervi, cum usus loquendi ferat, ut etiam cervæ sub hac denominatione contineantur, hæ etiam exceptæ intelliguntur. Si tibi mere liberaliter promitto convictum per certum tempus, toto hoc tempore tam ad prandium, quam ad cœnam accedere potes, cum hoc conveniat communi usui loquendi, nisi constet, me cœnam instruere non solere: tum enim menti meæ tantummodo convenit, ut mecum prandeas, & satis patet, me nonnisi de prandio cogitasse, cum tibi convictum promiserim. Favorabilia in dubio extendenda sunt, non vero ultra mentem dicentis manifestam (§. 427. *p.* 3. *Jur. nat.*). In favorem possessoris constitutum est in interdicto recuperandæ possessionis, quod *unde vi* appellatur §. 6. *I.* de interdict. ut ei, qui vi dejectus est, restituatur possessio. Quoniam igitur significatus laxior fert, ut alterum vi dejicere etiam is dicatur, qui ad suum accedere vetatur; jam olim *Cicero* interdictum unde vi ad hunc quoque casum extendit. Et in eodem interdicto Imperator *armorum* appellatione non solum scuta, & gladios, & galeas; sed & fustes & lapides significari monet. Forsan non deerunt, qui existimaturi sunt, promissiones mere liberales non recte ad favorabilia referri, ubi de lata earum interpretatione agitur. Quamvis enim favorabiles sint respectu promissarii, cujus utilitati consulitur; cum tamen nonnisi ejus utilitati unice consulatur, & promissor gravetur, qui ad præstationem gratuitam obligatus est, eas respectu promissoris odiosas esse dicendas, consequenter easdem potius rese-

referendas esse ad mixta ex odiosis & favorabilibus (§. 499.). Ast tenendum est, promissionem mere liberalem ex mera benevolentia proficisci, cui termini ponendi non sunt, si eam non restrinxit promissor. Quamvis vero is animum mutare possit, ut posthac promissionem restringere velit contra proprium verborum significatum; non tamen quæritur, quem nunc animum habeat, quando promissio adimplenda, sed qui fuerit animus, cum promitteret. Et quoniam verborum suorum interpres ipse esse nequit (§. 461.), præter hæc vero alia in præsenti indicia non adsunt, *per hypoth.* proprio verborum significatui utique inhærendum (§. 469.).

§. 501.

Quoniam in favorabilibus verba sumenda sunt secundum totam proprietatem usus popularis, &, si plures sint, eam, quæ latissima est (§. 500.), tum autem sumuntur in significatu latiori (§. 493.); *in favorabilibus verba sumenda sunt in latiori, immo latissimo, si quis datur, significatu recepto.* *De lata favorabilium interpretatione.*

Vulgo dicitur: Favorabilia sunt extendenda. Quomodo autem extendenda sint, ex differentia significatus latioris & strictioris patet (§. 493.), & exempla, quæ modo dedimus (*not.* §. 500.), extensionem istam illustrant. Patebit autem ex sequentibus, quomodo vitetur, ne ea in abusum trahatur, præsertim in promissionibus mere liberalibus.

§. 502.

Si quis artis fuerit peritus, vel peritorum artis consilio utatur, & terminus technicus laxiorem habuerit significatum; ejus verba in favorabilibus laxius sumenda, ut scilicet includant significationem artis. Etenim in favorabilibus verba sumenda sunt in significatu laxiori (§. 501.). Quamobrem cum artis peritus, vel peritorum artis consilio usus norit significatum artis, quem scilicet termini technici habent, & hic sit laxior eo, qui obtinet secundum usum popularem *per hypoth.* in favorabilibus interpretandis verba ejus, qui artis peritus est, vel peritorum artis consilio utitur, in significatu laxiori sumenda, quem scilicet habent termini technici. *Quando in favorabilibus laxior significatus terminorum technicorum admittendus.*

Zieglerus hoc affert exemplum. Statutum est, ut valeat ultima voluntas facta coram tribus testibus. Quoniam in Jure voluntas ultima tam codicillos, quam testamenta significat, & statuti conditor Juris peritus supponitur; ultima voluntas intelligetur tam de codicillis, quam de testamentis, ita ut juxta statutum dicendum sit, valere testamenta coram tribus testibus facta, valere etiam codicillos coram totidem testibus factos.

§. 503.

In favorabilibus verba sumenda non sunt in significatu improprio, nisi alioquin absurdum aliquid, vel pacti inutilitas sequatur. Etenim in pactis & promissis interpretandis a communi loquendi usu recedendum non est, nisi adsint rationes urgentes in contrarium (§. 470.). Quamobrem quamdiu nullum sequitur absurdum, nec pactum vel promissio inutilis est, etiamsi in interpretando a proprio verborum significatu minime recedas; nec ab eo recedendum erit. *Quod erat unum.* *An in favorabilibus admittendus significatus improprius.*

Enimvero si verborum significatui stricte inhærendo sequatur aliquod absurdum, vel sequatur nihil actum esse; ita facienda interpretatio, ut absurdum istud evitetur (§. 484.), vel aliquid actum sit (§. 486.). Quod si ergo in favorabilibus interpretandis sumas verba in significatu proprio, ac inde sequatur absurdum aliquod, vel pacti inutilitas, seu nullitas; etiam hic ita facienda interpretatio, ut absurdum evitetur, vel aliquid actum sit, seu actus valeat. Quamobrem si recurrendo ad significatum improprium, absurdum, vel nullitas pacti evitari possit; in favorabilibus quoque interpretandis admittendus est significatus verborum improprius.

Nimirum quod in genere de interpretandis pactis ac promissis demonstratum est; id etiam valet quoad favorabilia in pactis vel promissionibus contenta.

§. 504.

BIU Cujas

§ 504.

Quando favorabilia strictius interpretanda.

Si ex eo, quod verba sumantur in significatu recepto, sequatur aliquod absurdum, vel quod iniquum est; in favorabilibus quoque verba strictius sumenda, quam fert significatus proprius, ut absurditas, vel iniquitas evitetur. Etenim in genere ita facienda interpretatio, ut absurdum evitetur, si verborum significatui stricte inhærendo sequatur aliquod absurdum (§. 484.). Cumque iniquum sit, quod est contra jus imperfectum alterius (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque charitati repugnat; facile patet, nec præsumendum esse, quod quis se alteri obligare voluerit ad id, quod manifesto iniquum est. Quamobrem & in genere ita facienda interpretatio, ut manifesta iniquitas evitetur, si verborum significatui stricte inhærendo manifesta sequatur iniquitas. Quoniam itaque quæ de pactis & promissis in genere demonstrata sunt, ea etiam valent de pactis & promissis, quæ favorabilia continent; si ex eo, quod verba sumantur in significatu recepto, sequatur aliquod absurdum, vel quod iniquum est, in favorabilibus quoque verba strictius sumenda, quam fert significatus eorumdem proprius, ut absurditas vel iniquitas evitetur.

Ob iniquitatem pacta non dissolvuntur. Cur enim te alteri obligavisti ad id, quod iniquum est, quando iniqua petenti denegare poteras, quæ petebat? Tibi imputes, si hoc feceris. Aut si nonnisi iniqua promittendo damnum majus avertere poteras, id patienter erit ferendum, cum ferendum sit, quod mutari non potest. Quando itaque evidens est, quid promiseris, consequenter quod te ad id, quod iniquum est, obligaveris; contra evidentiam non alia facienda interpretatio (§. 460.). Quamobrem nec favorabilia extendenda, nec contra verborum proprietatem restringenda, ubi manifestum est, te quod iniquum est promittere voluisse. Id, quemadmodum omnis interpretatio, tantummodo locum habet in dubio, ne quis contra æquitatem obligetur ad id, ad quod se alteri obligare minime voluit. In dubio nimirum nec contra charitatem fit præsumtio, cum ad eandem omnes obligemur (§. 621. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quod vero *iniquum* sit, *quod charitati adversatur*, quemadmodum sumsimus in demonstratione, haud difficulter ostenditur. Etenim charitas complectitur omnia officia hominis erga alios (§. 654. *part.* 1. *Jur. nat.*). Ad officia vero humanitatis cogendi jus cum nemo hominum habeat (§. 658. *part.* 1. *Jur. nat.*); quod contra charitatem est, id contra jus imperfectum alterius est (§. 237. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); adeoque iniquum (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Non absimili modo ex adverso colligitur, *æquum esse, quod charitati convenit.*

§. 505.

Quando restrictio facienda ob utilitatem vel æquitatem.

Si ex verborum proprietate equidem non sequitur, quod absurdum, vel iniquum est, manifesta tamen æquitas, vel utilitas in restrictione est; favorabilia ita restringenda, ut intra arctissimos proprietatis terminos subsistatur, nisi circumstantiæ aliud suadeant. Quoniam enim ad charitatem obligamur (§. 621. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter etiam ad id, quod æquum est (*not.* §. 504.); quilibet præsumitur velle, quod æquum est. Et quoniam utilitatis gratia contrahunt homines, in pactis, immo quibusvis actibus ad hominum utilitatem tendentibus, quilibet præsumitur velle, quod utile est. Quod si ergo in restrictione verborum ejus, qui loquitur, manifesta sit utilitas, vel æquitas, verborum significatus proprius etiam in favorabilibus restringendus. Quoniam tamen in favorabilibus verba sumenda non sunt in significatu improprio, nisi alioquin absurdum aliquod, vel pacti inutilitas sequatur (§. 503.), ex significatu autem proprio in præsenti non sequitur, quod absurdum est, vel iniquum, nec quod inutile, *per hypoth.* ideo in significatu quidem proprio, sed propter restrictionem admittendam, *per demonstrata*, intra arctissimos proprietatis terminos subsistendum. *Quod erat unum.*

Enimvero si circumstantiæ aliud suadeant, per alias interpretandi regulas restrictio ita fieri nequit. Quamobrem cum contra eas interpretatio fieri nequeat; ubi circumstantiæ non permittunt, ut ob æquitatem, vel utilitatem favorabilia ita restringantur, ut intra arctissimos proprietatis terminos subsistatur; id faciendum non est. *Quod erat alterum.*

Non

BIU Cujas

Non ſemper volunt homines quod eſt utilius, aut quod æquitati maxime convenit. Quando igitur apparet ex circumſtantiis, eum, qui locutus eſt, tale quid non voluiſſe; nec contra voluntatem ejus facienda interpretatio, quippe qua mentem ejus, qui loquitur, inveſtigamus (§. 459.)s Præſumtio, quod quis voluerit, quod utilius, vel æquius, nonniſi in dubio locum habet: tumque requiritur, ut manifeſta ſit utilitas, vel æquitas, cum alias vix veriſimile ſit, de ea cogitatum fuiſſe de eo, qui locutus eſt.

§. 506.

In odioſis verba ſumenda ſunt in ſignificatu ſtrictiori, immo admittitur etiam ſermo figuratus aliquantulum, ut onus nimium vitetur. Etenim odioſa nil faciunt ad utilitatem ejus, qui quid præſtare debet, ſed eum tantummodo oñerant (§. 494.). Quoniam peculiares adeſſe debent rationes, cur quid velit, quod ſe tantummodo onerat, nullam vero ſibi utilitatem affert, quemadmodum ex lege appetitus & averſationis facile colligitur (§. 904. 907. *Pſych. empir.*); nemo etiam præſumitur velle, quod ſe tantummodo onerat, nullam vero ſibi utilitatem affert, conſequenter quod odioſum eſt. Quamobrem ne in dubio verba interpretando ſecundum ſignificatum laxiorem, quem habere poſſunt, qui quid promiſit ultra voluntatem ſuam obligetur, quod fieri minime debet (§. 382. *par.* 3. *Jur. nat.*); in odioſis verba ſumenda ſunt in ſignificatu ſtrictiori, immo ſi nimium adhuc oneretur, onus autem nimium vitari poſſit, admiſſo ſignificatu aliquantulum figurato, veluti metonymico, is etiam admittendus. *Quomodo odioſa interpretanda.*

Vulgo dicitur: odioſa eſſe reſtringenda, in caſu ſcilicet dubio, in quo ſolo interpretatione opus eſt, cum manifeſta ea non indigeant. E. gr. Ponamus conveniri, ut pars una alteri mittat auxilia numero definita ſuis impendiis, pars vero altera eadem auxilia mittat, ſed abſque impendiis. Tunc pars una magis oneratur altera, adeoque auxilia mittere ſuis impendiis odioſum eſt. Quoniam vero verba manifeſta ſunt, ut quid pars utraque alteri promiſerit non ſit dubium, ideo reſtrictione nulla opus eſt. Enimvero ſi auxilia utrinque ſimpliciter fuerint promiſſa, cum ſtrictiori ſignificatui conveniat, quod ſine impendiis mitti debeant, ſeu impendiis ejus, cui mittuntur; in dubio utique cenſentur ſine impendiis promiſſa. In dubio ſtandum eſt præſumtionibus, quæ circa ea, quæ quis voluiſſe cenſetur, legi appetitus & averſationis convenire utique debent. Hinc utique facile præſumitur aliquem velle, quod ad utilitatem ſuam facit, minime autem quod ad eandem non facit, ſed ipſum tantummodo onerat, aut, ſi manifeſtum ſit, quod ipſum onerat, in dubio tamen non præſumitur voluiſſe, niſi quod quam minimum onerat. Æquitati omnino convenit, ne quis magis oneretur, quam quam onerari voluit (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat. &* §. 240. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). In dubio autem præferendum, quod æquus eſt, ita ut ipſa favorabilia ad evitaneum iniquitatem ſint reſtringenda (§. 504.). In interpretandis favorabilibus ac odioſis notioni favorabilium & odioſorum ſoli inhærendum non eſt, niſi quando non aliæ præterea adſunt rationes, quæ conjecturis inſerviunt. Sane huc pertinent ea, quæ paulo ante de favorabilium interpretatione ſtrictiori ac aliquantulum figurata demonſtravimus (§. 507. *& ſeqq.*)

§. 507.

Quoniam in pactis odioſa ſunt, quæ partem alteram tantum onerant, aut plus onerant altera (§. 496.), in odioſis vero verba ſumenda ſunt in ſignificatu ſtrictiori, immo admittendus etiam ſermo aliquantulum figuratus, ut onus vitetur nimium (§. 506.); *ſi in pactis interpretanda, quæ partem alteram tantum onerant, aut plus onerant altera, verba ſumenda ſunt in ſignificatu ſtrictiori, immo etiam ſermo figuratus aliquantulum admittendus, ut onus nimium vitetur.* *De interpretatione eorum, quæ partem tantum unam vel unam plus altera onerant.*

E. gr. Ponamus auxilia promitti ab una ſaltem parte & quidem potentiori. Ne nimium gravetur, qui ea mittere tenetur, auxilia promiſſa intelliguntur impendiis ejus, cui mittuntur, & niſi proſtent rationes in contrarium, ad bellum defenſivum reſtringuntur. Quoniam vero cum potentiori odioſum litigare; ideo omnino conſultius eſt, ut, qui odioſum promittit, dum cum alteto paciſcitur, verbis ſatis perſpicuis ac determinate mentem ſuam exprimat, ne dubitatio ad interpretationem nos ducat. Subinde tamen, quando ſcilicet cum pertinaciori paciſcimur, non ſatis tuto eſt, alteri ſuggerere ea, de quibus non cogitat, adeoque præſtat ita conveniri, ut æqua interpretatione a majore onere liberemur, quod facile nobis imponere potuiſſet pars altera, ſi de eo quæſtio mota fuiſſet.

§. 508.

BIU Cujas

§. 508.

De interpretatione eorum, quæ pœnam continent.

Similiter quoniam odiosa sunt, quæ pœnam continent (§. 497.), in odiosis vero verba sumenda sunt in significatu strictiori, immo etiam sermo figuratus aliquantulum admittendus, ut onus nimium vitetur (§. 505.); *si quæ pœnam continent interpretanda sunt, verba sumenda sunt in significatu strictiori, immo etiam sermo aliquantulum figuratus admittendus, ne qui pœnam debet nimium oneretur.*

Valet hoc etiam de poenis conventionalibus, quæ pactis adjiciuntur, & earum respectu præsens propositio hic potissimum in medium adducitur.

§. 509.

An in pœnis conventionalibus locus sit excusationi & num culpa quævis ad eas imputanda.

Quoniam quæ pœnam continent stricte interpretanda (§. 508. 493.); *quæ pœnam continent, ita interpretanda, ut in pœnis conventionalibus admittatur etiam justa excusatio, quæ liberet a pœna, nec quævis culpa ad pœnam imputetur, præsertim in factis privativis commissa.*

Quod jam sæpius monuimus, idem etiam hic notandum, scilicet quæ hic dicuntur, valere in casu dubio, quando enim quis omni excusationi expresse renunciavit, per se patet, quod nec ulla admittenda sit. Idem dicendum de culpa, si expresse dictum, quamlibet culpam imputari debere. Item utrumque aliter sese habet, si rationes probabiles prostent, quod excusationi non concedendus sit locus, quo tamen & ipso in casu admittenda excusatio, quæ petitur ab eo, quod evitare in nostra potestate positum non fuit, ne quis videatur sese obligasse ultra posse (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), vel quod nonnisi poenæ locus esse debeat, si quis sciens ac volens præstanda non præstiterit, prouti jam ante in genere monuimus (*not.* §. 505.)

§. 510.

De interpretatione eorum, quæ actus irritos faciunt, vel de prioribus quid immutant.

Similiter quia odiosa sunt, quæ actus irritos faciunt, vel de prioribus aliquid immutant (§. 498.), in odiosis autem interpretandis verba sumenda sunt in significatu strictiori, immo aliquantulum figuratus admittendus, ut nimium onus evitetur (§. 506); *Quæ actus irritos faciunt, vel de prioribus quid immutant, ita interpretanda sunt, ut actus aliquis, quantum fieri potest, subsistat, si verborum restrictione hoc obtineri possit, quamvis etiam admittendus sit significatus aliquantulum figuratus, immo ita etiam fieri debet interpretatio, ut quam minimum eodem modo de prioribus mutetur.*

Ita si pactum dissolvi debere conventum fuerit, quando pars una quidpiam fecerit, quod eidem contrariatur, admittenda esse intelligitur non injusta excusatio, nec quævis culpa in hoc imputanda videtur, ut pactum dissolvatur, quemadmodum idem de poenis modo ostendimus (§. 509.). Odiosum inprimis est actum irritum reddi, vel pactum solvi respectu partis illius, cujus maxime interest illum subsistere, aut hoc non dissolvi. Huc igitur quoque respiciendum, quando de restrictiori interpretatione in hoc casu agitur. Aliter sese res habet in probabilibus, quam in certis, seu demonstrativis. In his plures demonstrationes non magis veritatem evincunt, quam una: ast probabilitatem plures rationes diversæ, nec a se invicem dependentes, ubi concurrunt, fortius adstruunt. Conjectatio voluntatis, ad quam redit interpretatio pactorum & promissorum atque legum, ad Logicam probabilium referenda, qua de causa jam superius monuimus, exasciatam interpretationis hujus theoriam a Logica probabilium firmitatem suam expectare.

§. 511.

Quando promissa liberalia strictius interpretanda.

Promissa liberalia strictius interpretanda, si laxius interpretata nimium onerent promittentem, aut circumstantiæ aliæ laxiori interpretationi parum faveant. Etenim si promissa liberalia laxius interpretata nimium onerent promittentem, cum sint ex parte promittentis odiosa, ex parte accipientis seu promissarii favorabilia (§. 494.); odium prædomina-

BIU Cujas

minatur favori. Enimvero quando odium prædominatur, mixtum ex favore ac odio odiosis accensetur (§. 499.). Quamobrem si promissa liberalia laxius interpretata nimium onerent promittentem, odiosis accensenda. Quoniam itaque odiosa strictius interpretanda (§. 506.), si promissa liberalia laxius interpretata nimium onerent promittentem, strictius interpretanda. *Quod erat unum.*

Quod si circumstantiæ quædam laxiori interpretationi parum favent; ex iis colligitur, non tuto sumi posse, quod is fuerit animus promittentis, ut quam abundantissime consulat utilitati promissarii, consequenter favor minime prædominari videtur. Quamobrem cum favorabilibus promissum liberale in hoc casu accenseri nequeat (§. 499.); erit potius non favorabilibus, seu odiosis annumerandum (§. 494.), consequenter interpretationi laxiori locus non est (§. 501.), sed potius strictiori [§. 506.]. *Quod erat alterum.*

Vulgo promissa mere liberalia odiosis accensentur, quod in contractibus in horum numero sint, quæ partem unam tantum onerant (§. 496.). Enimvero jam supra ostendimus, quatenus solius benevolentiæ habetur ratio, ex qua ista proficiscuntur; ea potius ad favorabilia referenda esse (§. 500. *& not. ej.*), quia scilicet tum favor prædominari videtur, ubi conjectura nulla ad contrarium ducit. Sane *Javolenus* l. 3. ff. de constit. Princ. ea de causa dicit, beneficium imperatoris quam plenissime nos interpretari debere; addit enim hanc rationem, quod a divina ejus indulgentia proficiscatur, nec obstat quicquam, quo minus nos addamus, beneficium Principem non onerare solere, nisi manifesta adsit in donando temeritas. Neque tamen semper promissa liberalia ita sunt comparata, ut benevolentia, ex qua proficiscuntur, liberalitati nullos terminos præfigi patiatur. Quamobrem non modo inquirendum, quantum onerent promissorem, sed attendendæ etiam sunt circumstantiæ aliæ, quæ benevolentiam intra certos terminos coarctare videntur. In genere igitur nec affirmare licet, quod promissa mere liberalia semper sint stricte interpretanda, nec quod semper laxius interpretanda, sed hoc admittitur, quamdiu conjectura nulla ad contrarium nos ducit: id quod de probabilibus semper intelligitur, ut valeant, quamdiu non sunt rationes in contrarium. *Cicero* in Topicis ad eorum sententiam accedere videtur, qui promissa liberalia & donationes stricte interpretanda esse contendunt simpliciter. Quando uxori vir legavit omne argentum, quod suum esset, ideirco quæ in nominibus fuerunt legata negat. Multum enim differre ait, in arca positum sit argentum, an in tabulis teneatur. Sed strictam interpretationem non esse admittendam, nisi rationes aliæ eandem suadeant, immo tanto minus admittendam esse, si quæ circumstantiæ faveant laxiori, verius est. Ponamus enim uxorem esse pauperem, & argentum omne, quod habet maritus, tam in arca positum, quam quod in tabulis tenetur, vix sufficere, ut dignitati mariti convenienter vivat, cetera autem bona tam ampla esse, ut hæres argento omni facile carere possit; dubium non est, quin laxior interpretatio sit admittenda, etiamsi supponatur defunctum magis consulere voluisse utilitati hæredis, quam uxoris, adeoque isti magis faviisse, quam huic. Immo si nulla adsit ratio, cur præsumatur magis faviisse hæredi, quam uxori; nec una ratio cogit, ut a laxiori significatu recedamus, quem semper præferendum existimamus, quamdiu non alio ducant conjecturæ particulares aliæ (§. 500.).

§. 512.

Interpretatio facienda de eo, de quo verisimiliter fuit cogitatum; non vero contra idem, vel de eo, de quo verisimiliter cogitatum non fuit. Quando enim interpretamur verba alterius, in id inquirimus, quid per ea significare voluerit consequenter de quonam cogitatum fuerit, cum loqueretur (§. 459.). Quamobrem cum in dubio eligendum sit, quod verisimilius, quod nemo non concedere debet; interpretatio fieri debet de eo, de quo verisimiliter cogitatum fuit. *Quod erat unum.* *Regula generalis interpretandi.*

Enimvero cum idem simul fieri & non fieri nequeat (§. 28. *Ontol.*), interpretatio autem facienda sit de eo, de quo verisimiliter cogitatum fuit, *per demonstrata*; evidens est, eam non esse faciendam de eo, de quo verisimiliter cogitatum non fuit, adeoque multo minus contra id, de quo verisimiliter cogitatum fuit. *Quod erat secundum & tertium.*

Poteramus propositionem præsentem sumere instar axiomatis, cum per definitionem interpretationis, modo ea satis intelligatur, statim pateat ejus veritas. Quando enim obscurius dicta interpretamur, non aliud agimus, quam ut in id inquiramus, de quo verisimiliter cogitatum fuit, quod

BIU Cujas

quod mentem ſuam non ſufficienter indicavit, qui locutus eſt, ut certo conſtet, ſeu demonſtrare poſſit, de quonam locutus fuerit, conſequenter ne aliquid contra eum pro vero habeatur, de quo non cogitavit, vel cogitare non potuit.

§. 513.

Quando vi illius promiſſa liberalia laxius interpretanda, quando ſtrictius.

Quoniam interpretatio facienda de eo, de quo veriſimiliter cogitatum fuit (§. 512.); *promiſſa liberalia laxius interpretanda, quando de eo, quod intra proprietatem verborum ſignificatus laxior, immo etiam aliquantulum figuratus, continet quod veriſimiliter cogitatum fuit, & ex adverſo ſtrictius interpretanda, ſi de eo, quod ſignificatus ſtrictiori convenit, veriſimiliter tantummodo cogitatum fuerit.*

E. g. Si maritus uxori pauperi, aut non admodum diviti legaverit omne argentum, quod ſuum eſſet, perpaucum vero ſit in arca poſitum, ac pretium bonorum reliquorum plurimum ſupere argenrum, quod in tabulis tenetur; veriſimile omnino eſt, maritum cogitaſſe non modo de argento in arca poſito, verum etiam de eo, quod eſt in tabulis, conſequenter legatum laxius eſt interpretandum. Ex adverſo autem ſi uxor locuples fuerit, argentum in arca poſitum haud modicum, quod vero in tabulis eſt plurimum excedit pretium ceterorum bonorum, aut bona immobilia ſint exigui pretii reſpectu ejus argenti, quod in tabulis eſt; veriſimile omnino eſt, maritum non cogitaſſe niſi de argento, quod eſt in arca poſitum, adeoque legatum ſtrictius interpretandum, nec ultra iſtud extendendum.

§. 514.

Idem prrro extenditur.

Quoniam interpretatio non facienda contra id, de quo veriſimiliter cogitatum fuit, vel de eo, de quo veriſimiliter cogitatum non fuit (§. 512.); *contra verborum proprietatem promiſſum liberale reſtringendum non eſt, quando veriſimiliter de eo cogitatum fuit, quod fert ſignificatus proprius, contra eamdem vero reſtringendum, quando veriſimiliter de eo cogitatum non fuit, quod tota verborum proprietas admittit.*

E. gr. Titius, cui filius unicus hæres exiſtit, legat filiæ Sempronii omnes gemmas ſuas: inter eas ſunt baculus & enſis gemmis interſtincti, munera Principum. Circumſtantiæ facile indicant Titium de his non cogitaſſe, cum de gemmis filiæ Sempronii legandis loqueretur. Quamvis adeo tota verborum proprietas admittat, ut ſub gemmis omnibus comprehendantur etiam baculus & enſis gemmi interſtincti; contra eam tamen legatum in caſu præſenti reſtringendum, ut idem excepti intelligantur. Enimvero ponamus hæredem inſtitutum eſſe extraneum, tum veriſimile eſt, Titium improlem, quando omnes gemmas, nullis exceptis, legavit filiæ Sempronii, cogitaſſe etiam de iis, quibus enſis ac baculus interſtinctus, adeoque legatum reſtringendum non eſt contra verborum proprietatem. Neminem offendet, quod, quando de promiſſis liberalibus agitur, exempli loco in medium afferamus legata: etenim donationes & legata iiſdem æquiparantur, quatenus promiſſa liberalia, quæ in dando conſiſtunt, non ſunt niſi donationes futuræ.

§. 515.

Interpretatio ex non prævisis facienda.

Interpretatio ita facienda, quemadmodum eam faceret, qui locutus eſt, ſi præſens eſſet, vel ſi eidem cognita fuiſſent, quæ nunc palam ſunt. Nemo ignorat, nos ſub certis circumſtantiis nolle, quæ iis abſentibus volumus, & per ipſam legem appetitus ac averſationis hoc intelligitur, cum ſub certis circumſtantiis minime bona, immo mala reputemus, quæ iis abſentibus bona judicamus (§. 904. 907. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſi quæ circumſtantiæ emergunt, aut aliquæ ei, qui locutus eſt, cognitæ fuiſſe non videntur, ut adeo de iiſdem cogitare minime potuerit; nullum ſane eſt dubium, quin quod voluit, dum locutus eſt, idem noluiſſet, vel aliud quid voluiſſet, ſiquidem iſta circumſtantias prævidiſſet, aut eas perſpectas habuiſſet. Quod ſi ergo præſens interrogaretur utrum ſtantibus iſtis circumſtantiis idem adhuc velit, an nolit, aut aliud quid velit; dubium non videtur eum reſponſurum, quod nolit, aut aliud quid velit, conſequen-

BIU Cujas

sequenter cum interpretando investigetur mens ejus, qui locutus est (§. 459.), ita omnino facienda interpretatio est, quemadmodum eam faceret qui locutus est, si præsens esset, vel si eidem cognita fuissent, quæ nunc palam sunt.

Exemplum habemus in l. 10. ff. de confirmat. tutor. ubi *Triphoninus* ait: utilitatem pupillorum prætor sequitur, non scripturam testamenti, vel codicillorum. Nam patris voluntatem prætor ita accipere debet, si non fuit ignarus scilicet eorum, quæ ipse prætor de tutore comperta habet. Nimirum si pater jam præsens esset, quando confirmandus est tutor, & ea sciret, quæ comperta habet de eodem prætor, idem dicturus præsumitur, quod prætor statuit. Fit hic interpretatio extra verborum significatum, ut intentioni ejus, qui locutus est, satisfiat, animum attendendo ad rationem, cur quis hoc, quod dixit, voluerit. Ita pater dat liberis impuberibus tutorem ob eorum utilitatem. Talem igitur tutorem iis dare voluisse non intelligitur, qui eorundem utilitati prospecturus non præsumitur, aut damnum, si quod dederit, resarcire nequit. Non est, quod existimes, propositionem præsentem repugnare superiori, quod in pactis, & promissis nemo verborum suorum interpres esse possit (§. 461.). Neque enim hic qui locutus est verba sua interpretatur, tribuendo iisdem significatum pro arbitrio, non attento proprio, quem usus loquendi probat; sed extra significatum verborum, quibus promissio continetur vel lex præscribitur, inquiritur in mentem ejus, qui quid voluit, ab alio, qui de eadem statuere debet, ne quid sit, quod eidem adversatur. Et hæc interpretatio fit contra verborum significatum manifestum, intentioni tamen ejus, qui locutus est, convenienter. Ea scilicet fuisse colligitur mens ejus, qui locutus est, quam verba nulla ex parte indicant, ut, si ad ea tantummodo respicias, dicendum videatur, mentem eam dicenti non fuisse, quam aliud colligis. Bene *Cicero* pro *Cæcina*: Si voluntas tacitis nobis intelligi posset, verbis omnino non uteremur: quia id non potest, verba reperta sunt, non quæ impedirent, sed quæ indicarent voluntatem.

§. 516.

Interpretatio extensiva dicitur, qua ob identitatem rationis sufficientis volitionis, vel nolitionis mens ejus, qui locutus est, extenditur ad casus, sub verbis, quibus promissio, pactum vel lex continetur, secundum totam eorundem proprietatem minime comprehensos. *Grotius* dicitur *extendens*. *Interpretatio extensiva quid sit.*

Vulgo hoc afferri solet exemplum. Qui posthumum expectabat, hæredem scripsit sub hac conditione, si posthumus mortuus sit. Quodsi posthumus non nascatur, vel quia uxor abortum patitur, vel ante partum cum fœtu obiit vidua, vel quia falso pro gravida habita, & tunc quoque hæres agnoscatur, qui scriptus fuerat; interpretatio extensiva est. Nimirum ratio, quæ ad hoc sufficit, ut vellet eum, quem scripserat, sibi esse hæredem, non alia fuit, quam quod cogitaret fieri posse, ut nulla sibi existat proles. Quodsi ergo certo sciviſſet, prolem nullam natum iri; dubium non est, quin pure scripsisset hæredem. Quamobrem cum posthumus dicatur, qui patre mortuo demum nascitur, si verborum proprium significatum spectes, posthumus mortuus dici nequit nisi qui post mortem patris, dum in lucem editur vel editus fuit, moritur. Si ergo verborum proprietatem spectes, conditio, sub qua hæres scriptus est, non existit, si posthumus non nascitur, quacunque de causa hoc contigerit, consequenter verba sequendo, posthumo non nato, qui hæres scriptus fuerat esse nequit: ast si mentem instituentis sequaris, erit utique hæres.

§. 517.

Quoniam per rationem sufficientem volitionis & nolitionis intelligitur, cur quis aliquid potius voluerit, quam noluerit, aut noluerit potius, quam voluerit (§. 56. *Ontol.*); *Si verba, quibus promissio, pactum vel lex continetur, ad casum quendam producere velimus, quem illorum significatus proprius minime comprehendit, nobis inquirendum est, cur promissor hoc promiserit, aut paciscens hoc fieri voluerit, vel etiam legislator hoc præceperit, vel prohibuerit.* *Quodnam investigandum interpretationis extensivæ sit nunc*

Ita in exemplo, quod modo dedimus (*not.* §. 516.), inquirimus, cur testator hæredem instituerit non pure, sed sub conditione, si posthumus, quem expectat, moriatur. Hoc enim ideo factum intelligitur, quod cum posthumum expectaret, quem tamen mori posse putabat,

BIU Cujas

alium ſibi hæredem eſſe noluit niſi in caſu non extituræ prolis, aut, quod perinde eſt, eum, quem inſtituit, hæredem ſibi eſſe voluit in caſu non extituræ prolis. Quodſi enim noviſſet, ſibi non extituram prolem, ratio nulla eſt, cur hæredem non pure inſtituiſſet. Equidem ſunt, qui ſibi perſuadent nos etiam aliquid velle poſſe abſque ratione ſufficiente, ita ut ſæpe ratio moveat ita, ut voluntas tamen ſit cauſa per ſe ſufficiens, etiam ſine ratione illa, ſeu, quod vulgo dicitur, ſtet pro ratione voluntas, atque ipſe *Grotius*, vir alias ſatis acutus, in eam ſententiam abit, alibi tamen oſtendimus ſine motivis nullam dari in anima volitionem ac nolitionem (§. 889. *Pſych. empir.*). Sane niſi hoc certum eſſet, vix unquam tuto ſatis interpretatio extenſiva fieret. Unde enim conſtabit, rationem non ita moviſſe, ut voluntas tamen ſit cauſa efficiens per ſe, etiam ſine ratione illa? Quamvis enim *Grotius* hoc inde colligendum eſſe ſtatuat lib. 2. cap. 16. §. 120. n. 2. quod ratio, ſub quam venit caſus, quem volumus comprehendere, ſit cauſa unica & efficax, quæ promittentem moverit, eaque ratio ab eo conſiderata in ſua generalitate, quia alioquin promiſſio futura fuiſſet iniqua aut inutilis; non tamen hæc ſufficere videntur. Sane in exemplo, quo uſi ſumus ad illuſtrandam interpretationem extenſivam & quod admittunt omnes, inſtitutio hæredis nec iniqua foret, nec inutilis, etiamſi ultra conditionem poſthumi mortui non extenderetur, valeret enim eodem modo, quo promiſſiones conditionatæ valere poſſunt, & in arbitrio inſtituentis poſitum eſt, ſub quanam conditione hæredem inſtituere velit. Immo ſi ea eſſet voluntatis natura, ut abſque motivo determinari poſſit: quidni enim voluntas per ſe determinari poſſit ad inſtituendum hæredem ſub conditione, ſi poſthumus moriatur, non attenta ratione ulla?

§. 518.

Si plures rationes fuerint cur quis quid voluerit, vel noluerit.

Quoniam in interpretatione extenſiva requiritur identitas rationis ſufficientis volitionis & nolitionis (§. 516.), *ſi plures fuerint rationes, ob quas nonniſi ſimul ſumtas, qui locutus eſt quid voluit, vel noluit*, cum omnes ſimul ſumtæ conficiant rationem ſufficientem (§. 56.), *verba ejuſdem ad caſum ſub ſignificatu proprio eorundem non comprehenſum producere non licet, niſi adſint rationes iſtæ omnes ſimul.*

Quemadmodum ad effectum producendum plures concurrere ſolent cauſæ; ita quoque ſæpe ad determinandum voluntatem vel noluntatem plures concurrunt rationes & ſicuti effectus non producitur, ſi una illarum cauſarum deficit; ita quoque volitio, vel nolitio ceſſat, ſi una rationum deeſt. Quamobrem cum ob rationem nonniſi ſufficientem interpretatio extenſiva locum habeat; ſi quo in caſu una tantummodo iſtarum rationum, vel altera abfuerit, ad eum verba ejus, qui locutus eſt, extendere minime licet. Non aliud indicaſſe videtur *Grotius*, dum ad interpretationem extenſivam requirit, ut ratio in caſu dato obtinens ſit unica, quæ movit voluntatem ejus, qui locutus eſt: plures enim rationes particulares, quando nonniſi ſimul ſumi poſſunt, non ſunt niſi ratio unica volitionis, quippe ſine qua voluntas, vel noluntas non determinatur. Quando vero *Grotius* addit, rationem illam unicam etiam efficacem eſſe debere, hypotheſi ſuæ indulget, quaſi ratio ſæpe ita moveat voluntatem, ut voluntas tamen ſit cauſa per ſe ſufficiens, etiam ſine ratione illa. Ratio dici nequit efficax, niſi quatenus voluntas per eam determinatur, quæ ſine ea non determinaretur. Quando autem ratio ſufficiens eſt, voluntas per eam determinatur, ſeu eadem ponitur etiam volitio (§. 118. *Ontol.*). Ratio igitur ſufficiens ſemper efficax eſt, niſi impediatur, alias enim non foret ſufficiens.

§. 519.

Quomodo ſpectanda ratio in interpretatione extenſiva.

Similiter quoniam interpretatio extenſiva facienda ob rationem ſufficientem volitionis vel nolitionis (§. 516.); *neceſſe eſt, ut ratio ad caſum verbis expreſſum applicata ab eo, qui locutus eſt, ſpectata fuerit in generalitate ſua, vi cujus ſub eam etiam venit caſus, quem comprehendere volumus.*

Etenim niſi ratio in genere ſpectata moverit voluntatem ejus, qui locutus eſt, non erit ea ratio ſufficiens volitionis vel nolitionis in eo caſu, ad quem verba illius producere volumus. Quæ enim genere eadem ſunt non ſunt ſpecie eadem (§. 241. *Ontol.*). Identitatem rationis requirit interpretatio extenſiva (§. 516.). Quodſi ergo ratio, quæ movit voluntatem, non ſpecta-

ta fuit in genere, ſed in ſpecie ad caſum verbis expreſſum applicata; nec erit eadem ratio in caſu altero, ubi nonniſi in genere ſpectata ratio iſta convenit. Ex. gr. Attica lege vetitum erat teſtamentum fieri filia invita. Per interpretationem extenſivam recte infertur, ne adoptionem quidem ea invita permitti. Ratio enim erat, ne filia invita privaretur hæreditate. Ea cum in genere

BIU Cujas

genere ſpectetur, non habita ratione modi, quo hæreditas filiæ auferatur; eadem omnino eſt, ſive teſtamentum filia invita fiat, ſive adoptio. Recte igitur a teſtamento vetito ad adoptionem vetitam, ne filia invita fiat, valet argumentatio.

§. 520.

Si eadem ratio ſufficiens volitionis vel nolitionis ſit in caſu aliquo ſub verbis ejus, qui locutus eſt, minime comprehenſo, quæ fuerat in caſu per eadem ſignificato; verba ad caſum iſtum quoque extendenda. Quoniam enim eadem eſt ratio ſufficiens volitionis vel nolitionis in caſu ſub verbis ejus, qui locutus eſt, minime comprehenſo, & eo, qui per ea ſignificatur, *per hypoth.* poſita vero ratione ſufficiente volitionis, vel nolitionis, ponitur etiam ipſa volitio, vel nolitio (§. 118. *Ontol.*); dubitandum non eſt, quin is, qui locutus eſt, dum de caſu ſub verbis ejus minime comprehenſo quæſtio eſt, jam præſens eſſet, verba ſua ad hunc quoque caſum extendi vellet. Quoniam itaque interpretatio ita facienda, quemadmodum eam faceret, qui locutus eſt, ſi præſens eſſet (§. 515.); quando eadem ratio ſufficiens volitionis, vel nolitionis eſt in caſu aliquo ſub verbis ejus, qui locutus eſt, minime comprehenſo, quæ fuerat in caſu per eadem ſignificato, verba ad caſum quoque iſtum extendenda. *Quando interpretatio extenſiva facienda.*

Atque adeo patet interpretationem extenſivam recte fieri ac naturæ voluntatis convenire. Quod ſi altente perpendere velis demonſtrationem præſentem, facile perſpicitur, ſi is, qui locutus eſt, de eo caſu cogitaſſet, ad quem verba ejus producere volumus, eundem quoque mentionem ejuſdem facturum fuiſſe, aut eum non omnes caſus, quos ſub verbis ſuis comprehendere voluit, ſigillatim recenſuiſſe, propterea quod exiſtimavit, ex eo, quod dixit, facile perſpici poſſe mentem ipſius de eo, quod non dixit; atque adeo præteritum exiſtimari non debet, quod ex ceteris, de quibus dictum eſt, intelligi poteſt. Ita quando lege Attica vetitum erat, ne teſtamentum fieret invita filia; facile perſpicitur, legislatorem quoque additurum fuiſſe, ne fieret adoptio invita filia, ſiquidem de eo caſu tum cogitaſſet (*not.* §. 519.). Aſt ſi qui poſthumum expectat hæredem inſtituit ſub hac conditione, ſi poſthumus moriatur, cum hoc faciat conſideratione non extituræ prolis, quamvis cogitet etiam de eo caſu, quo proles nulla naſcitur, aut quod uxor abortum paſſa, aut ante partum cum fœtu obierit vidua, aut falſo pro gravida habita fuerit, non tamen opus eſt, ut ſingula commemorentur, cum ex iis, quæ dixit teſtator, facile intelligatur, verba ejus etiam ad hunc caſum eſſe extendenda. Recte omnino *Cicero* ad *Herennium* lib. 2. ſtatuit, neminem poſſe omnes res per ſcripturam amplecti, ſed eum commodiſſime ſcribere, qui curet, ut quædam ex quibuſdam intelligantur. Exemplum in pactione hoc affert *Grotius*, ne quis locus muris cingatur, facta eo tempore, cum non aliud eſſet muniendi genus. Quoniam enim ratio prohibendi muros fuit, quemadmodum ſumitur, ne muniretur is locus, idem ne aggere quidem cingi poterit. Similiter huc referri ſolet lex 11. ff. de div. rer. Si quis violaverit muros, capite puniatur. Interpretatione enim extenſiva intelligitur etiam de portis, foſſis vel reliquis civitatis munimentis violatis. Ratio nimirum, quam reddit *Pomponius*, generalis eſt, nimirum quod id ſit hoſtile & abominandum, cui omnino extenſio iſta convenit. Illuſtre eſt exemplum apud *Lucianum* in Tyrannicida, quod his verbis deſcribitur: Lex eſt, tyrannicida præmio afficiatur. Eſt qui in arcem aſcenderit, ut tyrannum necaret. Aſt tyrannum non reperit, ſed filium ejus, quem etiam interimit, relicto in vulnere gladio. Adveniens mox tyrannus, ut filium vidit occiſum, præ dolore animi eodem ſe gladio interficit. Is, qui filium tyranni ſuſtulerat, præmium petit tanquam tyrannicida. Facile patet legislatorem de eo caſu non cogitaſſe, cum tyrannicidæ præmium decerneret. Quoniam vero non alia fuit ratio, cur præmium decerneret, quam quod vellet tyrannum e medio tolli; dubium non eſt, quin & ad eum caſum præmium extenſurus fuiſſet, ſiquidem de eo cogitare potuiſſet. Recte igitur *Lucianus* interpretationem extenſivam defendit, hanc reddens rationem, quod perinde ſit, utrum ipſe interimas, an mortis cauſam miniſtres. Sufficit nimirum, ut ipſe in cauſa ſis, ut tyrannus e medio tollatur, nec ſine facto tuo ſublatus fuiſſet. Caſum non abſimilem refert *Puffendorfius* lib. 5. c. 12. §. 17. Lex eſt, qui uxorem occiderit, morte plectitor. Aliquis in Gallia volens amoliri uxorem, mulæ per triduum potum non dedit. Quarto die in campum progreſſus, velut recreationis cauſa, uxorem mulæ ſitibundæ impoſuit: quæ cum fluvio propinquaſſet, magno cum impetu in eum irruit, & fœminam in aquas effudit, in quibus illa perit. Patet ut ante, legislatorem de hoc caſu non cogitaſſe, cum pœnam capitalem decerneret parricidæ. Quoniam vero non alia fuit ratio, cur hanc decerneret pœnam, niſi ut maritos deterreret, ne mortem uxoribus conſciſcerent, atque adeo harum ſaluti conſuleret, dubium non eſt, quin eandem pœnam ad hunc quoque caſum extendiſſet, ſiquidem de eo ipſi in mentem veniſſet. Valet etiam hic, quod in caſu præcedente dixerat *Lucianus*, nimirum quod perinde ſit, utrum ipſe interimas,

BIU Cujas

mas, an mortis causam ministres, aut si magis placet, cum *Puffendorfio* huc trahere potes illud *Senecæ*: Quicquid in mortem valet, telum est abunde. Ceterum hic ipse casus referendus etiam est ad ea, quæ in fraudem legis fiunt, ad quæ per interpretationem extensivam lex utique extendenda, quippe rationi legis contraria.

§. 521.

Fraus legis vel pacto quando fiat.

Fraudem legi vel pacto facere dicitur, qui quidpiam facit, quod verbis quidem legis vel pacti non repugnat, menti tamen legislatoris, vel pacisentis adversatur. Et tale quid etiam *fieri in fraudem legis, vel pacti* dicitur: istiusmodi autem fraudem *Seneca* vocat *Circumscriptionem*.

Exempla plurima collegit *Puffendorfius* lib. 5. c. 12. §. 18. Ita apud *Valerium Maximum* lib. 9. cap. 6. cum *Licinius Stolo* lege sanxisset, ne quis amplius, quam quingenta agri jugera haberet, ipse mille comparavit, dissimulandique criminis gratia dimidiam partem filio emancipavit. Apud *Quintilianum* decl. 264. legitur, cum lege Voconia vetitum esset, ne liceret mulieri nisi dimidiam partem bonorum dare, quendam duas mulieres dimidiis partibus instituisse hæredes. Similiter *apud Ammianum Marcellinum* lib. 22. c. 16. refertur, insulam Pharon Rhodiorum vectigali obnoxiam fuisse, quod cum istorum publicani exactum venissent, reginam eos interea sub specie feriarum detinuisse ac jactis molibus insula continenti juncta repulisse velut insularum, non continentis vectigalia exigentes. Apud Athenienses, narrante *Lactantio* de falsa religione c. 20. cum meretrix quædam nomine *Leæna* tyrannum occidisset, quia nefas erat simulacrum constitui meretricis in templo, animalis effigiem imposuerunt, cujus nomen gerebat. Cum Rex Lusitaniæ clericis interdicere vellet usum mulorum & illi sua privilegia obtenderent; Rex omnibus fabris ferrariis interdixit, ne ulli mulo soleas ferreas applicarent, ut clerici ultro mulos abdicare cogerentur. Pertinet huc etiam factum *Tiberii* apud *Tacitum* An. lib. 5. quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatæ prius a carnifice, dein strangulatæ; nec non factum Corinthiorum apud *Herodotum*, qui cum dono dare naves lege prohiberentur, singulas Atheniensibus vendiderunt quinis drachmis. *Buchanano* Rer. Scot. lib. 14. autore, sacerdotium *Robertus Carnicrucius*, homo pecuniosus, a Rege tunc a pecunia inopi redemit, novo genere fraudis elusa lege ambitus, quæ sacerdotia venire vetat, sponsione scilicet victus, qua magna pecunia deposita contenderat, regem non eum proximo sacerdotio vacuo donaturum. Cum juxta vulgatum illud: inventa lege, inventa est fraus, nihil sit frequentius, quam ut fraudem legi, vel pacto faciant, qui servare nolunt, videri tamen volunt qui servent; exempla istiusmodi fraudium nec hodienum rata sunt. Ceterum definitio, quam dedimus, consentanea est menti *Pauli* l. 29. ff. de LL. & *Ulpiani* l. 30. ibid. quorum ille: In fraudem legis, inquit, facit, qui salvis verbis legis sententiam ejus circumvenit, hic vero: frius legi fit, ait, ubi quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit. Nimirum salvis verbis legis fit, quod per ea minime significatum, consequenter nec iisdem repugnat, etsi eadem secundum totam suam proprietatem spectes, atque adeo dici nequit, hac lege vetitum esse. Quoniam tamen factum istud menti legislatoris adversatur, id omnino fit, quod lex fieri noluit, adeoque sententia ejus circumvenitur. Ita lex Corinthiorum, qua naves dono dari prohibebantur, non vetuit, eas vendi, nec lege definitum erat pretium, quo eas vendi debere esset permissum, consequenter factum Corinthiorum verbis legis minime repugnabat. Nemo autem non videt, legem noluisse, ut naves adeo contemtibili pretio venderentur, cum istiusmodi venditio donationi æquiparanda veniat. Fecere adeo Corinthii, quod lex fieri noluit, consequenter quod menti legislatoris adversabatur, atque adeo sententiam legis circumvenerunt. Nolumus definitionem nostram verbis *Pauli* & *Ulpiani* consentientem ceteris exemplis applicare, ne præter necessitatem prolixiores simus.

§. 522.

An quæ in fraudem legis fiunt fieri noluerit legislator.

Quoniam *quæ in fraudem legis, vel pacti fiunt*, menti legislatoris, vel pacisentis repugnant (§. 521.); ea *legislator, vel qui cum altero pactus est, fieri noluit* (§. 459.).

Patet hoc ex lege Corinthiorum, ad quam modo (*not.* §. 521.) definitionem nostram applicavimus, idemque elucescit ex ceteris quoque exemplis, quæ in medium afferre libuit. Legislator vult legem, qui cum altero pacisci tur, vult pactum servari, consequenter velle negatur, ut id fiat, quo lex, vel pactum eluditur.

§. 523.

BIU Cujas

§. 523.

Quia legislator, vel qui cum altero pactus est fieri noluit, quæ in fraudem legis, vel pacti fiunt (§. 522.), legem vero non servat, qui facit, quod legislator fieri non vult (§. 138. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), sed potius transgreditur (§. 139. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nec pacta servat, qui quidpiam facit, quod qui cum ipso pactus est fieri noluit (§. 430. 788. *part.* 3. *Jur. nat.*), *qui legi, vel pacto fraudem facit, legem vel pactum non servat, sed illam transgreditur, & contra pactum agens fidem datam fallit ac perfidus est* (§. 790. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Quæ in fraudem legis vel pacti fiunt, contra legem vel pactum fieri.*

Sane de fraude legi, vel pacto facienda non cogitant, nisi qui legem vel pactum servare nolunt, illam tamen nec transgredi, vel contra hoc feciſſe videri volunt. Hæc enim unica ratio est, cur de fraude cogitat, quam animum habuerit legem transgrediendi, vel contra pactum aliquid faciendi. Exempla fraudium, quæ commemoravimus (*not.* §. 521.), abunde hoc loquuntur.

§. 524.

Quoniam lex (§. 131. 138. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) & pacta servanda sunt (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*), legem vero non servat, qui in fraudem legis quidpiam facit, nec pactum servat, qui in fraudem pacti quid facit (§. 523.); *in fraudem legis, vel pacti nil fieri debet* (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque *fraus omnis legi, vel pacto facta illicita.* *An liceat fraudem facere pacto, vel legi.*

Videmus itaque, ipsa lege naturali, quæ pacta servari præcipit, fraudem pactis faciendam prohiberi: immo cum notioni legis repugnet transgressio, si lex positiva naturali non repugnat; non minus patet, legi quoque naturæ prohibitum esse, ne illi fraus fiat. Sed hæc magis elucescent, ubi obligationem, quæ inest legi positivæ, ex ipsa obligatione naturali, quæ a lege naturæ venit, deducemus.

§. 525.

Fraus legi, vel pacto facienda reprimitur per interpretationem extensivam. Quoniam enim quod in fraudem legis fit, vel pacti, verbis legis, vel pacti minime repugnat (§. 521.), ex verborum significatu ostendi nequit, hoc fieri non debere. Quoniam tamen fieri minime debet (§. 524.), extra verborum significatum hoc ostendendum. Quamobrem cum legislator, vel qui cum altero pactus est hoc fieri noluerit (§. 522.), adeoque necesse sit, ut detur ratio sufficiens, cur idem fieri noluerit (§. 887. 889. *Psych. empir.*), hæc vero ratio eadem esse debeat, ob quam lex data, vel pactio facta est; quia aliunde mentem legislatoris, vel paciscentis, cui fraus adversatur (§. 521.), conjectare non datur, ob identitatem rationis sufficientis volitionis, vel nolitionis mens legislatoris, vel paciscentis ad factum, quo fit fraus legi, vel pacto, ultra significatum verborum extendendum est. Istiusmodi interpretatio extensiva est (§. 516.). Patet igitur fraudem legi vel pacto faciendam reprimi per interpretationem extensivam. *Quomodo ea reprimatur.*

Recte igitur *Grotius* lib. 2. c. 16. §. 20. n. 2. ad interpretationem extensivam refert, quæ Icti tradunt de his, quæ in fraudem fiunt. Per interpretationem extensivam reprimi ea, quæ in fraudem fiunt, exempla, quæ supra dedimus (*not.* §. 521.), abunde loquuntur. Sane cum *Licinius Stolo* lege sanxisset, ne quis amplius, quam quingenta agri jugera haberet, non alia ratio ipsi esse potuit, quam ne aliis deesset occasio agros sibi comparandi, qui comparare volunt. Eadem non minus eripitur, si quis mille sibi comparet & dimidiam partem filio emancipet, quam si ipse totidem possideat, quippe substituta filii persona plura possidens, quæm debebat. Per hanc itaque rationem patet, factum istud fieri in fraudem legis. Idem non absimili modo ostendi poterat in ceteris quoque exemplis: Sed vix opus esse videtur, ut in hisce prolixiores simus.

§. 526.

BIU Cujas

§. 526.

Interpretatio restrictiva quanam sit.

Interpretatio restrictiva est, qua casus aliquis sub verbis legis vel pacti equidem comprehensus, ob defectum tamen rationis sufficientis, cur legislator vel paciscens hoc fieri voluit, vel noluit, excipitur. *Grotius* lib. 2. c. 16. §. 22. *interpretationem restringentem* vocat.

Ex. gr. Si quis alicui leget domum, alteri hortum, ad quem nonnisi per domum aditus patet, is, cui domus legata est, aditum quoque praestare debet, licet nihil a testatore sit cautum, l. ult. ff. de servit. praed. urb. Etenim qui alteri legat hortum, ad quem nonnisi aditus patet, quam per domum, quam alteri legavit; is utique voluisse intelligitur, ut illi ab hoc aditus praestetur. Nimirum quamvis qui domum simpliciter legat, non dicat dominium legatarii restringi debere, id quod fit servitutem imponendo (§. 1274. *p. 5. Jur. nat.*); quoniam tamen deficit ratio sufficiens, cur dominium domus servitutis impositione diminutum esse non debeat, quin casum hunc, quo aditum praestare tenetur, excipere voluerit, dubitandum non est. Equidem juxta *Grotium* dicendum erat, defeciisse ab origine voluntatem testatoris, ut dominium ejus, cui domus legata est, sit irrestrictum, quia alias absurda voluisset, dum legavit alteri hortum, ad quem adire non posset; facile tamen patet, defeciisse voluntatem, quia defecit ratio sufficiens volitionis, sine qua non datur volitio (§. 887. 889. *Psych. empir.*). Studio elegimus hoc exemplum, ut appareat ex defectu rationis sufficientis volitionis semper deducedandam esse interpretationem restrictivam, quemadmodum extensiva (§. 516.), cui restrictiva opponitur. Atque hoc modo non minus interpretatio restrictiva, quam extensiva naturae voluntatis conveniens est, quam extra verborum significationem conjectare debemus.

§. 527.

Quando locum habeat interpretatio restrictiva.

Quoniam interpretatio restrictiva procedit ex defectu rationis sufficientis volitionis, vel nolitionis (§. 526.), ratio autem haec deficit, tum si in aliquo casu nulla prorsus adsit ratio, cur hoc voluisse, vel noluisse dicendus, qui locutus est, quod verborum significatus fert, vel quia ratio, cur quis quidpiam voluit, vel noluit, ad casum aliquem applicari nequit sive saltem in genere, sive etiam in specie spectata; *interpretatio restrictiva locum habet, si in casu quodam sub verbis ejus, qui locutus est, comprehenso vel nulla adsit ratio sufficiens volitionis, aut nolitionis, vel ea deficit aut generaliter saltem, aut etiam in specie spectata.*

Ita omnis ratio deficit, seu nulla prorsus adest in exemplo, quod modo dedimus (*not.* §. 526.), cur qui uni domum, alteri hortum legavit, ad quem nonnisi per domum aditus patet, voluerit domum legare sine servitute, ac ideo legatum domus restringitur, ut legata intelligatur cum itinere concedendo alteri legatario. Deficit ratio in genere spectata, quatenus in casu aliquo illicitum foret, quod faciendum, si verba praecise sequi velis, veluti si deponenti rem restituere vellet, domino eandem repetente. Deficit ratio etiam in specie spectata, si patronus prohiberur juramento adigere libertum, ne uxorem ducat, aut liberos tollat, & patronus libertum castratum ad tale juramentum adigit, quia ratio legis est, ne patronus avaritiae suae velificando sobolis multiplicationem impediat.

§. 528.

Idem porro expenditur.

Similiter quia interpretatio restrictiva procedit ex defectu rationis sufficientis volitionis ac nolitionis (§. 526.), ratio autem, quae plures simul sumtas comprehendit, non amplius sufficiens est, quando una vel altera deficit; *si ratio sufficiens volitionis vel nolitionis plures simul sumtas comprehendit, & una, vel altera earum deficit, interpretatione restrictiva utendum.*

Nimirum quoniam volitio, vel nolitio non ponitur, nisi posita ratione sufficiente (§. 118. *Ontol.*), si ratio illius sufficiens plures simul sumtas comprehendit, volitio, vel nolitio poni nequit, nisi singulae istae rationes simul adsint, quemadmodum in rerum natura effectus non sequitur, ad quem producendum plures causae concurrant necesse est, si una, vel altera absit.

§. 529.

BIU Cujas

§. 529.

Quodſi inde ſequatur aliquod abſurdum, quod eam mentem illi, qui locutus eſt, tribuere velis, quam verba generaliter poſita indicant; hæc ita reſtringenda ſunt, ut abſurdum iſtud evitetur. Quoniam nemo ſanæ mentis abſurda velle præſumitur, nec illi, qui locutus eſt, eam mentem tribuere licet, quam verba generaliter poſita indicant, ubi inde ſequitur aliquod abſurdum. Quoniam itaque ſine motivo, adeoque ratione ſufficiente volitionis (§. 887. *Pſych. empir.*), nulla datur volitio (§. 889. *Pſych. empir.*), conſequenter ubi volitio deficit, ibi quoque deficit ratio ſufficiens volitionis; ſi inde ſequatur aliquod abſurdum, quod eam loquenti mentem tribuas, quam verba generaliter poſita indicant, ratio ſufficiens nulla adeſt, cur ea voluerit, quæ verba generaliter poſita inſinuare videntur. Quamobrem cum reſtrictiva interpretatio locum habeat, quando nulla adeſt volitionis ratio (§. 527.); tunc quoque reſtrictiva interpretatione utendum, conſequenter ea ſunt addenda, quæ ad vitandum abſurdum requiruntur, ſeu, verba ita reſtringenda, ut abſurdum iſtud evitetur.

Quomodo defectus voluntatis originarius intelligatur ex abſurdo.

Exemplum, quod paulo ante in medium attulimus (*not.* §. 526.), propoſitionem præſentem illuſtrat. Etenim ſi quis uni legat domum, alteri hortum, ad quem nonniſi aditus per domum patet; cum nihil dicatur de ſervitute domo impoſita, ſi eam mentem teſtatori tribuere velis, quod abſque ſervitute legata ſit domus, ſequetur inde hoc abſurdum, quod voluerit eum, cui hortum legavit, ad eundem accedere non poſſe. Nulla igitur adeſt ratio, quemadmodum jam ante monuimus (*not.* §. 527.), cur teſtator domum ſine ſervitute legare voluerit, conſequenter nec dici poteſt, quod ſine ſervitute legaverit. Verbis igitur generaliter poſitis, *lego Titio domum*, addenda hæc ſunt, *cum ſervitute itineris ad hortum*, ſeu, *ea lege, ut aditum ad hortum præſtet*. Ita enim evitatur abſurdum. Sane ſi teſtator præſens eſſet ac ipſemet mentem ſuam explicare deberet, dubium non eſt, quin dicturus ſit, velle ſeſe ut Titius alteri legatario aditum ad hortum præſtet, conſequenter metuendum non eſt, ne verba ejus perverſe interpretemur (§. 459.). Haud raro contingit, nos non omnia, quæ volumus, verbis exprimere, ſed quædam tacite inſinuare, quæ aliunde intelliguntur, adeoque generaliter loqui, etſi verba noſtra generaliter ſumi ſine ulla reſtrictione nolimus: id quod etiam ſubinde accidit nobis non cogitantibus. Ita in exemplo noſtro teſtator nullam facit mentionem ſervitutis, vel quod putet, per ſe patere, ut aditus ad hortum præſtetur, vel quod de aditu ad hortum non cogitet, quando uni domum, alteri hortum legat. In hoc caſu *Grotius* l. c. interpretationem reſtrictivam peti dicit ex defectu originario voluntatis, qui intelligitur ex abſurdo, quod alioqui evidenter ſequitur. Nimirum ſi is, qui locutus eſt, ſtatim interrogaretur, num velit verba ſua ita intelligi, ut inde ſequatur hoc abſurdum; extemplo utique reſponderet nolle ſeſe, ut ita intelligantur, ſed reſtrictionem eſſe addendam, qua abſurdum evitatur.

§. 530.

Si rationem addit qui locutus eſt, cur quid voluerit, vel noluerit, aut de ea aliunde conſtet, & caſus ſub verbis generaliter poſitis comprehenſus occurrat, in quo illa deficit; caſus hic excipiendus eſt per interpretationem reſtrictivam. Etenim qui aliquid vult, vel non vult, propter hanc rationem, is idem neutiquam vult, vel non vult abſolute, ſed quatenus id ſub iſta ratione venit. Quodſi ergo in caſu aliquo ſub verbis generaliter poſitis comprehenſo ratio illa deficit, nec qui locutus eſt in eo caſu id voluiſſe, vel noluiſſe dicendus, quod verba generaliter poſita indicant (§. 889. *Pſych. empir.*). Quamobrem dubium non eſt, quin caſum iſtum exciperet qui locutus eſt, ſi præſens eſſet ac interrogaretur, num eundem quoque ſub verbis ſuis comprehendi velit. Quoniam itaque interpretatio ita facienda, quemadmodum eam faceret qui locutus eſt, ſi præſens eſſet (§. 515.), & interpretatione reſtrictiva utendum, quando deficit ratio ſufficiens volitionis, vel nolitionis (§. 527.); ſi qui locutus eſt rationem addit, cur quid voluerit, vel noluerit, aut de ea aliunde conſtat, caſus, in quo deficit iſta ratio, etſi ſub verbis generaliter poſitis comprehenſus ſit, per interpretationem tamen reſtrictivam excipiendus.

De defectu voluntatis originario ex ceſſatione rationis.

BIU Cujas

Propositionem præsentem optime illustrat exemplum in l. 6. §. 2. ff. de Jur. patron. quod supra jam attulimus (*not.* §. 527.), scilicet si patronus prohibetur juramento adigere libertum, ne uxorem ducat, aut liberos tollat, excipiendus est casus, quo patronus libertum castratum ad tale juramentum adigit. Quoniam enim ratio prohibitionis est, ne patronus avaritiæ suæ velificando sobolis multiplicationem impediat; legislator non absolute prohibuit, ne patronus impediat libertum, quo minus uxorem ducat, sed quatenus hoc modo sobolis multiplicatio impeditur: quod cum non fiat, si libertus castratus est, dubium sane non est, de liberto castrato verba sua ut accipiantur noluisse legislatorem, licet de eo nihil expresse dixerit. Illa igitur ratio cum verba legis statim restringat ad libertum, qui liberos tollere potest; quoad libertum castratum statim quoque deficit voluntas legislatoris; Hinc *Grotius* dicit l. c. in hypothesi propositionis præsentis interpretationem restrictivam peti ex defectu originario voluntatis, qui intelligitur ex cessatione rationis, quæ sola plene & efficaciter movit voluntatem, hoc est, rationis sufficientis volitionis, vel nolitionis. Quodsi Titio promisi, quamdiu in Academia studiis operam navaverit, dare quotannis centum thaleros, ob hanc rationem, ut feliciores in iis progressus facere possit; promissum meum extendi nequit ad hunc casum, quo neglectis studiis pecuniam pudendo luxu consumit, consequenter statim ab initio noluisse dicendus sum pecuniam dare Titio, si in Academia neglectis studiis luxuriæ indulget, quamvis de eo nihil expresse dictum fuerit.

§. 531.

De defectu voluntatis originaria ex materia defectu.

Si materiæ, de qua agitur, parum convenit, ut verba tam late sumantur, quemadmodum patere videntur; per interpretationem restrictivam eidem convenienter restringenda sunt. Quoniam enim materia, de qua loquimur, semper obversatur animo nostro; per verba, quæ proferimus, non significare volumus, nisi quod in idea rei, quæ animo obversatur, continetur, omni quippe attentione in ea defixa, ut, num latius pateant verba, quam quod dicere volumus, non consideremus. Nulla igitur ratio est, cur id voluisse, vel noluisse dicamur, quod verba latius patentia indicare videntur. Quamobrem cum interpretatione restrictiva utendum sit, quando ratio sufficiens nulla adest volitionis, vel nolitionis (§. 527.), nec verbis significare intendamus, nisi quod in idea animo obversante continetur (§. 36. *Log.*); per interpretationem restrictivam materiæ, de qua agitur, convenienter restringenda sunt verba, quæ latius patent, si illi parum convenit, ut tam late sumantur, quemadmodum patere videntur.

Ex. gr. Ponamus feuda usu recepta non admittere successores, nisi in linea agnatica a primo acquirente descendentes. Quodsi dicam, concedo tibi & descendentibus masculis feudum; quamvis nepotes ex filia etiam sint descendentes masculi, materia tamen, de qua agitur, ex hypothesi minime patitur, ut sub masculis descendentibus comprehendantur, quia scilicet feudum naturam suam non admittit nisi masculos descendentes in linea agnatica. De feudo nimirum qui cogitat, non aliud sibi repræsentare intelligitur nisi ordinarium, quamdiu diversum non dicit. Quodsi contra naturam feudi successionem in eodem ad masculos quoque in linea cognatica descendentes extendere velimus, nulla adest ratio, cur hæc voluisse dicatur qui locutus est. Cumque ratio hæc statim deficiat, quando loquitur; *Grotius* l. c. in hypothesi quoque propositionis præsentis interpretationem restrictivam peti dicit ex defectu originario voluntatis, qui intelligitur ex defectu materiæ. Quod vero nulla adsit ratio, cur quis velit ea, ad quæ verba ipsius extenduntur ultra substratam materiam, facile patet. De quo enim non cogito, ea nec velle possum. Quod vero velle non possum, ejus nec datur aliqua ratio, cur velim. Pertinet huc, quod vulgo dicitur, verba intelligenda esse secundum substratam materiam, & talia esse prædicata, qualia permittuntur esse a suis subjectis.

§. 532.

De ratione res secundum potentiam moraliter consideratam sub se comprehendente.

Si res, quæ ratio sub se comprehendit, spectentur non secundum existentiam, sed quatenus existere possunt; ubi certum non est, eas existere non posse, restrictio facienda non est. Etenim si res, quæ ratio sub se comprehendit, spectentur non secundum existentiam, sed quatenus existere possunt; qui locutus est, omnino hoc fieri voluit, vel noluit, non quando certum est, res istas extituras, sed etiam quando non certum est, eas existere non posse, adeoque metuendum, ne forsan existant (§. 56. *Ontol.*). Quod si ergo verba ejus, qui locutus est, restringere velis ad eum casum, quo res actu non existit,

BIU Cujas

exiſtit, aut probabiles non proſtant rationes, quod ſit extitura; contra mentem ipſius hoc fieret. Quamobrem cum per interpretationem inquiramus in mentem ejus, qui locutus eſt (§. 459.); ſi res, quæ ratio ſub ſe comprehendit, ſpectentur non ſecundum exiſtentiam, ſed quatenus exiſtere poſſunt; ubi certum non eſt, eas exiſtere non poſſe, reſtrictio facienda non eſt.

Grotius l. c. §. 25. dicit, res ſub ratione comprehendi non ſecundum exiſtentiam, ſed ſecundum potentiam moraliter (non phyſice) conſideratam, & hoc in medium affert exemplum. Si cautum ſit, ne exercitus, aut claſſis aliquo ducatur, non poterit duci, etiam animo non nocendi, quia in pactione non certum damnum, ſed periculum qualecunque ſpectatum eſt. Quamdiu nimirum certum non eſt, fieri non poſſe, ut aliquid hoſtile moliatur claſſis, vel exercitus, vel alia quacunque de cauſa contingat, ut damnum aliquod ex eo emergat, quod claſſis, vel exercitus eo ducatur, quo ne ducatur conventum erat; nec licet conventionem reſtringere, ut claſſis, vel exercitus eo duci poſſit ſine animo nocendi. Vix autem unquam fieri poterit, ut certus ſis, abeſſe animum nocendi, vel nullum emergere poſſe caſum, quo, qui animum nocendi nunc non habet, eundem mutet. Afferri etiam ſolet exemplum ſequens. Si prohibitum fuerit famulis arma geſtare; nec geſtare licet, etiam ſi non habeant animum nocendi. Unde enim certus eſſe poteris, haudquaquam dari poſſe occaſionem, ut ferro noceat, qui animum nocendi nunc non habet. Valet hic illud pervulgatum: occaſio facit fures. Exemplo huic geminum eſt alterum, quando lege prohiberur, ne quis noctu cum facibus per plateas ambulet: tum enim non licet excipere, ſe tam circumſpecte facibus uti, ut damnum nemini inde emergat. *Grotius* diſtinguit inter exiſtentiam & potentiam, ſeu, ut ſcholaſtici loquuntur, inter actum & potentiam, quatenus ſcilicet quid vel exiſtit, vel exiſtere ſaltem poteſt & hanc potentiam moraliter conſiderari dicit, quando probabile, aut ſaltem non improbabile eſt, id exiſtere poſſe. Ita quando prohibetur, ne quis noctu cum facibus per plateas ambulet, non ideo prohibetur, quod incendium ſit ſuboriturum; ſed quod certum non ſit annon caſus contingere poſſit, quo incendium oritur, qui non una de cauſa contingere poteſt, cum in iſtiuſmodi eventibus incertis eligatur quod tutius.

§. 533.

Si ſtatus rerum præſens in ratione ſufficiente promiſſionis non continetur; promiſſa in ſe non habent tacitam conditionem, ſi res maneant, quo ſunt loco. Quoniam enim ex ratione ſufficiente promiſſionis intelligitur, cur promiſſor quid promiſerit (§. 56. *Ontol.*); ſi ſtatus rerum præſens in ratione ſufficiente promiſſionis non continetur, nec propter eundem promiſſum dici poteſt, quod promiſit promiſſor, conſequenter quando res non manent eo, quo ſunt, loco, ratio ſufficiens promiſſionis minime deficit. Quoniam itaque interpretatio reſtrictiva locum non habet, niſi deficiente ratione ſufficiente promiſſionis (§. 526.); nec caſus excipi poteſt, quo res non manent, quo ſunt loco. Quamobrem promiſſa in ſe non habent tacitam conditionem, ſi res maneant quo ſunt loco, ſi ſtatus rerum præſens in ratione ſufficiente promiſſionis non continetur. *Quando promiſſa non habeant tacitam conditionem, ſi res maneant, quo ſunt loco.*

Sunt ſane plurimi, qui exiſtimant, promiſſa ſemper tacitam hanc habere exceptionem, ſi res maneant, quo ſunt loco, cum mutatione ſtatus rerum mutari etiam promiſſa ſtatuentes. Sed quemadmodum falſa eſt hæc opinio, ita etiam periculoſiſſima, cum vix unquam propter rerum humanarum inconſtantiam deficiat cauſa, cur quis pacto ſtare nolit, & ſemper aliquam juris ſpeciem fraudi imponere haud difficile erit. Ita ſi conventum fuerit, ut certo pretio redimantur captivi, non licet exigere pretium majus, propterea quod præda ingenti auctus fuerit qui redimere vult.

§. 534.

Si ſtatus rerum præſens in ratione ſufficiente promiſſionis continetur; promiſſa in ſe habent tacitam conditionem, ſi res maneant, quo ſunt loco. Quoniam enim per rationem ſufficientem promiſſionis intelligitur, cur promiſſor quid promiſerit (§. 56. *Ontol.*); ſi ſtatus rerum præſens in ratione ſufficiente promiſſionis continetur, promiſſor ideo promiſſor ideo promiſiſſe intelligitur, quod ſtatus rerum præſens talis eſſet, non promiſſurus, ſi non fuiſſet. Quodſi ergo ſtatus rerum præſens mutetur, adeoque eædem non maneant, quo ſunt loco (§. 290. *Ontol.*); ratio ſufficiens promiſſionis deficit (§. 56. *Quando habeant.*

BIU Cujas

Ontol.). Quamobrem cum casus excipiendus sit, quo ratio sufficiens promissionis deficit (§. 530.); si status rerum præsens in ratione sufficiente promissionis continetur, promissa in se habent tacitam conditionem, si res maneant, quo sunt loco.

Grotius l. c. huc refert, quod passim in historiis legamus, legatos a suscepto itinere domum rediisse deserta legatione, quod res ita immutatas intelligerent, ut tota legationis materia aut causa cessaret. Exemplum occurrit apud *Tacitum* l. 2. Hist. c. 1. ubi Titius missus fuerat a patre ad gratulandum Galbæ, qui occisus interim erat, Othone successore. Annon vero consultius sit, ut, antequam redeat legatus, in mentem mittentis inquirat, cursum interea insistendo, non est hujus loci disquirere.

§. 535.

Quomodo intelligendum sit illud ictorum, conventionem intelligi rebus sic stantibus.

Quoniam promissa continent in se tacitam hanc conditionem, si res maneant, quo sunt loco, quando status rerum præsens in ratione sufficiente continetur (§. 534.), minime autem habent, quando non continetur (§. 533.); *promissa in se non habent tacitam conditionem, si res maneant, quo sunt loco, nisi apertissime pateat statum rerum præsentem in ratione sufficiente promissionis contineri.*

Atque adeo patet, quomodo cum grano salis, ut loquitur *Zepperus* in Cynos. leg. c. 59. accipi debeat illud brocardicum Jctorum: *conventionem omnem intelligi rebus sic stantibus*, ne omnis fides inter mortales elevari possit. Promissa nimirum semper sunt servanda, quæcunque status rerum fuerit mutatio, quamdiu certum non est, intuitu status præsentis tantummodo promissum esse. Ita amico pecunia indigenti promitto, me donaturum centum thaleros. Sed irruens hostis domum meam diripit & vastat, ut ipsemet pecuniæ sim maxime indigus. Nemo non videt, propter rerum statum mutatum promissum non esse servandum, sed cum promitterem, me hunc casum tacite excepisse & ad statum rerum præsentem unice animum attendisse.

§. 536.

De casu emergente, qui pugnat cum voluntate ob rationem naturalem.

Si casus emergit, quo verba sequi illicitum esset, seu legi naturæ repugnaret; casus hic excipiendus est. Etenim cum obligatio naturalis, seu quæ a lege naturæ venit, sit immutabilis (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); nemo sese obligare potest ad id faciendum, quod legi naturæ repugnat. Quamobrem si quis casus emergit, quo verba sequi legi naturæ repugnaret; cum nemo præsumatur voluisse, quod eidem repugnat, casum hunc excepturus intelligitur, qui locutus est, si præsens esset. Quamobrem cum ita facienda sit interpretatio, quemadmodum eam faceret, qui locutus est, si præsens esset, vel si eidem cognita fuissent, quæ nunc palam sunt (§. 515.); si casus emergit, quo verba sequi illicitum esset, seu legi naturæ repugnaret, casus iste omnino excipiendus est.

Quoniam voluntas pendet a judicio intellectus, quando casus aliquis emergens, quem prævidere non datum fuit, cum voluntate pugnat, aut idem repugnat judicio intellectus, a quo voluntas dependet, aut ipsi actui volitionis, quando scilicet duo pacta, vel duæ leges in casu emergente inter se colliduntur, ut exceptione opus sit, adeoque quæritur, quomodo facienda sit exceptio. Propositio præsens pertinet ad casum priorem. Ex. gr. Qui gladium depositum reddere promisit pro lubitu repetenti, eum non reddet aggressori, seu lædere alterum intendenti (§. 979. *p.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam enim nemo ad hoc concurrere debet, ut alter vulneretur (§. 740. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec alterum in periculum vitæ adducere (§. 746. *part.* 1. *Jur. nat.*); legi naturæ utique repugnat reddere gladium depositum ei, qui alterum vulnerare, aut interficere intendit. Quando itaque gladium depositum reddere quis promittit pro lubitu repetenti, casus hic tacite exceptus intelligitur, cum in eodem promissio illicita foret. Similiter rem depositam non reddet deponenti, si dominus eam repetat. Quoniam enim qui rem alienam in potestate habet, & novit, cujusnam ea sit, eam domino restituere debet (§. 467. *part.* 2. *Jur. nat.*); legi naturæ repugnat, domino repetente, eam reddere deponenti. Quando itaque depositarius vi contractus deponenti promittit, se rem depositam redditurum; casus hic tacite excipitur, quo dominus eandem repetit.

§. 537.

BIU Cujas

§. 537.

Quoniam si casus emergit, quo verba sequi illicitum esset, casus hic excipiendus (§. 536.), quando vero casus emergit, quo verba pacti vel legis sequi illicitum esset, pactum vel lex cum lege naturæ colliditur in eodem casu (§. 206. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *Quando in casu emergente pactum, vel lex colliditur cum lege naturæ, casus hic a pacto vel lege excipiendus.*

De collisione pacti vel legis cum lege naturæ in casu emergente.

Nimirum quod pactum, vel lex fieri vult, lex naturæ non vult fieri & contra in casu emergente, ob circumstantias scilicet, quæ ordinarie in casibus aliis nun adsunt. Atque adeo tum pactum, vel lex colliditur cum aliqua lege naturæ, cum qua per se minime collidebatur (§. 206. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Propter immutabilitatem vero legis naturalis & ab ea venientis obligationis (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), lex naturæ præfertur, seu obligatio naturalis vincit eam, quæ pacto contracta est, aut a lege positiva venit. Atque adeo patet interpretationem restrictivam in casu emergente ob pugnam cum voluntate propter rationem naturalem, quemadmodum *Grotius* loquitur, proprie fluere ex collisione pacti vel legis positivæ in casu emergente cum naturali, consequenter pactum, vel legem ad eum casum extendi non posse, sed ipsa lege naturæ eundem esse exceptum. Ex. gr. Vi contractus depositi depositarius rem depositam reddere tenetur deponenti (§. 578. *p.* 4. *Jur. nat.*), aut vi legis naturæ restituere debet domino (§. 467. *part.* 2. *Jur. natur.*). Utrumque cum fieri minime possit, contractus in eo casu, quo dominus rem depositam repetit, colliditur cum lege naturali (§. 206. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque ab obligatione naturali nemo se liberare potest (§. 142. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*); lex naturæ vincit contractum (§. 208. *part.* 1. *Philos. pract. univ.*). Sane statim ab initio illicitum foret ita contrahere, ut rem alienam deponenti promittas te ipsi, non domino repetenti eandem restituere velle. In præsenti adeo non tam quæritur, quænam foret voluntas ejus, qui locutus est, si præsens esset, sed quænam esse deberet. Quoniam vero in dubio velle præsumitur, quod velle debet; ideo casus emergens cum voluntate ipsius pugnare dicitur, nihilominus excipiendus, etiamsi, qui locutus est, eundem excipere nollet, propterea quod ipsa lex naturæ eundem excipit.

§. 538.

Si casus emergit, in quo verba sequi, seu eorum significatui proprio stricte inhærere nimis grave foret ei, quem quis ad aliquid præstandum obligare voluit, vel qui se alteri obligare voluit; casus iste excipiendus. Etenim cum ad commoda aliorum promovenda non obligemur, nisi quatenus citra neglectum officii erga se ipsum fieri potest (§. 608. *part.* 1. *Jur. nat.*); nemo præsumitur se alteri adeo obligare voluisse, ut sibi ipsi nimium desit, consequenter ut faciat, quod sibi nimis grave, seu molestum foret. Quodsi ergo casus emergit, in quo verba sequi, seu eorum significatui proprio stricte inhærere nimis grave foret ei, qui se alteri obligavit; dubium non est, quin is hunc casum excipere, si præsens esset. Quamobrem cum ita facienda sit interpretatio, quemadmodum eam faceret, qui locutus est, si præsens esset, vel si eidem cognita fuissent, quæ nunc palam sunt (§. 515.); si casus emergit, in quo verba sequi, seu eorum significatui stricte inhærere nimis grave foret, qui se alteri obligare voluit, casus iste excipiendus est. *Quod erat unum.*

De casu emergente, qui non satis convenit officiis humanitatis, vel erga se ipsum.

Quodsi ponamus, legislatorem tulisse legem, quam in casu emergente observare nimis grave foret ei, quem ea lege ad quid faciendum, vel non faciendum obligare voluit legislator; hic omnino durissimam hanc legis observantiam non voluisse præsumitur, adeoque dubium non est, quin menti legislatoris conveniat, ut excipiatur. Quamobrem cum in interpretando inquiramus in mentem legislatoris (§. 459.); contra verborum significatum casus iste utique excipiendus. *Quod erat alterum.*

Ex. gr. Qui rem ad dies aliquot commodavit, intra eos dies eam repetere poterit, si ipse eadem valde egeat. Neque enim usum rei suæ alteri concedere tenetur, quemadmodum facit, qui rem commodat (§. 418. *p.* 4. *Jur. nat.*), qui ipse eadem eget; immo nemo hoc facere præsumitur, præsertim si ipse eadem valde egeat, nisi singulares adsint rationes, ob quas hoc facere malit. Quodsi ergo ex insperato casus emergit, quo commodans re sua ipse valde eget, nimis durum foret, si usum ejus alteri concedere tum deberet, consequenter dubium non est, quin casum

hunc

hunc, cum commodaret, excepisset, si de eo cogitasset, vel a commodatario interrogatus fuisset, num intra eos dies, ad quos commodavit, rem repetere nollet, si ipsummet eadem valde egere contingat. Similiter qui auxilium fœderato promisit, excusabitur, quamdiu ipse domi periclitatur, in quantum copiis opus habet. Quoniam enim nemo tenetur fœderato promittere auxilium, nisi in quantum ipse copiis non habet opus, quemadmodum suo tempore constabit, quando de jure gentium acturi sumus, immo nec quisquam hoc facere præsumitur, ideo casus hic tacite exceptus intelligitur, ut adeo auxilium præstare non teneatur, nisi in quantum copiis opus habet, adeoque nullum, si omnibus opus habet. Addit porro *Grotius* l. c. §. 27. concessionem immunitatis vectigalium & tributorum intelligi de quotidianis & anniversariis, non de iis, quæ summa necessitas exigit, & quibus carere Respub. non potest. Etenim officium boni civis est, ut pro virili conferat, quicquid ad servandam Rempub. requiritur, nec superior in favorem quorundam ceteros nimium onerare debet, id quod etiam ex parte eorum, qui immunitate alias fruuntur, charitati repugnat. Hinc itaque colligitur, dum immunitas vectigalium & tributorum fuit concessa, ea tacite excepta fuisse, quæ summa necessitas exigit, & quibus Resp. carere nequit. Huc etiam refert *Grotius*, quod morbus fonticus patris vel filii (quo scilicet vita ejus periclitatur) eum excusset, qui operas vicino ad aliquot dies promisit. In hoc enim casu operas præstare promissas repugnaret amori, quo recte patrem, vel filium prosequimur, adeoque nimis durum foret, si contra eundem ad præstandum operas promissas obligatus esse deberet. Nemo adeo dubitabit, quin hunc casum excepturus fuisset, qui operas promisit, si de eo interrogatus fuisset, cum promitteret. Alia adhuc exempla vide apud *Senecam* lib. 4. de benefic. c. 35. Sed demus etiam exempla, in quibus casus emergens sub verbis legis comprehensus excipiendus, quod verba legis sequi nimis durum foret. Pertinet huc interpretatio restrictiva legis positivæ divinæ de nullo opere in die Sabbathi faciendo, quam fecit Christus hydropicum Sabbatho sanans Luc. XIV. 3. & seqq. Excipiebat enim eum casum, quo quis asinum ac bovem in puteum cadentem die Sabbathi continuo extrahit. Cum enim jus naturæ unicuique commendet rerum suarum conservationem (§. 458. 452. 448. *part. 2. Jur. nat.*); observantia legis de nullo opere Sabbatho faciendo nimis dura foret, si eousque extendi deberet, absque ulla ratione, ut ne quidem periculum avertere liceret, quod rebus suis imminet, cum nihil hic committatur, quod reverentiæ erga Deum contrarietur, sed quod potius voluntati divinæ, cui jus naturæ consentaneum est, (§. 284. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conforme. Hinc merito stultam appellat *Pufendorfius* l. c. §. 22. Abyssinorum religionem, qui tempore quadragesimæ tantopere sese jejunio macerant, ut animi & corporis viribus defecti hostibus, eo tempore incurrentibus, resistere non valeant, cum tamen jus se defendendi adversus hostes cuilibet populo ipsa naturæ lege sit concessum, quemadmodum suo loco ostendemus.

§. 539.

De collisione pactorum & legum in casu emergente.

Si duo pacta vel duæ leges colliduntur in casu emergente; exceptio facienda. Etenim quando duo pacta inter se colliduntur in casu emergente, fieri haud quaquam potest, ut utroque simul stetur, seu simul præstetur, quod in utroque promissum, ac diverso tempore commode præstari potest (§. 510. *Ontol.*). Necesse igitur est, ut in casu isto uni tantummodo satisfiat, neglecto pacto altero. Quamobrem cum tunc casus emergens sub pacto altero comprehensus vi significationis verborum sit excipiendus; si duo pacta in casu emergente colliduntur, exceptio facienda est. *Quod erat unum.*

Quod collisio legum pariat exceptionem, patet per ea, quæ de legibus naturalibus demonstravimus (§. 207. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quod erat alterum.*

Quæritur vero jam, quomodo facienda sit exceptio, seu quomodo pateat, quodnam pactum alterum vincat, quodnam alteri cedat, & quænam lex vincat alteram, quænam alteri cedat. Quid in collisione legum obtineat, jam demonstravimus alibi (§. 210. *& seqq. part. 1. Phil. pract. univ.*). Restat igitur, ut etiam ostendamus, quid in collisione pactorum obtineat. Notandum vero, quando hic dicitur, duo pacta inter se collidi, id etiam intelligendum esse de duobus promissis in eodem pacto contentis, cum tum pactum unum spectari possit, tanquam multiplex.

§. 540.

Pacta quatenus legibus assimilentur.

Pacta, quatenus promissa continent, assimilantur legibus. Quatenus enim promissa continent, qui promittit, obligatur ad aliquid dandum, vel faciendum, vel etiam ad quiddam non faciendum, vel non patiendum (§. 363. 358. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem

BIU Cujas

brem cum propositiones, quibus enunciatur, quid promissarius agere, vel non agere debeat, sint veluti regulæ, juxta quas actiones quasdam suas determinare obligatur (§. 475. *Ontol.*), regulæ autem, juxta quas actiones nostras determinare obligamur, sint leges (§. 131. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); pacta, quatenus promissa continent, legibus assimilantur.

Idem omnino est effectus pacti, quatenus promissionem continet, atque legis. Cum enim non minus pactum, quam lex inducat obligationem, adeoque necessitatem agendi, vel non agendi imponat (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); libertatem agentis restringit quoad certas actiones, ut de iis non amplius statuere possit pro lubitu suo sed quoad easdem dependeat a voluntate alterius, cui obsequendum.

§. 541.

Quoniam pacta, quatenus promissa continent, assimilantur legibus (§. 540.); *si pacta plures promissiones continent, tot in iisdem spectare datur leges, quot insunt promissa diversa.* *De pluribus legibus uno pacto contentis.*

Pactum scilicet plures promissiones continens est veluti compositum ex pluribus simplicibus, quorum singula singulas promissiones continent. Quodlibet istiusmodi pactum simplex cum legi assimiletur (§. 540.); tot omnino pacto composito inesse intelliguntur leges, quot insunt promissiones particulares. Qui promittit, repræsentat personam ejus, cui lex præscribitur; is autem, cui promittitur, habet sese instar legislatoris, cujus voluntati parendum. In pactis adeo bilateralibus quoad diversa promissa reciproca unus idemque repræsentat personam & legislatoris, & subditi.

§. 542.

Similiter quia pacta, quatenus promissa continent, legibus assimilantur (§. 541.), quæ vero ad agendum obligant, leges præceptivæ sunt (§. 164. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), quæ ad non agendum obligant, prohibitivæ (§. 163. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quæ ad agendum & non agendum non obligant, sed jus saltem agendi & non agendi dant, permissivæ (§. 165. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *quatenus pactum promissionem continet de agendo, legi præceptivæ æquivalet, quatenus vero continet promissionem de non agendo, legi prohibitivæ, & quatenus concedit jus agendi, vel etiam non agendi, legi permissivæ.* *Quatenus pactum legi præceptivæ, prohibitivæ & permissivæ æquivaleat.*

Differentia eadem est promissionum in pactis, quæ est legum. Nimirum utrobique aut necessitas quædam agendi aut non agendi imponitur, aut liberum alicui relinquitur, ut pro lubitu quid agat, vel non agat, ac alter pati teneatur, ut agat, vel non agat, prout visum fuerit.

§. 543.

Si pactum permittens colliditur cum jubente, permittens cedit jubenti. Etenim pactum permittens legi permissivæ, jubens legi præceptivæ æquivalet (§. 542.). Enimvero si lex præceptiva & permissiva inter se colliduntur, permissiva cedit præceptivæ (§. 211. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quodsi itaque pactum permittens colliditur cum jubente, permittens quoque cedere debet jubenti. *De collisione pacti permittentis & jubentis.*

Patet adeo, nos pacta reduxisse ad leges, ut sine ulla opera demonstrari possit, quomodo in pactionibus fieri debeat exceptio, quando ex casu emergente inter se colliduntur. Quod jubetur, cum ad id faciendum simus obligati, necessarium est, ut fiat (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); quod vero permittitur, quia nostro arbitrio relictum, ut faciamus, voluntarium (§. 156. *part.* 1. *Philos. pract. univ.*). Quando itaque fieri nequit, quod voluntarium est, nisi omittatur, quod fieri necesse est, qui est casus collisionis; a voluntario utique abstinendum, minime autem a necessario, necessitate faciendi tollente libertatem omittendi in casu emergente.

§. 544.

BIU Cujas

§. 544.

De collisione pacti permittentis ac vetantis. *Si pactum permittens colliditur cum prohibente, seu vetante; permittens cedit vetanti.* Etenim pactum permittens legi permissivæ, vetans legi prohibitivæ æquivalet (§. 542.). Enimvero si lex prohibitiva & permissiva inter se colliduntur, permissiva cedit prohibitivæ (§. 211. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem si pactum permittens & vetans inter se colliduntur, permittens vetanti cedere debet.

Quod vetatur, cum ad id omittendum obligemur (§. 163. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ut omittatur necessarium est; quod vero permittitur, ut modo annotavimus (*not.* §. 543.), voluntarium. Quando itaque fieri nequit, quod voluntarium, nisi fiat id quod omissu necessarium, id quod necesse est in casu collisionis; a voluntario denuo abstinendum, necessitate omittendi tollente facultatem seu libertatem faciendi in casu emergente.

§. 545.

De collisione pacti jubentis, & vetantis. *Si pactum jubens collidatur cum pacto vetante, jubens cedit vetanti.* Etenim pactum jubens legi præceptivæ, vetans prohibitivæ æquivalet (§. 542.). Ast si lex præceptiva colliditur cum prohibitiva, præceptiva cedit prohibitivæ (§. 210. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ergo si pactum jubens colliditur cum vetante, vetanti cedit.

Quod vetatur, absolute necessarium est, ut nunquam fieri possit: quod jubetur, necessarium quidem est, sed quando fieri potest, cum ad impossibile non detur obligatio (§. 109. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quando quod jubetur colliditur cum eo, quod vetatur; impossibile est, ut fiat, atque adeo hic casus intelligitur exceptus. Quod nimirum jubetur, tacitam hanc habet exceptionem, nisi occurrat impedimentum, quod actionem reddit impossibilem pro præsenti, moraliter scilicet, etsi non physice. Quod jubetur occasionem agendi supponit, quæ utique abest, ubi quid faciendum, quod vetitum.

§. 546.

De pactis affirmativis diverso tempore cum diversis initis. *Si duo pacta affirmativa, seu quæ quid jubent, in casu emergente inter se colliduntur, quæ cum diversis personis inita fuerunt; pactum prius vincit posterius.* Etenim in pacto affirmativo nos alteri obligamus ad aliquid præstandum (§. 841. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum nemo ab obligatione sua seipsum liberare possit (§. 674. *part.* 3. *Jur. nat.*); non licet se obligare alteri ad quid præstandum, quod vi pacti cum alio jam initi præstari nequit. Enimvero si duo pacta affirmativa cum diversis inita personis inter se collidantur, pacto priori satisfieri nequit, siquidem posteriori satisfacere velis (§. 510. *Ontol.*) Casus igitur, quo inter se collidantur, in pacto posteriori tacite exceptus intelligitur, ita ut satisfaciendum sit pacto priori, non posteriori, adeoque posterius cedit priori.

Liberum utique est paciscenti, num & quomodo se alteri obligare velit, quamdiu libertas ejus nullo adhuc modo restricta est, sed idem eadem integra fruitur. Quamprimum vero cum aliquo pactum init, quoad ea, de quibus conventum, libertatem suam restringit, ut adeo alteri sese obligare nequeat ad id, quod pactioni jam antea initæ contrariatur. Pactio itaque posterior fieri nequit nisi sub hac tacita conditione, in quantum pactio prior non obstat. Et sic casus emergens, in quo pactorum fit collisio, in pacto posteriori facile excipitur.

§. 547.

De iis, ad quæ inæqualiter promittens obligatus. *Si quæ in eodem, vel diversis pactis cum eadem persona initis jubentur, in casu emergente inter se colliduntur; id vincit, ad quod fortior est obligatio.* Etenim qui duo alteri

BIU Cujas

teri promittit, ad quorum unum fortius eundem sibi obligari voluit promissarius, quam ad alterum; promissario utique plus interest, ut præstetur id, ad quod fortius sibi obligatum esse voluit promittentem, quam ut præstetur alterum, cum nec alio fine alterum nobis obligemus ad aliquid præstandum, quam ut de præstatione simus certi. Quamobrem voluisse omnino intelligitur, ut, si forsan contingat, utrumque præstari simul non posse, id potius præstetur, ad quod fortius sese obligavit promittens, quam alterum. Quoniam adeo in casu collisionis fieri nequit, ut utrumque simul præstetur (§. 510. *Ontol.*); id utique præstandum, ad quod fortior est obligatio, consequenter hoc vincit, si quæ in eodem, vel in diversis pactis cum eodem initis jubentur, in casu emergente inter se collidantur.

Pacta igitur affirmativa tacitam hanc habent exceptionem, ut, si duo promissa simul adimpleri non possint, id præstetur, ad quod promittens fortius obligatus est. Nimirum aliqua adesse debet ratio, cur promissarius fortius sibi obligari voluit promittentem ad unum, quam ad alterum (§. 70. *Ontol.*). Hæc autem ratio alia esse nequit, quam ut tanto certior sit de adimplendo promisso, quemadmodum ex fine intelligitur.

§. 548.

De collisione promissi jurati & non jurati.

Quoniam id vincit, ad quod fortior est obligatio, si quæ in pactis cum eodem initis jubentur in casu emergente inter se colliduntur (§. 547.), jurans vero fidem suam ei, cui jurat, de veritate dictorum adstringit (§. 881. *part. 3. Jur. nat.*), adeoque obligationem ad præstandum id, quod promissum, fortiorem efficit [§. 758. *part. 3. Jur. nat.*]; *promissum juratum præfertur non jurato, si in casu emergente ea inter se colliduntur, quorum unum jurato, alterum injurato eidem promissum est.*

In promisso jurato duplex adest obligatio, altera, quæ per se inest omni promissioni, altera vero, quæ inest promissioni de non fallenda fide in juramento contentæ. Duplex itaque obligatio fortior omnino est simplici, quæ datur in promissione non jurata. Arcet quoque juramentum omnes tacitas exceptiones ac conditiones (§. 908. *part. 3. Jur. nat.*), consequenter etiam hanc exceptionem, ut, si contingat, quod juramento promittitur, præstari nequeat, propterea quod aliud injurato promissum sit præstandum. Non vero adest, quod istiusmodi exceptionem arceat in promissione non jurata.

§. 549.

De collisione promissi pœnalis cum alio in casu emergente.

Si in eodem pacto, vel in diversis cum eodem initis, quod sub pœna promissum colliditur cum promisso alio, quod pœnam adjunctam non habet; promissio pœnalis vincit alteram, cui nulla pœna addita est: quodsi vero utraque promissio fuerit pœnalis, illa vincit, quæ majorem pœnam adjunctam habet. Etenim cum pœna adjiciatur promisso, ut sit motivum promissum servandi (§. 606. *part. 3. Jur. nat.* & §. 788. *Psych. empir.*); is, cui promittitur, promittentem sibi obligare vult ad servandum promissum (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), etsi ad servandum jam naturaliter sit obligatus (§. 431. *part. 3. Jur. nat.*). Patet itaque, sub pœna promittentem magis obligari ad servandum promissum, quam sine pœna promittentem. Quamobrem cum in casu emergente id vincat, ad quod fortior est obligatio; si in eodem pacto, vel diversis pactis cum eodem initis quod sub pœna promissum colliditur cum promisso alio, quod pœnam nullam adjunctam habet, promissio pœnalis vincit alteram non pœnalem. *Quod erat unum.*

Quoniam pœna adjicitur promisso eo fine, ut promissor obligetur fortius ad servandum promissum, *per demonstrata*, ad promissum, cui major pœna addita est, servandum fortior utique obligatio, quam ad alterum, cui minor pœna adjecta. Quodsi ergo in casu collisionis utraque promissio fuerit pœnalis, illa vincit, quæ majorem pœnam adjectam habet (§. 547.). *Quod erat alterum.*

Quoniam promissiones in pactis contentæ legibus æquiparantur (§. 540.), & quidem positivis,

utpote a voluntate profectæ (§. 147. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ideo non mirum videri debet, quod etiam sanctione pœnali, adeoque adjectione pœnæ ad promissionem (§. 289. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) introducatur positiva quædam obligatio (§. 291. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); quæ, cum ad obligationem, quæ ex promissione venit (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*), accedit eam auget, adeoque fortiorem efficit, ut, qui promissa servare nollet, ad servandam permoveatur.

§. 550.

De eo, quod magis utile vel honestum, minori præferendo.

Si quæ jubentur in eodem pacto, vel in duobus cum eadem persona initis inter se colliduntur; quod magis utile vel honestum est, præferendum minori. Etenim pacta, quæ quid jubent, legibus præceptivis æquiparantur (§. 542.). Quamobrem cum in casu collisionis duarum legum præceptivarum ea vincat, quæ ad melius obligat (§. 213. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); si quæ jubentur in eodem pacto, vel in duobus cum eadem persona initis inter se colliduntur, quod melius est, vincit, adeoque præferendum (§. 208. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque melius censetur, quod magis utile, vel honestum; si quæ jubentur in eodem pacto, vel in duobus cum eadem persona initis inter se colliduntur, quod magis utile, vel honestum est, minori præferendum.

Nimirum utilitatis gratia pactiones fiunt, & quilibet velle præsumitur quod honestum est, quia debet (§. 969. *part.* 1. *Jur. nat.*). Voluntati adeo paciscentium convenit, ut in casu collisionis præferatur quod magis utile, vel honestum minori.

§. 551.

De collisione eorum, quæ moram & moram nullam habent.

In eadem hypothesi, quod statim fieri debet, præferendum ei, quod moram aliquam habet. Quod enim statim fieri debet, differri nequit, consequenter si nunc non fiat, alio tempore fieri nequit: ast quod moram aliquam habet, differri potest ac alio etiam tempore fieri. Quamobrem cum nemo ab obligatione sua sese liberare possit (§. 674. *part.* 3. *Jur. nat.*); erit utique præferendum, quod statim fieri debet, ei, quod moram aliquam habet.

Nimirum quod statim perficiendum, id perfici prius oportet, si utrumque simul, seu uno eodemque tempore fieri nequit ob casum emergentem, quamvis alias fieri potuisset ac debuisset.

§. 552.

Quando in collisione pactorum affirmativorum nil fieri debeat.

In collisione pactorum, ubi nulla ratio dari potest, cur unum alteri præferendum sit; neutrum fieri debet. Quoniam enim sine motivis, adeoque sine ratione sufficiente volitionis (§. 788. *Psych. empir.*), nulla datur volitio (§. 789. *Psych. empir.*); ubi nulla ratio dari potest, cur unum alteri sit præferendum, quando in pactis affirmativis quæ jubentur inter se colliduntur, nec dici potest, voluisse paciscentes, ut unum alteri præferatur. Quoniam tamen impossibile est, ut utrumque simul fiat, *per hypoth.* ad id vero, quod impossibile, nemo obligari potest (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); in hypothesi propositionis præsentis neutrum fieri debet.

Exceptio in casu collisionis pactorum petitur a voluntate præsumta paciscentium, præsumtio vero requirit rationes probabiles volitionis in casu emergente (§. 245. *part.* 2. *Jur. nat.*), ut interpretatio fiat eo modo, quo eam facturus intelligitur qui locutus est, si præsens esset (§. 515.). Quodsi ergo nulla datur ratio probabilis, unde voluntas ejus, qui locutus est, præsumi potest; nulla quoque datur ratio exceptionis, adeoque exceptio nulla facienda est. Quando vero exceptio non fit, per se patet, in casu collisionis nihil fieri posse.

§. 553.

BIU Cujas

§. 553.

In eadem hypothesi si is, cui quid præstandum, & alter, cui præstari debet, inter se convenire volunt, quodnam eorum, quæ simul præstari nequeant, præstandum sit; de exceptione convenire licet. Etenim pacisentium tantummodo interest, utrum hoc potius præstetur, quam alterum, ubi duo, quæ præstanda sunt, in casu collisionis præstari nequeunt. Quamobrem a voluntate eorundem dependet, num de eo, quod præstandum, inter se convenire velint, an quid fieri debeat, per interpretationem definiri malint. Quod ergo de eo, quod præstandum, inter se convenire possint, quando in casu emergente utrumque simul præstari nequit, dubitandum non est, consequenter de exceptione, quomodo ea fieri debeat, convenire licet. *De exceptione per conventionem faciendа.*

De jure suo quilibet statuere potest pro lubitu, quamdiu nil fit contra jus tertii, & pacta homines non minus pro lubitu immutare possunt. Quamvis adeo id præstandum, quod recta interpretatio suggerit (§. 466.); hoc tamen non obstante, aliter conveniri potest. Obligatio nova perimit veterem, & jus novum tollit vetus.

§. 554.

Quoniam in casu collisionis pactorum de exceptione facienda convenire licet (§. 553.), ubi vero nulla ratio dari potest, sequendo scilicet leges interpretationis, cur unum alteri sit præferendum, neutrum fieri debet (§. 552.); *in eo etiam casu, quo nulla ratio dari potest, cur unum alteri sit præferendum, de exceptione facienda convenire licet.* *An conveniri etiam possit de exceptione, quando vi interpretationis nulla locum habet.*

Quando nimirum vi interpretationis nihil faciendum, conventio de exceptione facienda æquivalet pacto, quo quis sibi alterum obligat ad aliquid præstandum, qui nihil adhuc debet. Pacta vero omnia, quæ non referuntur ad alia, in quibus quid immutant, fiunt de eo, quod non debetur, & cum eo, qui nihil debet. Immo nec iniquum est confugere ad conventionem in hypothesi propositionis præsentis. Etenim fieri potest, ut detur aliqua ratio faciendæ exceptionis, quamvis ea nobis non appareat. Quando itaque per conventionem definitur exceptio, tanto minus metuendum, ne forte alteri denegetur, quod erat tribuendum.

§. 555.

Similiter quoniam de exceptione in casu collisionis convenire licet (§. 553.); *pactis etiam adjici potest conventio de facienda exceptione, si in casu emergente ea, de quibus pactio facta est, inter se colliduntur; tumque exceptio fieri debet, quomodo conventa fuit* (§. 789.) *part. 3. Jur. nat.*). *De exceptione conventa.*

Interpretatio nititur voluntate præsumta; conventio vero, quæ pacto inest, voluntate expressa. Ad præsumtam confugere opus non est, ubi constat de expressa, nec opus est interpretatione, ubi mens pacisentium aperta est (§. 460.). Immo vix dubitandum foret, ut pacisentes de exceptione facienda convenirent, siquidem casum emergentem prævidere liceret, quo ea, de quibus convenitur, inter se colliduntur. Semper præstat mentem pacisentium esse apertam, quam conjectando demum eam colligere.

§. 556.

Quoniam de exceptione facienda in casu collisionis pactorum convenire licet (§. 553.), in dubio autem ad sortem confugere licet (§. 296. *part. 5. Jur. nat.*); *si in casu collisionis dubium fuerit, quomodo facienda exceptio, vel nulla ratio appareat, cur unum alteri præferendum, ita etiam conveniri potest, ut exceptio sorti committatur.* *De exceptione sorti committenda.*

BIU Cujas

Hæc conventio est contractus sortis electricis (§. 304. *part. 5. Jur. nat.*), ubi, quemadmodum in genere electio, ita in casu præsenti in specie exceptio fortunæ committitur (§. 305. *p. 5. Jur. nat.*). Contractus sortis electricis quemadmodum latissime patet (*not.* §. 304. *p. 5. Jur. nat.*); ita etiam extenditur ad exceptionem, quando ea dubia fuerit, vel de interpretatione disceptatur.

§. 557.

Regula generalis de exceptione in casu collisionis pactorum facienda.

In collisione pactorum exceptio facienda eo modo, quo eam facturus fuisse præsumitur qui promisit, siquidem dum promittebat de ista collisione cogitasset. Quando enim pacta interpretamur, inquirimus in mentem ejus, qui promisit, ut constet, quid debeatur (§. 459.). Quodsi ergo in eorum collisione exceptio facienda, inquirendum est, quidnam excipere voluisset, qui se ad præstandum alteri obligavit, si de casu isto cogitasset, quo utrumque præstari nequit. Quamobrem ita facienda exceptio, quo eam facturus fuisse præsumitur, qui promisit, si quidem dum promittebat de ista collisione cogitasset.

Nimirum nemo sibi alterum obligare potest ad aliquid præstandum ultra voluntatem suam (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*), adeoque nec in casu emergente, quo utrumque, ad quod se obligavit alter, præstare nequit, ab eodem exigere potest nisi id, ad quod se in eodem casu obligare voluit. Quoniam expresse de eo nihil dictum, *per hypoth.* quid præsumendum sit quæritur. Standum igitur ea exceptione, quam facturus fuisse præsumitur qui promisit, si de casu collisionis cogitasset. Ex principio hoc generali deduci poterant regulæ, de quibus in præcedentibus egimus, nisi collisionem pactorum ad collisionem legum reducere voluissemus.

§. 558.

De rationibus specialibus in facienda exceptione generalibus præferendis.

Quoniam *in collisione pactorum* exceptio eo modo facienda, quonam facturus fuisset *qui promisit*, siquidem, dum promittebat, de ista collisione cogitasset (§. 557.); *si rationes particulares adsunt, per quas apparet, quid excepturus fuisset, siquidem de casu collisionis cogitasset, id excipiendum, etiamsi alie ducant regulæ generales.*

Ad rationes generales recurrendum, ubi speciales deficiunt, vel sub generalibus continentur. Immo ubi regulæ generales applicandæ, de rationibus specialibus plerumque constare debet. Ex. gr. Si præferendum id, quod utilius, utilitas haud raro æstimanda est ex opinione, non ex veritate. Quamobrem ubi de illa constat, ad hanc non recurrendum: in dubio autem præsumitur, quod veritati consentaneum, cum opiniones variæ sint hominum de re eadem, veritas autem nonnisi unica sit. Si ad rationes particulares animum advertamus, quoties casus aliquis emergit, in quo pacta colliduntur; in alias adhuc regulas generales quin incidamus, quæ ab antea demonstratis diversæ sunt, dubitandum non est. Neque enim existimandum est non alio modo voluntatem promittentis de exceptione facienda in casu collisionis præsumi posse, quam per regulas istas. Quodsi Logica probabilium, quæ hactenus in formam artis redacta non est, magis fuerit exculta; huic etiam parti interpretationis pactorum major lux affundetur.

§. 559.

Conditionem offerre & accipere quid sit.

Conditionem offerre dicitur, qui declarat, quid sibi promitti velit. *Conditionem accipere* vero dicitur, qui illi promittit. *Conditionem adeo offerens declarat, ad quid alterum sibi obligari velit; accipiens autem, ad quid se alteri obliget* (§. 363. *part. 3. Jur. nat.*).

Ex. gr. Si interrogo: Visne mihi locare hortum tuum pro quinquaginta thaleris, & tu respondes: volo; ego conditionem offero, tu accipis. Similiter si ego interrogo: Visne mihi dare centum, & ego respondeo: volo dare octingenta; ego conditionem offero, tu accipis. Conditionem adeo offerens in contractu idem est, qui stipulatur; accipiens vero, qui promittit.

§. 560.

BIU Cujas

§. 560.

In contractibus interpretandis magis attendenda sunt verba conditionem accipientis, seu promittentis, quam conditionem offerentis, seu stipulantis, nisi verba illius ad verba hujus referantur. Qui enim conditionem offert alterum sibi ad quid præstandum obligari vult, qui vero conditionem accipit idem sese obligat (§. 559.). Enimvero nemo sibi alterum ad aliquid præstandum obligare valet ultra voluntatem suam (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*), & contra promittentem pro vero habetnr, quod sufficienter indicavit (§. 428. *p.* 3. *Jur. nat.*). Ex verbis adeo accipientis, non offerentis conditionem dijudicandum, ad quidnam ille huic sit obligatus. In pactis itaque seu contractibus interpretandis magis attendenda sunt verba conditionem accipientis, seu promittentis, quam conditionem offerentis. *Quod erat unum.*

Cujusnam verba in pactis interpretandis magis attendenda.

Enimvero si verba accipientis referantur ad verba offerentis conditionem; tum perinde est ac si verba offerentis repeteret accipiens, eaque sua faceret. Quoniam itaque verba offerentis accipi debent pro verbis accipientis, in contractibus autem interpretandis verba accipientis attendenda sunt, *per demonstrata*; si verba accipientis referantur ad verba conditionem offerentis, verba offerentis utique attendenda sunt. *Quod erat alterum.*

Quæstionem hanc movit *Plutarchus* in Symposiacis lib. 9. c. 13. & *Grotius* l. c. §. 32. recte distinguit inter verba absoluta & relativa, quemadmodum ex demonstratione propositionis præsentis abunde liquet. Illustre exemplum præbent capitulationes de munimentis obsessis tradendis, ubi qui urbem obsessam defendit conditiones offert, sub quibus eam hosti tradere vult, qui eandem obsidet accipit, atque declarat, sub quibus conditionibus eam sibi tradi velit, nunc verbis absolutis, nunc relativis, prouti ad declarandum mentem suam requiruntur.

CAPUT IV.

De Jure ex communione primæva residuo & Jure necessitatis in genere.

§. 561.

Jus ex communione primæva residuum vocatur, quod, postquam dominia rerum introducta sunt, nobis adhuc competit in eas res, quæ sunt in aliorum dominio.

Jus ex communione primæva residuum quodnam dicatur.

In communione primæva usus rerum corporalium necessarius promiscue patet omnibus (§. 19. *part.* 2. *Jur. nat.*), ipsarum etiam industrialium & artificialium (§. 32. *part.* 2. *Jur. nat.*). Aut introductis dominiis dominus excludit omnes jure in eas res, quæ sunt in dominio ipsius (§. 120. *p.* 2. *Jur. nat.*). Nullum adeo jus in res, quæ sunt in dominio alicujus, quoad usum earundem aliis competere videtur, postquam communio primæva sublata fuit. Inanem igitur operam nos sumere existimaturi forsan sunt nonnulli, quando de jure ex communione primæva adhuc residuo agere instituimus. Enimvero quemadmodum in capite præcedente vidimus, quamvis pacta sint servanda (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*), hoc tamen non obstante in casu emergente admittendam esse exceptionem; ita non minus in præsenti patebit, etsi domino soli competat jus de rebus suis quomodocunque disponendi, hoc tamen non obstante dari casus, in quibus exceptio facienda, immo hanc exceptionem tacite factam intelligi, cum dominio subjici res cœperint. De hoc itaque jure in præsenti nobis erit dicendum. Quoniam vero nonnulla supponenda sunt, quæ ad Jus necessitatis in genere spectant; de eodem una in capite præsenti agendum duximus.

§. 475.

BIU Cujas

§. 562.

Quousque dominia non fuerunt extendenda, cum introducerentur.

Introductione dominiorum nemini auferri potuit penitus usus rerum necessarius. Etenim communio primæva, quæ ultra usum rerum necessarium non extenditur (§. 21. *part.* 2. *Jur. nat.*), jus connatum est (§. 10. *part.* 2. *Jur. nat.*). Enimvero jus connatum nemini auferri potest (§. 64. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem nec dominiorum introductione usus rerum necessarius alicui penitus auferri potuit.

Penitus nimirum aufertur alicui usus rerum necessarius, quando non datur modus ullus, quo eundem obtinere potest. Ex. g. Si esurienti nullus modus concedatur cibo potiundi, quo stomachi latrantis desideria expleat; usus cibi necessarius, adeoque jus omne ad eas res, quæ cibo inserviunt, eidem penitus ademtum est, ut proprerea ipsi fame sit pereundum. Dico igitur, dominia rerum ita introduci non potuisse, ut ob defectum cibi omnis alicui fame sit pereundum.

§. 563.

Existentia juris ex communione primæva residui.

Quoniam introductione dominiorum nemini auferri potest penitus usus rerum necessarius (§. 562.); *dominia introducta intelliguntur cum tacita hac restrictione, ut, si in casu emergente contingat alicui penitus auferri necessarium rerum usum, eidem jus aliquod competat in eas res, quæ sunt in dominio.*

Atque ita ostendimus, jus quoddam in eas res, quæ sunt in dominio, ex communione primæva adhuc reservatum esse hominibus, quod quale sit nunc porro inquirendum. Jus adeo homini competere aliquod in res, quæ in alterius dominio sunt natura, independenter a voluntate domini absurdum non est, quia repugnare videtur dominio, quod reliquos omnes excludit jure disponendi de re pro lubitu suo, quia ipsa lex naturæ exclusionem restringit, ita ut eidem tacite insit hæc restrictio, nisi casus aliquis emergat, quo aliquis penitus privaretur usu rerum necessario. Quinam vero sit necessarius iste usus, ex iis abunde liquet, quæ alias de communione primæva demonstravimus. Dominia rerum non fuerunt introducta, ut usu rerum necessario quidam carere cogerentur, sed ut de eodem melius prospiceretur universis (§. 77. *p.* 2. *Jur. nat.*). Ipsa sane dominia introducta in causa sunt, ut rerum industrialium atque artificialium numerus multiplicetur, & viles atque abjectas, immo etiam difficiles operas præstent aliis, qui stante communione primæva eas præstare nollent. Sed nostrum jam non est de his prolixe dicere, quæ unus quisque levi attentione ad ea, quæ quotidie ubivis obvia sunt, assequi potest.

564.

Jus necessitatis quid sit.

Jus necessitatis est, cui sola necessitas locum facit, ad actus quosdam alias non licitos, propterea quod sine iis obligationi cuidam indispensabili satisfieri minime posset. Unde sequitur, *actum illum, ad quem necessitas jus dat, esse debere medium unicum satisfaciendi obligationi cuidam indispensabili.*

Jus adeo necessitatis oritur ex collisione legum, adeoque per modum exceptionis. Quando itaque vulgo dicitur, necessitatem nullam habere legem: id duplici modo spectari debet. Nimirum aut physice impossibile est, ut quis obligationi suæ satisfaciat, & tum valet illud, ad impossibile nemo obligatur (§. 209. *part* 1. *Philos. pract. univ.*), atque inevitabilis istiusmodi necessitas utique nullam habet legem; aut in casu emergente impossibile est, ut obligationi tuæ satisfacias, nisi quid facias, aut omittas, quod alias facere, aut omittere non liceret, & tum necessitas non dicitur nullam habere legem nisi quatenus consideratur ea lex, a qua exceptio facienda. In priori casu lex simpliciter accipitur; in casu posteriori relative pro ea, a qua exceptio facienda. Absolute adeo dici nequit, necessitatem nullam habere legem. Patet præterea in casu priori necessitatem, quæ legem respuit, independenter ab omni lege oriri; in casu autem posteriori oriri a lege, quæ alteram vincit. Omnia hæc manifestiora evadent per ea, quæ mox demonstrabuntur.

§. 565.

BIU Cujas

§. 565.

Exceptiones in casu collisionis legum faciendæ pertinent ad jus necessitatis. Etenim quando leges duæ inter se colliduntur, fieri non potest, ut utramque simul serves, seu utrique simul satisfacias (§. 206. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & hæc collisio exceptionem parit (§. 207. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum in casu collisionis faciendæ sola necessitas efficiat, ut lege una neglecta alteri satisfacias (§. *cit.*), adeoque jus det ad legem unam non servandam, ut obligationi, quæ est ex altera, satisfacere possis (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); jus autem necessitatis sit, cui sola necessitas locum facit ad actus quosdam alias non licitos, propterea quod indispensabili cuidam obligationi satisfacere non potes (§. 564.); exceptiones in casu collisionis legum faciendæ ad jus necessitatis pertinent. *Exceptiones in legum collisione quale jus.*

Nimirum moraliter necesse est, ut utrique legi satisfiat (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), aut si de lege permissiva sermo sit, huic quoque satisfacere liceat (§. 170. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*): at physice impossibile est, ut utrumque fiat. Necessitas physica tolli nequit, adeoque necessitas moralis quoad legem unam cedere debet eidem, ut legi alteri satisfieri possit. Necessitas itaque licitum facit neglectum legis unius, qui alias non foret licitus, & actum, qui a lege permissiva dependet, facit illicitum, qui alias foret licitus. Atque adeo patet, necessitati esse quandam vim in leges etiam naturales, atque a vero aberrare, qui eidem nihil efficaciæ circa moralitatem actionum tribuere volunt. Quoniam vero necessitas facit, ut legem quandam negligere liceat, quam alias servari oportet, necessitas utique dat jus ad actum quendam, sive positivum, sive negativum, quod alias nemini competit, ut adeo non tantummodo excusetur, qui legem non servat, & necessitas tantummodo det veniam legem non servanti, quemadmodum nonnullis visum est. Immo quod proprie jus est, non dici potest saltem favor necessitatis, quasi neglectus legum indulgeatur ex mero favore. Legem non transgreditur, qui eam propter exceptionem in casu collisionis faciendam negligit, cum tum necessitas eundem liberet ab obligatione servandi, propterea quod nemo obligari potest ad id, quod impossibile (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), consequenter nec ad simul servandum duas leges, quæ simul servari impossibile est.

§. 566.

Si inevitabilis adsit necessitas, cui resistere minime potes, ut non facias id, quod lege jubetur, ad id faciendum non obligaris. Etenim si necessitas inevitabilis, cui resistere minime potes, adsit, ut non facias id, quod lege jubetur; ut facias impossibile est, & quoniam necessitas ista inevitabilis fuit, nec tibi imputari potest, quod facere nequeas, quod lege jubetur (§. 528. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum nemo obligari possit ad id, quod ipsi impossibile (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), præsertim cum ipse in causa non sit, ut sit impossibile (§. 527. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); si inevitabilis necessitas, cui resistere non potes, adsit, ut non facias id, quod lege jubetur, ad id faciendum non obligaris. *De necessitate inevitabili, cui resisti non potest.*

Homo obligatur ad corpus suum conservandum (§. 449. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque ad cibum ac potum capiendum (§. 380. *part.* 1. *Jur. nat.*), ne fame necetur. Enimvero ponamus ob tumorem cibum ac potum deglutiri non posse, necessitate, cui resistere minime potes, compulsus a cibo ac potu abstinere debes, etiamsi fame tandem neceris. In hoc igitur casu obligatus non es ad cibum ac potum capiendum, ne fame neceris, & ubi tandem fame pereundum, hoc tibi imputari non potest, ut habearis pro causa mortis tuæ, quoniam abstinentia ab omni cibo ac potu non fuit libera, sed simpliciter necessaria. Idem dicendum est, si per vastum mare navigantibus deficit omnis cibus ac potus, aut si tanta fuerit annonæ caritas, ut habere non possis, unde famem expleas. Aliud exemplum est, si incendio suborto mater ex ædibus fugiens infantem in cunis vagientem relinquere cogitur, ut flammis feralibus torreatur: neque enim tum dici potest obligata ad infantem flamma eripiendum.

§. 567.

BIU Cujas

§. 567.

Tacita exceptio legum præceptivarum.

Quoniam lex non obligat ad id faciendum, quod jubet, si inevitabilis neceſſitas, cui reſiſtere minime potes, adſit, ut non facias (§. 566.); *leges naturales tacitam habent exceptionem, niſi inevitabilis neceſſitas, cui reſiſtere minime potes, adſit, ut non facias.*

Caſus adeo extremæ neceſſitatis in lege præceptiva etiam naturali exceptus: *extrema* nimirum *neceſſitas* ea eſt, quæ inevitabilis & cui reſiſtere minime potes. Quodſi neceſſitatem iſtam, cui reſiſtere non potes, evitare potuiſſes; quod eam non evitaveris, tibi imputabitur (§. 532. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter tibi etiam imputabitur, quod non feceris, quæ lex jubet, quoniam facere potuiſſes, ſiquidem neceſſitatem iſtam evitaſſes. Atque in hoc caſu dici poteſt, te miſeratione magis excuſari, quod non feceris, quam quod jure non feceris. Ita lex naturæ ſtomachi latrantis deſideria explere jubet, cum tacita hac exceptione, niſi impoſſibile ſit, ut quod ori ingeſtum deglutias, vel niſi impoſſibile ſit, ut cibo ac potu potiaris. Similiter in altero exemplo lex naturæ jubet, ut mater infantem in cunis vagientem flamma eripiat, incendio ſuborto, ſed cum tacita exceptione, niſi ipſi una cum infante ſit pereundum, ſiquidem fugiens infantem in cunis relinquere nolit, vel etiam niſi impoſſibile ſit, ut ipſum flamma eripiat. Lex naturæ nobis innoteſcit per rationem (§. 259. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque rationi conſentanea eſt (§. 485. *Pſych. empir.*), ſeu quia demonſtrari poteſt (§. 455. *part.* 1. *Philoſ. pract. univerſ.*), rationi conformis eſt (§. 486. *Pſych. empir.*). Quamobrem præcipere nequit, quod phyſice impoſſibile, conſequenter quod abſurdum eſt. Quando itaque in caſu emergente phyſica impoſſibilitas, quæ efficit ejus, quod præcipitur, oppoſitum ſimpliciter neceſſarium, cum neceſſitate morali, quam lex imponit, colliditur, illa hanc utpote omni vi tum deſtitutam vincit, adeoque lex caſum iſtum comprehendere nequit. Lex diſponit de actionibus liberis, quæ a libertate animæ pendent (§. 12. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ut non minus poſſibile ſit actionem a nobis committi, quam omitti (§. 941. *Pſych. empir.*), & tum libertatem reſtringit neceſſitatem moralem actionem committendi, vel omittendi imponens, quatenus vel præcipit, vel prohibet (§. 118. 163. 164. *part.* 1. *Philoſ. pract. univ.*). Quamprimum igitur natura rerum actionem efficit ſimpliciter impoſſibilem, cum eandem in caſu iſto ex numero liberarum actionum eximat, non amplius manet objectum legis naturæ: quæ cum adeo in caſu iſto de eadem minime diſponat, neceſſitati parendum.

§. 568.

Neceſſitas liberat a peccato.

Quia caſus neceſſitatis inevitabilis, cui reſiſti nequit, ſub lege minime continetur (§. 567.); *qui in eodem omittit actionem, quam lex præcipit, legem non tranſgreditur* (§. 139. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), *conſequenter* cum actio ejus legi naturæ contraria non ſit, (§. *cit.*), *non peccat* (§. 440. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Ita mater infantem flammæ concedens, cui eundem eripere nequit, & ex domo, quam eadem corripuit, aufugiens, ne una cum infante pereat, non peccat, cum in hoc caſu lex non præcipiat ſervare infantem, quæ ſervari a matre nequit. Similiter non peccat, qui ab omni cibo ac potu abſtinet, quem deglutire non poteſt, quia lex non jubet capere cibum ac potum, quando deglutitio impoſſibilis. Quamvis vero hæc adeo manifeſta videantur, ut tam prolixa explicatione indigere non videantur; noſtrum tamen eſſe duximus nihil eorum omittere, quod huc facit, ut veritatem penitus perſpiciamus. Quamvis autem neceſſitas irreſiſtibilis, quatenus inevitabilis, liberet a peccato; aliud tamen dicendum eſt, ſi ea fuerit evitabilis. Qui enim neceſſitatem ſibi irreſiſtibilem evitare potuiſſet; is ſibimetipſi impoſuit neceſſitatem peccandi, cui deinceps invitus parere cogitur. Culpa igitur non vacat, quando neceſſitati parere cogitur, quamvis neceſſitati demus veniam, prouti culpa major, vel minor eſt, quam commiſit, in non evitando, quod vel facilius, vel difficilius evitari poterat. Atque tum neceſſitas, cui reſiſti nequit, excuſationem quandam tribuit: quæ quantum valeat, ex iis æſtimandum, quæ de culpa ſatis prolixe demonſtravimus in parte prima philoſophiæ practicæ univerſalis.

§. 569.

De impedimento inevitabili, ſed reſiſtibili.

Quamdiu impedimento inevitabili adhuc reſiſti poteſt, ne obſtet, quo minus facias, quod lege jubetur; lex ad faciendum te obligat. Etenim quamdiu impedimento inevitabili

BIU Cujas

tabili adhuc resisti potest, ne obstet, quo minus facias, quod lege jubetur; in tua quidem potestate non fuit, efficere, ne illud sese tibi offerret, illud tamen removere potes, consequenter necesse non est, ut omittas, quod erat committendum. Quamobrem cum nulla adhuc adsit ratio, cur obligatio cessare debeat, seu nihil sadsit, quod vim obligandi legi demat; hanc adhuc retinet, adeoque ad faciendum te obligat.

Nimirum quamdiu possibile est, ut legi satisfacias, eidem satisfaciendum; quando vero impossibile est, ut satisfacias, per se patet, eidem satisfieri non posse. Quamobrem cum lex non obliget ad id, quod impossibile (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); vim suam obligandi tamdiu retinet, quamdiu impossibile non est ut servetur. Ita in exemplo, quod ante dedimus (*not.* §. 567.), etsi matar evitare non potuerit casum, quo flamma domum corripuit & in ea scalam, per quam ad infantem in cunis cubantem ascenditur; si tamen adsint scalæ, ut per fenestras in cubile ascendi ac infans servari possit, adhuc obligatur ad infantem servandum: si non facit, omnino peccat; sit ita, quod perplexitas nimia, aut metus incertus, ne forsan cum ipso infante ipsi sit pereundum, excusationem tribuat, utpote culpam minuens. Agitur hic de rigore juris naturalis, quæ exceptionem non admittit, nisi quando necessitati inevitabili nullo modo resisti potest. Ceterum cum non semper cuivis pateat modus, quo impedimento, quod casu offertur, resisti potest; fieri utique potest, ut qui eidem non resistit, etsi simpliciter impossibile non esset, ut resisteret, ignorantia invincibili laboret, aut ignorantia, quæ ob circumstantias præsentes ad eandem propius accedit, tumque hæc ipsa ignorantia impedimentum respectu agentis irresistibile efficit, quod in se spectatum tale non erat. Multa circumspectione opus est, ne necessitas, quæ exceptionem a lege facit, ultra suos limites extendatur, nec ex parte agentis rigor legis extendatur in nimium, hoc est, ultra ea, quæ in potestate agentis sunt, usu facultatum a circumstantiis præsentibus pendente, quemadmodum ex Psychologia satis superque constat. Usum, quæ hic dicuntur, habent in praxi etiam morali, quando de impedimentorum remotione agitur, ne, quod difficulter insuperabile est, pro simpliciter tali habeatur, nec quod in se spectatum superabile statim cuilibet promiscue superabile existimetur. Nec nimia accusari potest scrupulositas in iis, quæ ad conscientiæ custodiam faciunt, qua integra ac illæsa frui magna felicitatis pars est. Qui de casibus conscientiæ tractant, eorum scrupulositas nimia non est, quam veritas defendit.

§. 570.

Quoniam lex tamdiu ad faciendum obligat, quamdiu impedimento licet inevitabili adhuc resisti potest (§. 569.), quando vero eidem resisti non potest, non obligat (§. 566.); *casus necessitatis, lege exceptus* (§. 567.), *non existit, nisi quando impedimento casu mero, seu fortuito oblato resisti nullo modo potest.* *Quando casus necessitatis lege exceptus existat.*

Ita mater non ante liberatur ab obligatione servandi infantem, nisi quando nullo modo fieri potest, ut eundem flammæ ferali eripiat, nec sine peccato fame enecatur, nisi is, cui simpliciter impossibile, ut ori ingestum deglutiat, vel cui simpliciter impossibile est ullo cibo, ac potu potiri. Casus necessitatis supponit impossibilitatem oppositi simpliciter.

§. 571.

Nulla datur necessitas, cui resisti non possit, ut facias, quod prohibetur. Etenim voluntas non potest cogi (§. 927. *Psych. empir.*), adeoque nulla vi externa adigi potes ad volendum (§. 926. *Psych. empir.*). Quamobrem nunquam impossibile est, ut omittas, quod prohibetur, consequenter nulla datur necessitas, cui resisti non possit, ut facias, quod prohibetur. *An detur necessitas irresistibilis faciendi, quod prohibetur.*

Qui facit, quod prohibetur, utique facere vult. Quamobrem cum actus volitionis nulla vi externa elici possit (§. *cit. Psych. empir.*); nec possibile est, ut quis ulla vi externa adigatur ad faciendum, quod prohibetur. Nulla necessitas, cui resisti possit, efficere potest omissionem actus impossibilem, sed ea semper in se possibilis est. Quodsi excipias, fieri posse, ut fortior impingat manum tuam in malam alterius, quem colapho percutere non vis; nemo non videt, tum non te hoc facere, sed alterum, qui, cum te sit fortior, manu tua utitur tanquam instrumento, te invito.

BIU Cujas

§. 572.

Casus a lege prohibitiva exceptus.

Si quis actus fuerit medium unicum satisfaciendi obligationi tuæ indispensabili ac removendi impedimentum, vel resistendi te lædere conanti; is lege prohibitiva, ne hoc facias, non continetur. Quoniam enim obligatus es ad hoc faciendum *per hypoth.* lex tibi imponit necessitatem id faciendi (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & dat jus ad eos actus, sine quibus obligationi tuæ indispensabili satisfacere minime potes (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), consequenter etiam ad eos, sine quibus impedimentum removeri nequit, quod obstat, quo minus satisfacias. Quoniam tibi competit jus alterum cogendi, ne te lædat, ubi lædere conatur (§. 914. *part.* 1. *Jur. nat.*); tibi quoque dat jus te lædere conanti resistendi (§. 726. *Ontol.*). Quamobrem cum absurdum sit tibi imponere necessitatem quidpiam agendi, dare jus ad actus, sine quibus obligationi tuæ indispensabili satisfacere non potes, nec non jus te lædere conanti resistendi, ac tamen prohibere actum, qui solus in casu emergente datur ad satisfaciendum obligationi tuæ & ad resistendum te lædere conanti; quando actus aliquis medium unicum est satisfaciendi obligationi tuæ indispensabili ac removendi impedimentum, quod obstat, quo minus satisfacias, vel resistendi te lædere conanti, is prohiberi nequit, adeoque lege, qua alias prohiberis, ne hoc facias, non continetur.

Obtinet hoc in defensione sui & juris sui, adeoque & rerum suarum. Quod enim licitum inferre malum aggressori, exceptio est ex collisione officiorum erga teipsum & erga alios resultans (§. 1012. *part.* 1. *Jur. natur.*), adeoque lege prohibitiva, ne alteri malum inferas, minime continetur. Nimirum tu obligaris ad corpus tuum & vitam tuam conservandam (§. 349. 250. *part.* 1. *Jur. nat.*), & ad periculum vitæ ac integritatem organi cujusdam corporis lædendi vitandum, quantum in potestate tua est (§. 371. 373. *part.* 1. *Jur. nat.*) Aggressor, qui te lædere conatur (§. 979. *part.* 1. *Jur. nat.*), te in periculum vitæ aut integritatem organi cujusdam corporis perdendi adducit, immo alterutrum horum intendit, dum vi impetit corpus tuum. Quodsi vero obligationi tuæ satisfacere ac jure tuo tibi competente, ut eidem satisfacere possis, uti velis, necesse est, ut vim vi repellas, vel ipsum interficiendo, vel corpus ejus mutilando, aut vulnerando, prouti casus tulerit. Actus igitur, quo aggressor interficitur, vel corpus ejus mutilatur, aut vulneratur, non prohibitus, quando est medium unicum sese conservandi, adeoque obligationi indispensabili satisfaciendi, & læsioni intentatæ resistendi, etsi extra hunc casum prohibeatur. Probe considerandum est, in hypothesi propositionis præsentis actum istum appeti non ea intentione, ut facias, quod prohibitum, sed ut facias, quod jubetur seu præcipitur, & ideo, quod jure tuo utaris. Non tollis jus alterius, quod facere minime licet (§. 910. *part.* 1. *Jur. natur.*); sed alter vult tollere jus tuum, & tu ne hoc faciat jure tuo impedire conaris (§. 913. *p.* 1. *Jur. nat.*). Actus, quatenus spectatur tanquam medium satisfaciendi obligationi tuæ & resistendi læsioni intentatæ, nihil continet, quod illicitum est, sed potius quod debitum ac licitum; quatenus vero ex eo sequitur quod alteri damnosum, id præter intentionem tuam accidit, quatenus alter te adducit in eam necessitatem, ut aliud medium satisfaciendi obligationi tuæ ac resistendi læsioni, aut removendi impedimentum, quod obstat, quo minus satisfacere possis, non suppetat. Unde in casu defensionis, ad quem illustrationis causa provocavimus, malum alterius non appeti diximus, quatenus est malum alterius, sed quatenus est medium unicum declinandi proprium, ac defendentem malle, ut alter ab eo sit immunis (§. 993. *part.* 1. *Jur. nat.*). Nihil adeo vitiosi est in appetitu, seu voluntate, quod reprehendi possit. In moralibus autem potissimum respiciendum ad actus internos, an in iis deprehendatur, quod rectitudini actionis obstat.

§. 573.

Necessitas quando faciat licitum, quod alias foret illicitum.

Quando actus est medium unicum satisfaciendi obligationi suæ indispensabili ac removendi impedimentum, quod obstat, quo minus satisfacias, vel resistendi te lædere conanti, necessitas irresistibilis adest hoc agendi, si quidem obligationi tuæ satisfacere debes (§. 279. *Ontol.*). Quoniam itaque actus, quando est medium unicum satisfaciendi obligationi tuæ ac removendi impedimentum, quod obstat, quo minus satisfacias, vel resistendi te lædere conanti, lege prohibitiva, ne hoc facias, non continetur (§. 572.);

neces-

BIU Cujas

neceſſitas irreſiſtibilis licitum efficit actum, qui alias foret illicitus, quando ſit medium unicum ſatisfaciendi obligationi indiſpenſabili ac removendi impedimentum eidem ſatisfaciendi, vel reſiſtendi læſioni, quæ intentatur.

§. 574.

Si par malum imminet, nobis potius quam aliis conſulere debemus. Etenim quilibet operam dare debet, ut ſibi caveat a malis quibuſcunque, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 183. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec minus cavere debet, quantum in poteſtate ſua eſt, ne alius quicunque in mala quæcunque incidat §. 613. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quodſi ergo tibi ac alteri par malum imminet, nec utrique ſimul conſulere potes; officium erga teipſum colliditur cum officio erga alios (§. 206. 226. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero quando officium erga ſeipſum & officium erga alios inter ſe colliduntur, officium erga ſeipſum vincit (§. 229. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi tibi ac alteri par malum imminet, tibi potius, quam alteri conſulere debes (§. 208. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) *Si par malum tibi & alteri imminet.*

Sub hac propoſitione etiam continetur caſus defenſionis, qua malum infertur aggreſſori. Etenim qui vi impetit corpus tuum, malum tibi inferre intentat: quod cum propulſari non poſſit, niſi vis vi repellatur, tibi & aggreſſori par malum imminet. Quamobrem ſi tibi potius conſulendum, quam alteri; malum potius alteri inferre, quam pati debes, ut tibi inferatur. Atque hinc patet, quod vulgo dicitur, vim vi repellere licere, & quomodo hoc ſit intelligendum, ne in abuſum trahatur. Huc etiam pertinet caſus naufragii, quo tibi deturbare licet alterum tabulam apprehendentem, quam prior tui conſervandi cauſa apprehendiſti, ſi ſine præſenti diſcrimine hoc facere non poſſis (§. 1017. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamvis vero videri poſſit utrique veſtrum competere vi præſentis propoſitionis jus ſui ſalvandi cauſa alterum de tabula deturbandi, quemadmodum etiam *Lactantio* viſum eſt; ea tamen hic differentia eſt quoad malum imminens inter te & alterum, quæ inter defenſorem & aggreſſorem intercedit. Nimirum tibi nullum imminet malum, niſi culpa alterius, alteri autem par non imminet niſi culpa ſua, non tua, ex cujus facto illicito reſultat, ut malum utrique immineat. In caſu defenſionis malum evitare poteſt aggreſſor, ſi ab actu illicito, ſeu vi illicita abſtineat; in caſu altero patienter ferendum eſt, quod mutari non poteſt, nec obligatus quis intelligitur ad vitam conſervandam, quando vi majori reſiſti nequit, conſequenter nec ea teliberat ab obligatione, quæ a lege prohibitiva venit, ut facere liceat, quod prohibetur, nimirum ut auferre liceat alteri jus quæſitum, ſcilicet utendi tabula, quam apprehendit ad ſe ſervandum (§. 36. *part.* 2. *Jur. nat.*). In eo autem caſu, quo uterque ſimul tabulam apprehendit utrique idem jus eſt ſibi conſulendi, adeoque alterum deturbare qui poteſt, eidem hoc facere licet, quemadmodum alias jam oſtendimus (§. 1017. *part.* 1. *Jur. nat.*). Tabula tum ſpectatur tanquam res communis, ad cujus uſum utrique æquale jus eſt. Quemadmodum vero nemo alterum in uſu rei communis turbare poteſt, qui prior rem apprehendit (§. 35. *part.* 2. *Jur. nat.*); ita etiam utrique idem jus eſt, non patiendi, ut alter eum de tabula deturbet. Sed cum deinde, quia nonniſi unus ejus ope ſervari poteſt, officia erga ſeipſum & erga alios colliduntur; utrique etiam vi præſentis propoſitionis idem jus eſt ſibi potius quam alteri conſulendi. Uterque adeo jure ſuo uti poteſt, conſequenter nonniſi vi unus alterum vincere valet.

§. 575.

Omne officium erga alios hanc habet exceptionem, ut tibi potius conſulas, quam alteri, ſi aut tibi, aut alteri deeſſe debes. Etenim alteri non debes, quod tibi, ſiquidem officium erga teipſum negligere debes (§. 608. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quod ſi adeo tibi ipſi deeſſe non debes, ut proſis alteri; ſi tibi ac alteri ſimul conſulere non potes, tibi potius, quam alteri conſulere debes. Quamobrem officium omne erga alios hanc habet exceptionem, ut, ſi aut alteri aut tibi deeſſe debes, tibi potius conſulas, quam alteri. *De exceptione, quæ ineſt officio omni erga alios.*

Nimirum in hypotheſi propoſitionis præſentis officium erga teipſum colliditur cum officio erga alios (§. 206. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), atque adeo officium erga teipſum vincit officium erga alios. (§. 229. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quando itaque uni deeſſe debes, nimirum aut tibi,

BIU Cujas

te alteri ſemper præferre debes, ut adeo in omni officio erga alios inſit hæc exceptio, niſi tibi ipſi deeſſe debeas. Neceſſitas te vel alterum negligendi exceptionem in favorem tui facit. Inde nimirum eſt, quod non tenear dare panem famelico, quo ipſemet indigeo, nec alterum extrahere ex aquis, in quibus periclitatur, ſi mihi ſit pereundum. Alias nimirum dicendum foret, quod quis obligaretur ultra id, quod in poteſtate ipſius eſt, cum officium erga ſe ipſum reddat executionem officii erga alios impoſſibilem. Atque hæc eſt ratio, cur in demonſtratione generali officiorum erga alios addiderimus hanc reſtrictionem, quatenus citra neglectum tui ipſius hoc fieri poteſt (§. 608. *part.* 1. *Jur. nat.*), cum officia erga alios lege naturali non aliter præcipiantur, quam cum hac reſtrictione, nec eandem ſatis determinent, qui reſtrictionem iſtam omittunt.

§. 576.

De colliſione officiorum erga Deum & erga ſeipſum atque alios.

Si officium erga Deum colliditur cum officio erga ſeipſum, vel erga alios; officium erga Deum vincit. Etenim ſi officium erga Deum colliditur cum officio erga ſeipſum, vel erga alios, aut ſatisfaciendum eſt officio erga Deum, aut officio erga ſeipſum, vel erga alios. Utrique ut ſatisfiat impoſſibile eſt (§. 206. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter neceſſe eſt, ut exceptio fiat (§. 207.). Enimvero Deus ſupra omnia amandus (§. 1172. *part.* 1. *Jur. nat.*), & maximi faciendus (§. 1181. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter omni homini rebuſque omnibus aliis anteponendus (§. 839. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem ſatisfaciendum eſt potius officio erga Deum, quam officio erga ſemetipſum atque alios, ſiquidem utrique ſimul ſatisfieri nequit. Quoniam itaque in caſu colliſionis officium iſtud vincit, cui ſatisfaciendum (§. 208. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ſi officium erga Deum colliditur cum officio erga ſeipſum, vel erga alios, officium erga Deum vincit.

Probe notandum eſt, ne cum officiis erga Deum confundamus, quæ ad illa tantummodo referuntur, magis tamen reſpiciunt nos, vel alios, adeoque ad officia erga noſmetipſos, vel alios pertinent. Huc ſpectant conventus cultus divini gratia celebrandi (§. 1251. *part.* 1. *Jur. nat.*). Etenim conventus iſti magis noſtri ac aliorum hominum, quam Dei gratia celebrantur, quemadmodum ex demonſtratione apparet (§. *cit.*). Quamobrem quoque intereſſe hiſce conventibus magis ad officia erga noſmetipſos atque alios pertinet, quam ad officium erga Deum, etſi ad officia erga Deum præſtanda conducant.

§. 577.

De ſtricta obſervantia officiorum erga Deum.

Homo obligatur ad quævis potius perpetienda, immo mortem ipſam ſubeundum, atque ferre debet, ut aliis tale quid accidat, quam ut quid faciat, quod officio cuidam erga Deum repugnet. Etenim a ſe avertere malum quoddam ſive corporis, ſive fortunæ, atque periculum mortis officium erga ſeipſum eſt (§. 183. 371. *part.* 1. *Jur. nat.*), idem vero avertere ab alio officium erga alios (§. 613. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quodſi ergo vel incidere debes in malum quoddam corporis, ſive fortunæ, atque ipſam mortem ſubire, vel quid facere, quod officio cuidam erga Deum repugnat; officium erga teipſum colliditur cum officio erga Deum (§. 206. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Idem eodem modo intelligitur, quando aut impedire non debes, quo minus alter tale quid perpetiatur, aut facere, quod officio erga Deum repugnat. Enimvero quando officium erga Deum colliditur cum officio erga ſeipſum, aut erga alios, officium erga Deum vincit (§. 576.), adeoque eidem ſatisfaciendum (§. 208. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem ad quævis potius perpetienda, immo mortem ipſam ſubeundum obligaris, & ut aliis iſtiuſmodi quid accidat, ferre debes, quam ut quid facias, quod officio erga Deum repugnat.

Recte igitur fecere martyres, qui potius tormenta quævis forti animo perpeſſi, & mortem atrociſſimam reformidarunt, quam ut verum Deum abnegarent ac idola colerent. Ponamus, tyrannum occidere velle filium unicum, niſi facere velis quidpiam, quo gloria Dei obſcuratur. Ferendum potius eſt, ut hoc fiat, quam ut ad gloriam Dei obſcurandum te adduci patiaris. Huc etiam pertinet exemplum Joſephi, qui in carcerem conjici & fortunis omnibus privari maluit, quam

BIU Cujas

quam ut consentiret in adulterium, quod a Deo prohibitum noverat, consequenter quam ut Deo obedire nollet, cui obedire debemus (§. 1165. *part.* 1. *Jur. nat.*). Immo in nullius gratiam faciendum, quod officio cuidam erga Deum repugnat, licet aliorum inimicitiam incurramus, etsi danda opera sit, ne alios nobis inimicos reddamus (§. 634. *part.* 1. *Jur. nat.*), sed potius ut aliorum amicitiam acquiramus & conservemus (§. 636. *part.* 1. *Jur. nat.*). Spectat huc illud pervulgatum: *Amicus usque ad aram*, & præceptum Apostoli, Deo magis esse obediendum, quam hominibus. Enimvero dubium oriri poterat, an Deus adeo strictam observantiam ab homine requirat, si quod prohibetur legis saltem positivæ est, ut quovis potius cruciatus, ac mortem ipsam perpeti malimus, quam facere, quod prohibitum est. Exemplum occurrit 2. Macchab. VI. Constat Deum Judæis prohibuisse, ne suillam edant, & nemo est, qui dubitat, legem hanc fuisse positivam: *Eleazarus* vero, vir nonaginta annorum, ne quidem simulare voluit, quasi carnem porcinam manducaret, ut a morte liberaretur. Quoniam lex naturalis, quæ vitæ conservationem præcipit (§. 350. *p.* 1. *Jur. nat.*), collidebatur cum positiva, in hac autem collisione naturalis vincit (§. 219. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), non recte feciisse videri poterat *Eleazarus*, quod tam stricte observaverit legem de non edenda suilla. Enimvero considerandum est, tyrannum id egisse, ut Judæos ad religionem veram abnegandam & idololatriam gentilium amplectendam cogeret, ac eo fine jussisse, ut contra prohibitionem divinam carnem porcinam manducarent. Collidebatur igitur officium erga se ipsum cum officiis erga Deum, consequenter recte faciebat *Eleazarus*, quod ne quidem videri vellet religionem veram abnegasse, ne exemplo suo seduceret adolescentes, præsertim cum esset magnæ autoritatis ac per omnem ætatem pietate conspicuus. Simulatio itaque non modo pugnabat cum officio erga Deum directe; verum etiam cum officio erga alios & per hoc porro cum illo indirecte. Illustre quoque exemplum præbet mater cum septem filiis, qui eadem de causa diros spreverunt cruciatus forti ac constante animo ultimoque supplicio affecti sunt, 2. Macchab. VII. Poterat quoque mater vitam servare filii septimi, siquidem ipsa carnem porcinam manducare voluisset; sed officium erga Deum recte prætulit etiam officio erga filium. Quodsi fingas, Eleazaro aut fame fuisse pereundum, aut carnem porcinam manducandam. Nullus dubito asserere, quod suillam licite comedisset. Tumenim lex naturalis præceptiva de vita conservanda collisa fuisset cum positiva de suilla non comedenda, adeoque naturalis vicisset positivam (§. 219. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Nec est quod excipias, legem positivam de suilla non edenda fuisse divinam: etenim lex naturæ etiam divina est (§. 277. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Nec instare licet, legem de vita conservanda esse præceptivam, alteram vero de suilla non comedenda prohibitivam: quamvis enim in collisione naturalium prohibitiva vincat præceptivam (§. 210. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), hæc tamen differentia propter immutabilitatem juris naturæ non attenditur in collisione legis naturalis præceptivæ cum prohibitiva positiva (§. 219. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Nimirum in hoc casu eadem fit exceptio, quam fecit David, quando esuriens cum iis, qui cum ipso erant, comedebat panes propositionis, quos non licebat edere nisi solis sacerdotibus. Hanc vero exceptionem probat Christus Matth. XII. 4. & eodem tuetur factum discipulorum, qui Sabbatho esurientes cœperunt vellere spicas & manducare.

§. 578.

Quoniam homo obligatur quævis potius mala perpeti, immo mortem ipsam subire, nec non ferre, ut hoc accidat aliis, quam ut quid faciat, quod officio cuidam erga Deum repugnat (§. 577.); *necessitas nullum actum officio cuidam erga Deum contrarium facit licitum*, consequenter *quoad officia erga Deum nullum datur jus necessitatis* (§. 504.). *An quoad officia erga Deum detur jus necessitatis.*

Nimirum casus necessitatis quoad officia erga Deum nunquam existit, quia iisdem cedunt in omni casu collisionis officia erga seipsum & erga alios (§. 577.). In casu collisionis necessitas semper eximit officium erga se, vel erga alios, adeoque nullus existere potest, in quo actus officio erga Deum contrarius sit medium unicum satisfaciendi obligationi indispensabili: id quod tamen ad jus necessitatis requiritur (§. 564.). Quod vero miseratione digni censeantur, qui propter Deum mala præsertim atrocia pati, aut mortem ipsam subire tenentur; non a rigore legis naturalis petenda ratio est, sed ab innocentia agentis, qui malum, quod pati cogitur, minime meretur. Non igitur lex naturæ facit miseratione dignum, sed casus funestus, qui evitari non potest, nisi legem naturæ violare is velit: quod autem ejus evitandi causa violare nolit, id laude dignum efficit. Ita laudamus *Eleazarum*, quod atrocitate supplicii sese permoveri non passus fuerit, ut verum Deum abnegaret, nec senex grandævus ac pietate gravis exemplo suo adolescentes ad illum abnegandum seducere voluerit: miseramur vero sortem ejus, quod recte faciens ad supplicium tractus fuerit.

§. 579.

BIU Cujas

§. 579.

An detur necessitas resistibilis respectu cultus interni.

Nulla datur necessitas inevitabilis, cui resisti minime possit, ut non facias, quæ ad cultum Dei internum spectant, quamdiu sanæ mentis es. Cultus enim internus in actibus internis seu facultatum animæ consistit (§. 1230. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum usus facultatum animæ integer sit, quamdiu quis sanæ mentis est, quod per se patet, nec voluntas cogi possit, ut non facias, quod eodem perfici potest (§. 927. *Psych. empir.*); impossibile quoque non est, ut cultus internus Deo tribuatur, quamdiu quis sanæ mentis est. Nulla igitur datur necessitas inevitabilis, cui resistere minime possis, ut non facias, quæ ad cultum Dei internum spectant, quamdiu sanæ mentis es.

Sanæ mentis dicitur, cui usus facultatum animæ integer est, quemadmodum corpus sanum appellatur, quando organa ejus ad functiones suas obeundnm apta sunt (§. 345. *part.* 1. *Jur. nat.*). Equidem accidere potest, ut homo usu recto facultatum animæ privetur, veluti quando in furorem incidit, aut mente capitur; non tamen ideo dici potest, legem naturæ excipere casum necessitatis quoad cultum Dei internum: etenim leges datæ sunt hominibus sanæ mentis, non insanis ac furiosis. Furiosi enim ac insani infra sortem humanam deprimuntur, & quamdiu in furore atque insania persistunt, cum brutis consociantur. Quamobrem dici nequit, legem naturæ furiosis ac insanis conferre jus Deum non colendi ac eos liberare ab ea obligatione, quæ a lege cultum Dei internum præcipiente venit. Lex supponit libertatem agendi, qualis furiosis atque insanis non est.

§. 580.

De obligatione quoad cultum internum in furioso & mente capto suspensa.

Si quis furore aut mente captus, obligatio quoad cultum Dei internum non tollitur, sed saltem suspenditur. Etenim necessitas nullum actum officio cuidam erga Deum contrarium facit licitum (§. 579.), consequenter homo semper obligatur ad officia erga Deum præstanda, adeoque obligatio nunquam tollitur. Quamobrem cum cultus Dei internus complectatur officia erga Deum (§. 1234. *part.* 1. *Jur. nat.*), obligatio quoad cultum Dei internum non tollitur, etiamsi quis furore aut mente captus sit. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam furore aut mente captus facultatum animæ usum integrum minime habet (*not.* §. 579.), cultus autem Dei internus in actibus facultatum animæ consistit (§. 1230. *part.* 1. *Jur. nat.*); quamdiu quis furore aut mente captus impossibile est, ut ea præstet, quæ ad cultum Dei internum requiruntur. Obligatio igitur quoad cultum Dei internum saltem suspenditur. *Quod erat alterum.*

Nimirum quamdiu quis furiosus aut mente captus, exercitium cultus divini interni cessat, nec homini imputari potest, quod cessat (§. 567. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamprimum vero furor cessat, aut ad mentem sanam redit: Deum quoque colere tenetur homo: unde nec in intervallis lucidis obligatio suspenditur. Aliud nimirum est, num obligatio nulla adsit, quemadmodum in casu collisionis, in quo homo saltem ad alterutrum obligatus est, nimirum ad officium istud, quod vincit, aliud vero est, num saltem impossibile sit, ut præstetur, ad quod obligatus es, quamvis ob impossibilitatem tibi imputari minime possit. Officia erga Deum rationem sufficientem habent in dependentia hominis a Deo, quæ quamdiu subsistit (semper autem subsistit, quamdiu vivit), obligatio quoque subsistere debet (§. 118. *Ontol.*), etsi casus funestus exercitium reddat impossibile, ut miseratione dignus sit, qui in eam necessitatem incidit. Alia quoque est ratio, si casu quodam externus actus saltem efficitur impossibilis, deficiente usu organorum externorum corporis, veluti si quis cibum deglutire nequit ob tumorem; tunc enim non deest actus internus legi naturæ conservationem vitæ ac corporis præcipienti conveniens, adeoque obligatio extendi nequit ultra id, quod possibile, consequenter necessitas eam restringit (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), non vero totam suspendit. Et adhuc peccat, qui in tali necessitate constitutus indignabundo animo cibum ac potum aversatur, non quod abstinentia a cibo ac potu sit illicita, sed quod voluntas vitam conservandi deficiat, & patienter adversa ferre quis nolit. Cum ad rectitudinem actionis obligemur (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), hæc autem requirat omnium facultatum usum (§. 80. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); necessitas ab obligatione eximere nequit nisi eum actum, qui pendet a facultate, cujus non usum impossibilem facit.

§. 581.

BIU Cujas

§. 581.

De collisione officii erga seipsum vel alios cum actu ad cultum externum spectante.

Si officium aliquod erga teipsum, vel erga alios, quod moram non fert, & cui alio modo satisfieri nequit, colliditur cum actu quodam ad cultum Dei externum spectante; illud vincit. Quodsi enim officium aliquod erga teipsum, vel erga alios collidatur cum actu quodam ad cultum Dei externum spectante, aut non faciendum est, quod tibi ipsi, vel alii debes, aut actus ad cultum Dei externum spectans est omittendus (§. 260. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero actus ad cultum Dei externum spectantes tales sunt, ut vel alio tempore fieri possint, veluti lectio librorum de Deo & cultu divino agentium (§. 1243. *part.* 1. *Jur. nat.*), & conventus cultus divini causa nunc instituti (§. 1251. *part.* 1. *Jur. nat.*), vel alio modo idem obtineri possit, propter quod isti eduntur, veluti quando lectio libri de Deo rebusque divinis supplet defectum institutionis de Deo rebusque divinis in conventibus publicis; vel pertineant ad exemplum, quod aliis præbere debemus (§. 1242. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter ad officium erga alios ((§. 930. *part.* 1. *Jur. nat.*). Obligatio vero, qua nobis ac aliis tenemur, cum moram non ferat, nec ei alio modo satisfieri possit *per hypoth.* quando officium erga seipsum, vel erga alios colliditur cum actu quodam ad cultum Dei externum spectante, illud vincit.

Ex. gr. Si quis experiatur frigus sanitati suæ adversum, aut conventibus publicis cultus divini gratia celebratis nonnisi cum illius dispendio interesse possit, his non interesse licet. Etenim sanitatis conservatio officium erga seipsum est (§. 393. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec aliter eidem satisfieri potest, nisi ut frigus vites: ast cum interesse debeamus conventibus publicis, ut de Deo & rebus divinis instituamur ac oremus & cantemus (§. 1252. *part.* 1. *Jur. nat.*), id alio quoque modo fieri adhuc potest, scilicet si domi in hypocausto calido legamus librum de Deo atque rebus divinis agentem, ibidemque oremus ac cantemus. Non igitur ea est necessitas, ut interfimus conventibus publicis, quam quæ est sanitatis conservandæ. Quamobrem sanitatis conservandæ causa potius manendum domi, quam ut interesse velimus conventibus sacris. Et quamvis iisdem etiam interesse debeamus, ut aliis exemplo simus, quemadmodum ex demonstratione cultus divini externi patet (§. 1251. *part.* 1. *Jur. nat.*); in hoc tamen casu officium erga seipsum colliditur cum officio erga alios, adeoque illud huic præferendum (§. 229. *part.* 1. *Philos. pract. univ.*). Actuum ad cultum divinum externum spectantium non ea est necessitas, quæ est officiorum erga Deum, quibus cultus divinus internus continetur. Similiter si incendium oritur, dum cultus divini causa in templo conventus aguntur, & sacra fiunt, qui incendio restinguendo, vel rebus suis servandis operam dare tenentur, quin iis discedere liceat, dubitandum non est. Et quando signo dato incertum est, cuinam periculum immineat, quin exire unicuique liceat, dubitari itidem nequit. Nec peccat, qui ægroto ut opem ferat, sacris interesse haud potest. Non tantummodo excusationem meretur, sed jure hoc facit, casu a lege, qua cultus Dei externus præcipitur, excepto.

§. 582.

Vis necessitatis in cultum Dei externum.

Necessitas inevitabilis, cui resisti minime potest, facit omissionem actus ad cultum Dei externum spectantis licitam. Quodsi enim necessitas fuerit inevitabilis, tibi imputari minime potest, quod in eam inciderís (§. 528. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Et quia eidem resistere non potes, in tua potestate non est actus ad cultum Dei externum spectans (§. 727. *Ontol.*). Quamobrem cum cultus Dei externus motu organorum corporis perficiatur (§. 1230. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque sine eo cultus internus, qui in actibus facultatum animæ consistit, subsistere possit (§. *cit.*); quamvis obligatio præstandi officia erga Deum, quibus cultus internus continetur (§. 1234. *p.* 1. *Jur. nat.*), non admittant casum necessitatis (§. 579.), quoniam tamen ad impossibile nemo obligari potest (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), necessitas inevitabilis, cui resisti minime potest, non admittit, ut sub lege, quæ cultum externum cum interno conjungendum præcipit, contineatur actus ad eundem spectans, qui motu organorum corporis vitio quodam laborantium perfici nequit. Necessitas adeo inevitabilis, cui resisti

BIU Cujas

sti minime potest, facit actus ad cultum divinum externum spectantis omissionem licitam.

Ita si quis evadit mutus, is non obligatur ad orandum, modo Deum invocet (§. 1219. 1222. *part.* 1. *Jur. natur.*), nec ad glorificationem externam, modo eum animi faciat (§. 1181. 1232.). Et qui ægrotus lecto incumbit conventibus cultus divini causa celebratis interesse non obligatur. Diversa prorsus est cultus divini externi atque interni ratio. Quæ enim ad cultum Dei internum spectant, necessitas non eximit a lege, sed ubi usus facultatum animæ legitimus deficit, obligatio eatenus suspenditur, ut omissio actus non sit imputabilis: ast ubi usus organorum corporis deficit, actus externus e lege eximitur, ita ut tibi jus sit ad eum omittendum, consequenter ipsa actus omissio sit licita. Velle enim sufficit, ubi quod vis facere non potes. Deus nimirum adhuc colitur, quemadmodum coli debet, ac in cultum divinum impenditur usus omnium facultatum, qui in potestate est.

§. 583.

Obligatio quoad actus internos non sublata per impossibilitatem externi.

Quoties necessitas, cui resisti minime potest, impedit actum externum, non tamen omitti debet internus. Quoniam ad rectitudinem actionum obligamur (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), hæc autem requirit facultatum omnium usum (§. 80. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); necessitas non tollit obligationem nisi quoad actus, qui ut eliciantur fieri non potest (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem si necessitas, cui resisti minime potest, actum externum impedit, cum hoc non obstante usu facultatum animæ, qui propterea non tollitur, actus interni elici possint, ad internos adhuc obligati manemus, consequenter interni omitti minime debent.

Necessitas nullum habet vim in legem, nisi quatenus obligatio extendenda foret ad id, quod impossibile, cum obligatio naturalis, quæ possibilitatem actionis supponit, immutabilis sit (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quodsi ergo actio ex pluribus actibus tam internis, quam externis componatur; necessitati non subsunt nisi actus, qui usu facultatum perfici minime possunt, consequenter nec obligatio legi demitur, nisi quoad actus impossibiles, quoad ceteros vero, qui adhuc possibiles sunt, subsistit. Ita sufficit miserari sortem pauperis & optare, ut fortunam magis faventem experiatur, atque alii egestatem ejus sublevent, cum ipse hoc facere non possis. Similiter amori universali erga omnes homines non aliter satisfieri potest, quam ut velimus omnes esse felices, ac optemus, ut perenni felicitate fruantur, animo ita disposito, ut, si per nos staret, homines omnes efficeremus felices, quamvis impossibile sit, ut id actu præstemus. Quemadmodum itaque nemo contendere potest, amorem universalem requirere, ut omnes homines actu reddamus felices, nec legem naturæ, quæ eundem præcipit (§. 619. *part.* 1. *Jur. nat.*), nos ad hoc obligare; ita idem eodem modo intelligitur de actione quacunque alia, quæ lege naturali præcipitur, ubi perinde impossibile est, ut quid facias tibi, vel uni cuidam alteri, ac impossibile est, ut homines omnes in universum actu efficias felices. Atque adeo patet, lege naturali præcipi actionem internam, ubi externa præcipi nequit, & quamdiu actioni internæ adhuc respondet actus aliquis externus, qui in potestate est, idem adhuc præceptus intelligitur. Ita si ipse non habeas, quod des pauperi, commendatione tamen tua effici possit, ut det alius, ad ipsum huic commendandum obligaris. Quodsi hæc probe consideres, metuendum non est, ne vis necessitatis ultra suos limites extendatur, nec ex parte altera obligationi inesse existimes, quod non inest.

§. 584.

De membro abscindendo corporis conservandi causa.

Membrum insanabili morbo correptum abscindere licet, ne totum corpus pereat. Etenim si membrum insanabili morbo correptum, ut conservetur impossibile est consequenter ad id conservandum non sumus obligati (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero ad conservandum corpus & vitam nostram obligamur (§. 349. 350. *part.* 1. *Jur. nat.*), cumque conservari possit, si membrum insanabili morbo correptum abscindatur, *per hypoth.* huic obligationi adhuc satisfieri potest. Et quia alias per eundum, nisi abscindatur; membri abscissio est medium unicum conservandi corpus totum ac vitam. Quamvis adeo alias integritatem cujuslibet membri conservare tenemur (§. 372. *part.* 1. *Jur. nat.*), quando nimirum id fieri a nobis potest; cum tamen in hypothesi propositionis præsentis fieri nequeat, lex autem naturæ nobis det jus ad eos actus

BIU Cujas

actus, sine quibus vita ac corpus conservari nequeunt (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & necessitas irresistibilis actum, qui alias illicitus foret, licitum efficiat, quando est medium unicum satisfaciendi obligationi indispensabili (§. 573.); quin membrum insanabili morbo correptum abscindere liceat, ne totum pereat corpus, dubitandum non est.

Quia non sumus obligati ad conservandum membrum insanabili morbo correptum, minime peccamus, si idem non conservemus. Ast quatenus abscissio medium unicum est conservandi corpus ac vitam, jus abscindendi nobis competit. Ex eo itaque, quod conservatio sit impossibilis, tantummodo sequitur, eam sine peccato omitti, non vero id abscindi a nobis posse: posterius vero demum sequitur ex eo, quod periculum vitæ immineat aliter non evitabile, nisi membro abscisso, vel resecato. Diversa omnino sunt omissio conservationis membri & abscissio ejusdem, adeoque ex uno non potest inferri alterum propter diversas, quas habent, rationes.

§. 585.

Si aut membrum aliquod resecandum, aut pereundum, membrum resecandum est, ne corpus totum pereat. Etenim membrum insanabile resecare licet (§. 584.) & ad corpus ac vitam conservandum obligati sumus (§. 584.) & ad corpus ac vitam conservandum obligati sumus (§. 349. 350. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quodsi ergo aut membrum aliquod resecandum, aut pereundum; lex permissiva cum præceptiva celliditur (§. 164. 165. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero quando lex permissiva colliditur cum præceptiva, præceptiva vincit, seu permissiva cedit præceptivæ (§. 211. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ergo si aut membrum aliquod resecandum, aut moriendum; membrum potius resecare, quam mori tenemur (§. 208. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), seu membrum resecare debemus, ne totum pereat corpus. *Idem porro expenditur.*

Alia est quæstio, num quid jure facere liceat; alia vero, num id facere debeamus. Quod enim facere licet, omitti etiam potest, si adsint rationes, cur jure nostro non uti velimus: ast quod facere debemus, id omitti licite nequit. Quamobrem non sufficit ostendere, quod membri insanabilis licita sit abscissio, ne totum pereat corpus, sed ostendendum quoque erat, abscissionem esse debitam, nec optionem nobis esse permissam. Ipsa autem demonstratio propositionis præsentis loquitur, ante demonstrandum fuisse, quod resciſsio licita sit, quam demonstrari potuerit, quod omissio sit illicita. Ceterum quæ hic monemus, probe attendenda sunt, ne in aliis casibus judicium deproperemus. Necessitas irresistibilis eximit refectionem membri insanabilis a lege conservationem præcipiente; quatenus ea est medium unicum conservandi corporis, legi permissivæ subjicitur; quatenus denique jus resecandi membrum pugnat cum obligatione conservandi corporis, si illo uti nolis, obligatio hæc usum illius efficit necessarium, adeoque debitum.

§. 586.

Si aut certo pereundum, aut periculum subeundum dubio eventu; posterius priori præferendum. Etenim periculum vitæ vitare debemus, quantum in potestate nostra positum est (§. 371. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quodsi vero aut certo pereundum, aut periculum subeundum dubio eventu, casum istum, in quo nobis certo pereundum, aliter evitare non licet, quam si periculum aliud dubio eventu subeamus, consequenter in quo spes omnis nos salvos fore decollata non est. Quamobrem cum subire periculum dubio eventu sit medium unicum, quo periculum vitæ ut evitemus uti possimus; hoc potius subire debemus, quam fato funesto succumbere. *Quodnam periculum alteri præferendum.*

Nimirum ipsa necessitas, quæ legi nulli subest, adjicit legi de vitæ periculo vitando hanc restrictionem, quantum in potestate nostra positum. Quando igitur medium aliud vitandi periculum, in quo nobis certo pereundum, non datur nisi periculum aliud, in quo eventus anceps est; nec aliter, ut periculum istud evitemus in potestate nostra est medium. Hoc igitur utendum. Quodsi uti nolimus, officio nostro erga nosmetipsos quod desimus, ecquis dubitet? Quamdiu enim spes evadendi adhuc superesse potest, spem omnem abjicere non debemus, consequenter quoque præferre præsenti morti periculum, in quo adhuc spes quædam affulget, nos fore salvos.

BIU Cujas

§. 587.

An ob atrocitatem famis in summa cibi penuria alium occidere liceat.

In summa cibi penuria nec invitum, nec sorte ductum occidere licet, ne omnibus sit pereundum. Etenim quoniam in summa cibi penuria nullus prorsus cibus suppetit, non aliud datur medium servandi vitam, nisi ut carne humana vescaris. Quamobrem aut pereundum est omnibus, aut unus jugulandus vel invitus, vel sorte ductus. Conservatio vitæ est legis præceptivæ (§. 164. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), interfectio alterius legis prohibitivæ (§. 163. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), cum omnes obligentur vitam conservare (§. 350. *part.* 1. *Jur. nat.*), ac prohibeantur occidere alterum (§. 743. *part.* 1. *Jur. nat.*), si vel maxime consentiat (§. 745. *part.* 1. *Jur. nat.*). Colliditur adeo in casu præsenti lex præceptiva cum prohibitiva (§. 206. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero si lex præceptiva colliditnr cum prohibitiva vincit (§. 210. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem in summa cibi penuria nec invitum, nec sorte ductum occidere licet, ne omnibus sit pereundum.

Nimirum lex prohibitiva de non occidendo altero, si vel maxime occidi velit, in summa cibi penuria conservationem sui efficit impossibilem, adeoque eandem eximit a lege præceptiva de vita sua conservanda, ut adeo conservatio sine peccato omittatur. Necessitas adeo vim suam exerit in legem præceptivam tollendo obligationem, non vero in legem prohibitivam, ut actum alias illicitum faciat licitum, seu conferendo jus ad actum in eadem prohibitum. Alia sane est ratio interfectionis alterius in casu defensionis, in quo necessitas facit interfectionem medium unicum sese defendendi ac vitam suam conservandi licitum (*not.* §. 572.). Etenim in casu defensionis defensor jure suo utitur, dum vim vi repellit (§. 973. *part.* 1. *Jur. nat.*), contra eum qui jus ipsius, nimirum securitatis (§. 917. *p.* 1. *Jur. natur.*) violat, sine ullo jure (§. 918. *p.* 1. *Jur. nat.*), adeoque necessitas, quæ oritur ex facto illicito aggressoris eximit e lege prohibitiva actum sub jure defensoris contentum: ast in casu præsenti fortuna adversa constituit utrumque in eadem necessitate, quæ utrumque ab obligatione se conservandi liberat (§. 566.), ut neuter peccet, si fame pereat. Cum adeo nulla adsit obligatio, cui satisfaciendum, nec lex naturæ dare potest jus ad actum utique æqualiter prohibitum. Equidem *Puffendorfius* lib. 2, c. 6. §. 3. dubitat, quid in casu propositionis præsentis pronunciandum sit, propterea quod cum lege homicidii pugnet atrocitas famis venterque auribus carens, & quod citra tristissimum hoc medium omnibus foret pereundum; non tamen rationes istæ sufficiunt ad conferendum jus in vitam alterius. Etenim atrocitas famis est malum difficulter superabile, ex eo autem nullum jus nascitur ad actum lege prohibitum. Sane si hoc admittere velis, quod probari nulla ratione potest, ad evitandum tormenta quævis illicita patrare liceret. Et quamvis omnibus sit pereundum, nisi unus juguletur ac carne ejus vescantur ceteri; nec tamen hinc quoque jus nascitur uni in vitam alterius, neque etiam in vitam suam, ut in cædem sui consentire possit. Jus nasci nequit nisi ex obligatione passiva (§. 23. *p.* 1. *Jur. nat.*), ubi nulla obligatio, ibi jus nullum (§. 25. *p.* 1. *Jur. nat.*). Obligationem vero vitam conservandi tollit necessitas inevitabilis ac irresistibilis quoad omnes, adeoque ex ea jus nullum oriri potest uni in alterum. Exemplum ex *Nicolao Turpio* in obs. med. refert *Zieglerus* ad *Grotium* lib. 2. c. 1. §. 3. de septem Britannis, qui vastum in mare projecti deficiente cibo potuque sortiti unum non sane reluctantem jugularunt, cujus sanguine intolerabilem sitim ac famem carnibus utcunque sedaverunt, quos ad terram delatos post judex homicidii absolvit. Non sine peccato ceteri jugularunt unum, quamvis non reluctantem, etsi facile concedamus, homicidii reos miseratione fuisse dignos nec pœnam homicidii lege positiva sancitam iisdem irrogari potuisse a judice. Alia nimirum quæstio est, num jure jugulaverint socium ceteri, alia vero, an propter hoc factum pœna ordinaria locum habuerit, aut, si extraordinariæ adhuc locus fuisset, in quod in præsenti non inquirimus, utrum ea potius condonanda, an exigenda fuerit. Ceterum cum propositione præsenti confundendum non est, quod alibi demonstravimus, nimirum quod nemo hominum alterum occidere debeat, ut carne ejus vescatur (§. 747. *part.* 1. *Jur. nat.*), neque enim ibidem supponitur, id fieri in summa cibi penuria, ut sine isto medio sit pereundum. Perperam vero huc refertur exemplum Jonæ, quem volentem in mare projecerunt, qui una cum ipso in eadem navi erant, sedandæ tempestatis causa; *Jon.* 1. Sortes enim miserunt, ut palam fieret, cujusnam peccato excitata esset tempestas omnibus interitum minitans. Nec sortitio caruit eventu, cum enim sors cecidisset super Jonam, is peccatum suum confitebatur, ac sibi conscius, grandem istam tempestatem a Deo excitatam fuisse propter peccatum suum, ut in mare mitteretur ejus sedandæ causa voluit: quod num facere liceat, qui cum ipso in navi erant adhuc subdubitabant, Deum adeo invocantes, ut, si peccare contingat, peccatum hoc ipsis condonare velit c. l. 14. Inde igitur inferri nequit licitum esse, ut plurium servandorum causa uni innocenti manus violentæ inferantur.

§. 588.

BIU Cujas

§. 588.

Si in naufragio plures in scapham insilierint, quam illa ferre possit, neque ad unum peculiari jure scapha pertineat, qui priores insilierunt posteriores projicere possunt, non vero idem licet posterioribus in priores. Quodsi vero omnes simul insilierint, qui potest, ei alterum projicere licet. Nimirum perinde est, sive in scapham, quæ nullo jure peculiari ad unum pertinet, insiliant. Enimvero si quis prior in naufragio tabulam ceperit, ut evadat, & alter eodem fine eandem conscendere velit, sed non sine præsenti discrimine ejus, qui prior ceperat; ei, qui prior ceperat, alterum deturbare licet, non vero idem licet posteriori in priorem. Quodsi vero uterque simul eandem tabulam apprehendat, ei facere hoc licet, qui potest (§. 1017. *part.* 1. *Jur. nat.*). Ergo etiam si in naufragio plures in scapham insilierint, quam illa ferre possit, neque ad unum peculiari jure scapha pertineat; qui priores insilierant, posteriores projicere possunt, non vero idem licet posterioribus in priores: quodsi vero omnes simul insilierint, qui potest, ei alterum projicere licet.

De pluribus in naufragio in scapham insilientibus.

Casum hunc proponit *Puffendorfius* loc. cit. sed non decidit. Nostrum igitur esse duximus definire, quid in eo sit juris. Quoniam vero convenit cum casu *Ciceronis*, de quo disputat *Lactantius* (*not.* §. 1017. *part.* 1. *Jur. nat.*); non opus erat nova demonstratione, sed sufficit illum ad hunc reducere: tabula enim & scapha hic spectantur tanquam instrumentum, quo ad se conservandum utuntur naufragium perpessi, & quod nullo jure peculiari ad unum eorum spectat. Aliud vero dicendum est, si scapha ad unum eorum, qui in ea sunt, peculiari quodam jure pertinet: tum enim scapha non amplius convenit cum tabula, quam in naufragio plures apprehendunt.

§. 589.

Si in naufragio plures in scapham insilierint, quam illa ferre potest, cum consensu ejus, ad quem ea peculiari quodam jure pertinet; qui priores insilierunt posteriores projicere possunt, non vice versa posterioribus licet projicere priores, nec projicere licet eum, ad quem scapha singulari jure pertinet. Quodsi vero omnes simul insilierint, qui possunt, iis ceteros projicere licet. Quodsi enim scapha ad aliquem singulari quodam jure pertinet, veluti quod sit dominus, vel usus ejus a domino quomodocunque concessus; is quoque de usu ejus disponere potest pro arbitrio suo (§. 118. *part.* 2. & §. 12. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem si plures cum consensu domini vel ejus, ad quem peculiari quodam jure scapha pertinet, insilierint, cum acceptatio fiat ipso facto (§. 2. *part.* 3. *Jur. nat.*), acceptatione vero jus acquiratur (§. 381. *part.* 3. *Jur. nat.*), eo ordine jus acquirunt, quo in scapham insiliunt. Enimvero cum jus acquisitum nemini invito auferri possit (§. 376. *part.* 2. *Jur. nat.*); is, ad quem navis peculiari quodam jure pertinet, non pluribus permittere potest scapham conscendere, quam ea ferre potest, consequenter posterioribus, seu ultimis jus nullum conferre potuit in præjudicium priorum. Patet igitur eos, qui primi conscenderunt scapham, illos, qui ultimi in eam insilierunt projicere quidem posse, sed non hos, utpote violaturos jus priorum, illos projicere posse (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*). *Quod erat primum & secundum.*

Quando id fiat cum consensu ejus, ad quem singulari quodam jure scapha pertinet.

Enimvero cum nemo obligetur alteri inservire citra neglectum officii erga seipsum (§. 608. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec is, ad quem scapha peculiari jure pertinet, obligatur usum scaphæ concedere aliis ut ipsi salventur, sibi vero sit pereundum, consequenter nec præsumitur aliis permisisse in scapham conscendere, nisi quatenus una cum ipso servari possunt. Quoniam itaque hisce non competit nisi jus sub hac conditione, si scapha eos una cum concedente ferre possit; quando contrarium contingit, jus iis non est manendi in scapha, quos ferre non potest, adeoque nemo eorum projicere potest illum, ad quem scapha singulari quodam jure pertinet. *Quod erat tertium.*

BIU Cujas

Denique si plures simul cum consensu ejus, ad quem scapha jure quodam peculiari pertinet, in eam insilierint, patet *per demonstrata n.* 1. omnes quoque eodem momento jus acquirere, consequenter omnes esse jure pares. In hoc igitur casu officium uniuscujusque erga seipsum colliditur cum officio erga alios (§. 206. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum in casu collisionis officium erga seipsum vincat (§. 229. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); unicuique eum projicere licet, quem potest. *Quod erat quartum.*

Quodsi dicas, quoniam acceptatio præcedere potest voluntatem jus transferentis, quando scilicet plures una auxilium ejus efflagitant, ad quem scapha jure quodam peculiari pertinet (§. 10. *part.* 3. *Jur. nat.*), consequenter omnes eodem tempore jus acquirere sui servandi causa scapha utendi; haud difficilis est responsio Cum ad transferendum jus requiratur declaratio sufficiens voluntatis ejus, ad quem scapha jure quodam peculiari pertinet (§. 13. *part.* 3. *Jur. nat.*), is vero non pluribus idem conferre possit, quam quot scapha ferre potest; non aliter quoque auxilium implorantibus jus conferre voluisse intelligitur, quam eo ordine, quo in scapham insiliunt, ita ut, si plures insiliant, quam ea ferre possit, qui ultimi sunt, iis scapham conscendere non permiserit. Quamprimum nimirum tot in eam conscenderunt, quot ea ferre potest, nulli amplius permisisse nisi sub hac conditione, ut sit projiciendus, siquidem appareat, scapham eum ferre non posse (§. 531.), Quod vero is, ad quem scapha jure quodam singulari pertinet, ceteris omnibus sit præferendus, adeoque nunquam projici possit; patet etiam ex eo, quod, si par malum imminet, quilibet sibi potius, quam aliis consulere debeat (§. 574.), ut adeo usum scaphæ ad se pertinentem non concedere teneatur aliis, nisi quatenus una cum ipso iidem servari possint.

§. 590.

Quodsi plures insiliant in scapham, quam ea ferre potest, domino vel quasi non rogato.

Si eo, ad quem scapha singulari quodam jure spectat, non rogato, plures in eam insiliant, quam ferre potest; ille præcipere potest, ut projiciatur is, quem voluerit, si scapha omnes ferre nequit, aut ut sorte ductus projiciatur: & siquidem contingat, tot scapham jam conscendisse, quot ea ferre potest, his impedire non licet, quo minus ille in eam insiliat. Etenim a voluntate ejus, ad quem scapha singulari quodam jure spectat, pendet, cuinam usum scaphæ concedere velit, ut servetur (§. 12. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum non pluribus eam concedere possit quam illa ferre potest, quod per se patet, etsi tot concedere debeat, quot ferre potest (§. 641. *p.* 1. *Jur. nat.*); ipsius omnino est statuere, quinam illorum, qui in scapham insilierunt, sit projiciendus, ne omnibus sit pereundum. Præcipere igitur potest, ut is projiciatur. quem voluerit. *Quod erat primum.*

Quodsi vero consilii inops statuere nequeat, quinam sit projiciendus, cum ad sortem confugere liceat in dubio, seu quando ex dubitationum fluctibus emergere non potes (§. 296. *part.* 5. *Jur. nat.*); si præcipit, ut sorte ductus projiciatur, sorte ductus projiciendus. *Quod erat secundum.*

Denique cum nemo alteri inservire teneatur cum neglectu sui (§. 608. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec is, ad quem scapha singulari quodam jure pertinet, usum ejus alteri concedere tenetur, dum ipse eodem indiget. Quamvis adeo jam tot eam conscenderint, quot ferre potest; non tamen qui in ea sunt, impedire licite possunt, quo minus ille in eandem insiliat & alius projiciatur. *Quod erat tertium.*

Nemini jus suum auferre licet (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque in communi periculo usu scaphæ privari nequitis, ad quem illa pertinet. Et quoniam nemo pati tenetur, ut alter quid faciat, quod est contra jus ipsius (§. 910. 913. 920. *part.* 1. *Jur. nat.*); cum hoc sit contra jus ejus, ad quem scapha singulari quodam jure pertinet, si plures in eam insilierint, quam ferre potest, pati is utique non tenetur, ut omnes in scapha maneant, atque adeo vel omnibus una sit pereundum, vel ipse excludatur. Patet itaque propositionem præsentem consentire cum principiis juris naturæ, nec quicquam in ea contineri, quod iisdem repugnet, quamvis in tanta consternatione, qualis in casu præsenti adest, & ubi natura unumquemque sibimetipsi commendat, si quid justitiæ adversum contingat, id facile excusationem habeat, præsertim cum non cujusvis sit perspicere, aut in tanta perturbatione animi trutinari, quid juris sibi, quid aliis conveniat. Sed de eo nobis jam quæstio non est, quidnam excusationis det suprema necessitas, quoniam definiendum est, quid in communi periculo quoad usum rei alienæ unicuique competat juris, si omnes eundem participare nequeunt, in eadem necessitate constituti, sive cum illo, ad quem is pertinet, sive sine ipso.

§. 591.

BIU Cujas

§. 591.

Quoniam *is, ad quem ſcapha ſingulari quodam jure pertinet, quando ipſo non rogato plures eam conſcenderint, quam ipſa ferro poteſt*, præcipere poteſt, ut projiciatur is, quem voluerit (§. 590.); *ſi jubeat projicere eum, quem quis projicere poteſt, qui primi aliquem projicere poſſunt, iis eum projicere licet.*

Si arbitrio etrum relinquatur, qui in ſcapha ſunt, quemnam projicere velint,

Neceſſitas nimirum dat jus ad aliquem eorum, qui in ſcapha ſunt, projiciendum (§. 572.); ſed voluntate ejus, ad quem ea ſingulari quodam jure pertinet, determinandum, quinam ex illorum numero projiciendus ſit (§. 159.) Quodſi ergo neminem in ſpecie nominare velit, aut cum deliberatio moram minime ferat, præſertim in tanta conſternatione, non poſſit, jus ſibi competens aliis committere poteſt, ipſorum arbitrio relinquens, quid facere velint, vel poſſint, ne mora noceat omnibus. Caſum hunc, etſi rariorem, ideo prolixe diſcutere voluimus, immo debuimus, ut appareat, quomodo in aliis ſit procedendum. Cum enim minima circumſtantia variet jus, minime pronunciandum eſt, niſi ſingulis circumſtantiis probe expenſis: quod cum non faciant, qui generaliter pronunciare volunt, inſuper habitis circumſtantiis, quæ variare poſſunt, mirum non eſt, ſi in eo, quod juſtum eſt, definiendo ceſpitent.

§. 592.

Si quis ſtricto gladio duos fugientes perſequatur, nec uterque ſimul ſervari poſſit, licet uni foribus clauſis alterum in præſenti periculo deſtituere. Etenim cum quivis obligetur vitam tam ſuam (§. 350. *part.* 1. *Jur. nat.*), quam alterius conſervare (§. 641. *p.* 1. *Jur. nat.*), tum etiam integritatem omnium membrorum corporis (§. 372. 642. *part.* 1. *Jur. nat.*); in caſu propoſitionis præſentis officium erga ſeipſum colliditur cum officio erga alios (§. 206. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero quando officium erga ſeipſum colliditur cum officio erga alios, officium erga ſeipſum vincit (§. 229. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi quis ſtricto gladio duos fugientes perſequatur, nec uterque ſimul ſervari poſſit, licet uni foribus clauſis alterum in præſenti periculo deſtituere.

De eo, qui alterum deſtituitum præſenti periculo, ut ipſe ſervetur,

Idem etiam oſtenditur hoc modo. Si quis ſtricto gladio me & te fugientem perſequatur, utrique noſtrum par malum imminet, nimirum periculum mortis aut læſionis membri cujuſdam corporis. Enimvero ſi nobis par malum imminet, ego potius mihi, quam tibi conſulere debeo (§. 574.), conſequenter multo magis mihi conſulere, ac te in præſenti diſcrimine poſſum, quando a neutro periculum averteretur, niſi mihi conſulere malim. Quamobrem cum ſimul ſervari non poſſimus, *per hypoth.* mihi licet foribus clauſis te in præſenti diſcrimine deſtituere.

Geminum caſum affert *Puffendorfius* lib. 2. c. 6. §. 4. Scilicet quando duobus fugientibus hoſtis necem intentans inſtat, & unus vel ponte dejecto, vel porta clauſa alterum in præſenti vitæ periculo deſtituit, ſi uterque ſimul ſervari nequeat. In colliſione officiorum erga ſeipſum & erga alios facere licet, ſui conſervandi gratia, quod alias non liceret. Ita pontem dejicere, vel portam claudere non liceret, ut hoſtis fugientem proſternere poſſet, niſi hoc fieret ſui conſervandi cauſa. Multi occurrunt caſus particulares paſſim apud Autores, qui cum præſenti in eundem cenſum referendi, ſed iis immorari nolumus. Quin potius demonſtremus principium generale, ſub quo iſti omnes continentur.

§. 593.

Si ego ac tu in præſenti periculo ſumus, ex quo uterque noſtrum ſimul extrahi nequit, talem actum ſuſcipere licet, quo tibi effugiendi poteſtas adimitur. Quoniam enim ego ac tu in præſenti periculo ſumus, ex quo uterque noſtrum ſimul extrahi nequit, *per hypoth.* uterque autem obligatur mala quævis cum a ſe (§. 183. *part.* 1. *Jur. nat.*), tum ab altero depellere (§. 613. *part.* 1. *Jur. nat.*); officium erga ſeipſum colliditur cum officio erga alios (§. 206. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque illud vincit (§. 229. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam vero mihi non ſuppetit actus alius, quo ex periculo extrahi

De periculo vitando cum præſenti diſcrimine alterius.

BIU Cujas

trahi possum, quam quo tibi adimitur potestas effugiendi *per hypoth.* quamvis alias il licitus foret actus, quo tibi adimitur periculum effugiendi potestas (§. 700. *part.* 1. *Jur nat.*), cum tamen necessitas irresistibilis licitum efficiat actum, qui alias foret illicitus quando fit medium unicum satisfaciendi obligationi tuæ (§. 573.); talem actum suscipere licet, quo tibi adimitur periculum effugiendi potestas, ut ego ex eodem extrahar.

Principium hoc generale multo latius extenditur, quam ad casus particulares, de quibus modo diximus. E. gr. Ponamus incendio suborto adesse aliquem, qui uni tantummodo opem ferre possit ad res servandas, nummos dare eidem licet, ut tibi potius opem ferat, quam alteri, qui nihil dare potest, vel tot dare nequit. Idem intelligitur de alio quocunque periculo, ad quod depellendum ope aliena indiges. Similiter si tu & alter in communi periculo imploratis opem tertii, licet tibi offerre rationes particulares, quibus te aliis commendes, ut eum permoveas ad auxilium tibi potius, quam alteri ferendum, modo non dehorteris, ne opem ferat alteri.

§ 594.

De auxilio ferendo uni cum discrimine alterius.

Si duo in præsenti periculo sint, ex quo uterque extrahi minime potest, talem actum suscipere licet ejus servandi causa, qui vel solus sine electione servari potest, vel cui magis obligaris, quo alteri eripitur effugiendi potestas. Quoniam enim impossibile est, ut uterque ex communi periculo extrahatur, *per hypoth.* ab utroque autem malum pro virili depellere obligaris (§. 613. *part.* 1. *Jur. nat.*), officia erga alios colliduntur (§. 206. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque illud vincit, ad quod major est obligatio (§. 230. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem ab eo periculum depellere debes, cui magis obligaris, quam alteri (§. 208. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), cumque necessitas irresistibilis licitum faciat actum, qui alias foret illicitus (§. 700. *part.* 1. *Jur. nat.*), quando fit medium unicum satisfaciendi obligationi tuæ (§. 573.), periculum ut depellas suscipere licet talem actum, quo alteri adimitur effugiendi potestas. *Quod erat unum.*

Quodsi vero unus saltem sine electione servari possit, ipsa necessitas hunc præferre jubet alteri, cum ad impossibile minime obligeris (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), si vel maxime alias alteri magis obligeris, ut is esset præferendus *per demonstrata*. Quamobrem alterum in præsenti discrimine destituere ac illius liberandi causa talem actum suscipere licet, quo alteri adimitur effugiendi potestas. *Quod erat alterum.*

Exempla, quæ modo dedimus, de servando seipso cum præsenti discrimine alterius, mutatis mutandis, facile huc aptantur. Ita mater dare potest nummos opem ferre valenti nonnisi uni, ut infantem suum flammis feralibus eripiat incendio furente, quam infantem matris alterius auxilium illius similiter flagitantis, sed quæ non habet, quod dare possit. Et pater in casu simili hoc facere potest, ut idem potius servet res filii sui, quam alterius. Similiter si quis stricto gladio duos fugientes persequatur, nec uterque servari possit, licet tibi eo in ædes tuas admisso, qui primus adest, fores claudere ac alterum in præsenti discrimine destituere, si vel maxime huic magis obligeris, quam illi, veluti si hic sit agnatus tuus, vel amicus intimus, ille autem homo tibi prorsus ignotus.

§. 595.

De rebus necessariis in extrema necessitate domino auferendis.

Si quis destituitur penitus usu rerum necessariarum, nec in potestate ipsius sit, ut eas æquo pretio vel præstitis operis sibi comparet, neque etiam eas precibus ab aliis impetrare possit; in statu naturali eas alteri inscio ac invito auferre, immo vi eripere licet, qui iisdem carere potest. Etenim si quis penitus destituitur usu rerum necessariarum, adeoque illarum, sine quibus vita ac sanitas conservari nequit, nec anima perfici potest (§. 499. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec in potestate ipsius sit, ut eas æquo pretio vel præstitis operis sibi comparet; is tanta rerum inopia laborat, ut desint ea, quæ extrema vitæ necessitas exigit. Quodsi ergo porro res necessarias precibus ab aliis impetrare non possit, nisi eidem penitus ablatus esse debeat rerum necessariarum usus, non aliud supereret in statu naturali, in quo nemo alterius potestati subjectus est (§. 143. 147. *part.* 1. *Jur.*

BIU Cujas

Jur. nat.), medium obligationi naturali vitæ atque sanitatis conservandæ (§. 550. 393. *part.* 1. *Jur. nat.*), aut animam perficiendi (§. 180. *part.* 1. *Jur. nat.*), quam ut alteri vel inscio ac invito, vel vi res necessarias eripiat. Quamobrem cum dominia cum tacita hac restrictione introducta intelligantur, ut, si in casu emergente contingat alicui penitus auferri necessarium rerum usum, eidem jus aliquod competat in eas res, quæ sunt in dominio (§. 563.), necessitas vero irresistibilis licitum efficiat actum, qui alias foret illicitus, quando est medium unicum satisfaciendi obligationi indispensabili (§. 573.); quamvis alias illicitum sit alteri invito rem suam auferre (§. 497. *part.* 2. *Jur. nat.*), consequenter nec vi eripere permissum, si quis tamen destituitur penitus usu rerum necessariarum, nec in potestate ipsius sit, ut eas æquo pretio vel præstitis operis sibi comparet, neque etiam eas precibus ab aliis impetrare possit, in statu naturali eas alteri inscio ac invito auferre, immo vi eripere licet. Enimvero si par malum imminet, nobis potius, quam alteri consulere debemus (§. 574.), consequenter usum rerum necessariarum alteri concedere non debemus, si eodem carere minime possumus. Quamobrem nec domino insclo ac invito rem suam auferre, vel vi eripere licet res necessarias, quibus ipse carere nequit, consequenter non nisi ei auferre, vel vi eripere licet, qui iisdem carere potest.

§ Quid sit juris in statu naturali quoad usum rerum necessariarum in suprema necessitate, ideo demonstrandum fuit, ut suo loco ostendi possit, quid conveniat statui civili; jus enim in eodem obtinens metiendum est ex jure, quod in statu naturali competit ad extremam necessitatem redactis, & quando status naturalis reviviscit, ut eodem jure uti liceat. Idem enim institutum secuti sumus hactenus etiam in aliis.

§. 596.

Quoniam *qui usu rerum necessariarum penitus destituitur, nec eas sibi æquo pretio, aut præstitis operis comparare, neque etiam precibus easdem ab aliis impetrare potest, ei in statu naturali eas insclo ac invito auferre licet* (§. 595.), consequenter jus easdem auferendi habet (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), cum dici nequeat eum abstulisse rem alienam, consequenter eam, ad quam jus nullum habet (§. 146. 120. *part.* 2. *Jur. nat.*), furtum vero non sit, nisi quis auferat rem alienam domino insclo ac invito animo eam sibi habendi, consequenter ad quam jus nullum habet (§. 498. *part.* 2. *Jur. nat.*); *furtum minime committit.* *An rei ablatione furtum committatur.*

§ Nimirum suprema necessitas in hypothesi propositionis præsentis, communione primæva quoad eum, qui illa ad rem auferendam adigitur, revivisente facit eandem communem domini ac auferentis, ut adeo uterque pari jure gaudeat (§. 4. *part.* 2. *Jur. nat.*). Non igitur aufertur res aliena, sed ea apprehenditur, ad quam auferenti jus est eadem utendi. Suprema necessitas extinguit jus singulare, & rem restituit communioni primævæ (§. 562.).

597.

Quoniam in eadem hypothesi rem, cujus usum extrema necessitas exigit, vi eripere licet (§. 593.), rapina vero non est, ad quam eripiendam jus habemus (§. 505. *part.* 2. *Jur. nat.*); *rapina* quoque *non committitur, quando in eadem hypothesi alteri res vi eripitur.* *An rapina committatur, si res vi eripiatur*

Nimirum qui alteri rem, quam tenet, vi eripit ob extremam necessitatem, hoc facit jure suo (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque in ejus exercitio impediri nequit a tenente (§. 180. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem si qui rem tenet impedire velit, quo minus eadem utatur, qui ad extremam necessitatem redactus: quin eum vi adigere possit dubitandum non est. Suprema necessitas facit rem communem ejus, qui eandem tenet, & alterius, qui eadem indiget (*not.* §. 596.). Quemadmodum itaque in communione primæva homini competit jus perfectum non patiendi, ut alter ipsum quocunque modo impedire conetur, ne rebus, prouti opus fuerit, utatur (§. 49. *part.* 2. *Jur. nat.*); ita etiam hoc jus competit ei, qui ad extremam necessitatem redactus est. Jus vero perfectum utique involvit jus cogendi seu vi adigendi alterum, ut patiatur hunc

BIU Cujas

hunc re, quam ipse tenet, uti. Qui vi utitur adversus impedientem jus suum, rem incorporalem (§. 498. *part.* 1. *Jur. nat.*), defendit adversus eum, qui idem ipsi rapere vult (§. 690. *p.* 2. *Jur. nat.*). Prædonis igitur nomen magis meretur, qui usum rei in extrema necessitate alteri denegat, dum ipse pari necessitate minime premitur, quam qui vi adigit alterum ad concedendum rei usum, quem extrema necessitas exigit (§. 506. *part.* 2. *Jur. nat.*). Probe hæc notanda sunt, cum sine iis jus belli publici intimius inspicere non detur.

§. 598.

Quousque jus istud extendendum.

Quia extrema necessitas indigenti facit usum rei necessariæ, quo dominus carere potest, licitum (§. 595.); *si res fuerit talis, quæ usu consumitur, eandem consumere licet; quod si vero ea usu non consumatur, finito usu restituenda.*

Jus, cui extrema necessitas locum facit, metiendum est ex jure communionis primævæ, utpote ab eodem minime differens, sed potius idem cum eodem (*noi.* §. 596.). Enimvero si in communione primæva tu re quadam in singulari, quæ usu consumitur, actu uteris; nemo alius ejusdem usum licite prætendere potest, consequenter patiendum, ut res ista a te consumatur: si vero uteris re, quæ usu non consumitur, finito usu jus ad eam aliis, quod habent, adimi nequit (§. 35. 38. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem si usus rei, qua dominus carere potest, in extrema necessitate tibi patet; rem consumere licet, quæ usu consumitur, quod si vero usu non consumatur, finito usu, cum tunc nullum amplius jus ad eandem competat, domino res utique restituenda. In casu nimirum primo dominium rei in te transit, cum sine eo non detur usus ejusdem (§. 508. *part.* 4. *Jur. natur.*); in casu autem altero, dominium rei manet apud dominum, quoniam jus utendi, quod tibi competit, illo salvo subsistere potest. Quemadmodum commodatarius, cui non nisi usus rei concessus (§. 421. *part.* 4. *Jur. nat.*), rem in specie restituere tenetur commodanti; finito usu (§. 445. *part.* 4. *Jur. nat.*); ita in præsenti quoque casu, is, cui necessitas non majus jus tribuit, quam commodans commodatario, perinde ac hic finito usu rem restituere debet. Immo in præsenti casu concessio usus rei, quæ eodem non consumitur, revera non est aliud quam commodatum necessarium: neque enim inter illam & hoc alia differentia intercedit, quam quod in domini voluntate positum sit, num rem suam alteri commodare, adeoque usum ejus concedere (§. 418. *part.* 4. *Jur. nat.*) velit (§. 425. *part.* 4. *Jur. nat.*), nec is ad commodandum cogi possit (§. 426. *p.* 4. *Jur. nat.*), in casu autem præsenti concessio usus non sit voluntatis, sed necessitatis, ac nolens ad eum concedendum cogi queat (§. 595.).

§. 599.

Vis necessitatis in jus petendi res necessarias vel earum usum.

Quoniam usu rerum necessariarum penitus destitutus, quando eas æquo pretio vel præstitis operis tibi comparare nequis, eas alteri inscio ac invito auferre, immo vi eripere licet, siquidem eas precibus ab aliis impetrare non possis (§. 595.); *necessitas extrema jus petendi vertit in jus cogendi, ut detur.*

Naturaliter homini competit jus petendi ab aliis, ut sibi inserviant, non vero jus alterum ad id cogendi (§. 234. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum homines introductis dominiis sibi mutuo ad dandum obligentur, prouti unusquisque re alterius indiget (§. 124, *part.* 3, *Jur. nat.*); dominiis introductis tibi competit jus petendi ab altero, ut det rem, qua indiges. Quando vero hoc jure tibi non consulitur, necessitas extrema vertit jus petendi in jus cogendi. Atque adeo apparet, cur eidem non ante locus sit, quam ubi jus petendi locum invenire nequit. Quamdiu itaque aliquis adhuc supereſt, a quo rem petere possis; neminem ad dandum cogere licet.

§. 600.

De jure communi revivisscente.

In extrema necessitate jus commune ad res revivisscit. In extrema enim necessitate penitus destitutus es usu rerum necessariarum, nisi alteri invito & inscio rem auferas, vel vi eidem eripias: quod cum facere liceat (§. 595.), tibi patet usus rei necessariæ necessarius, perinde ac si juri singulari seu proprio subjecta non esset (§. 119. *part.* 2. *Jur. nat.*), consequenter ac si esset communis (§. 110. *part.* 2. *Jur. nat.*). In extrema itaque necessitate jure communi cum uti liceat, jus commune revivisscit.

Nimirum per dominia sublatum quidem est jus commune, adeoque extinctum, ut eodem uti minime liceat, domino omni usu rei suæ alios excludente (§. 120. *part.* 2. *Jur. nat.*); quoniam tamen

BIU Cujas

tamen eadem introducta non intelliguntur niſi cum tacita hac exceptione, ut, ſi in caſu emergente contingat alicui penitus auferri neceſſarium rerum uſum, eidem jus aliquod competat in eas res, quæ ſunt in dominio (§. 563.), extrema utique neceſſitas juri communi denuo locum facit quoad eos, qui eadem premuntur. Sane niſi in extrema neceſſitate tibi hoc jus competeret, per dominia introducta tibi ablatum eſſet jus commune, conſequenter connatum (§. 10. *part.* 2. *Jur. nat.*): quod cum auferri non poſſit (§. 64. *part.* 1. *Jur. nat.*), in extrema neceſſitate tibi utique adhuc competere debet. Quamprimum adeo ad extremam neceſſitatem redigeris, jus commune reviviſcit.

§. 601.

Jus commune ad res in extrema neceſſitate reviviſcens eſt jus neceſſitatis ex communione primæva reſiduum. Etenim dominia introducta intelliguntur cum tacita hac reſtrictione, ut, ſi in caſu emergente contingat alicui penitus auferri uſum rerum neceſſariarum, eidem jus aliquod competat in eas res, quæ ſunt in dominio (§. 563.), conſequenter, in quas omni jure ceteros omnes excludit dominus (§. 120. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam igitur huic juri ſola locum facit neceſſitas, ut jam licitum ſit, quod alias licitum non eſt, propterea quod alias obligationi tuæ indiſpenſabili ſatisfacere haudquaquam potes (§. 595.), jus autem neceſſitatis eſt, cui ſola neceſſitas locum facit ad actus quoſdam alios non licitos, propterea quod ſine iis obligationi cuidam indiſpenſabili ſatisfacere minime potes (§. 564.); jus commune ad res in extrema neceſſitate reviviſcens jus neceſſitatis eſt. *Quod erat unum.* *Quale hoc ſit.*

Quoniam dominium, tanquam jus proprium (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*), abſorpſit jus illud commune (§. 2. *part.* 2. *Jur. nat.*), quod natura hominibus competebat (§. 2. *p.* 2. *Jur. nat.*), in extrema tamen neceſſitate idem reviviſcit (§. 600.), in introductione dominiorum tacite exceptum (§. 563.); jus commune in extrema neceſſitate reviviſcens eſt jus ex primæva communione reſiduum (§. 561.). *Quod erat alterum.*

Non omne jus neceſſitatis ex communione primæva reſiduum eſt; ſed tantummodo illud, quod extrema neceſſitas nobis dat ad rem alterius, tanquam ſi adhuc eſſet communis, ut adeo in eam idem jus nobis competat, quod erat in communione primæva, antequam dominia introducerentur. Ita interfectio alteriusin caſu defenſionis jus quidem neceſſitatis eſt, aſt minime ex communione primæva reſiduum, quippe quod nobis competit etiam ſtante communione primæva. Sane in communione primæva ſi quis ad uſum neceſſarium rem quandam apprehendit, nemini licet eam eidem invito eripere (§. 36. *part.* 2. *Jur. nat.*) neque etiam eripere licet, ſi apprehenſam ad futurum uſum neceſſarium ſervat (§. 93. *part.* 2. *Jur. nat.*), immo ei vi reſiſtere licet, qui quocunque modo impedire conatur, quo minus uſum rei apprehenſæ neceſſarium faciat (§. 52. *part.* 2. *Jur. nat.*). Stante igitur adhuc communione primæva homini competit jus res ad uſum neceſſarium apprehenſas defendendi (§. 690. *part.* 2. *Jur. nat.*), & hoc jus in caſu neceſſitatis extenditur rd interfectionem ejus, qui rem apprehenſam eripere vult (§. 54. 699. *part.* 2. *Jur. nat.*). Atque adeo ſatis patet, propoſitionem præſentem minime converti poſſe. Immo analogum juris neceſſitatis, quod ex primæva communione reſiduum eſt, obſervatur jam in ipſa communione primæva, quatenus qui res apprehenſas in futurum uſum ſervat, earum uſu excludere nequit alios, qui extrema neceſſitate urgentur: id quod in propoſitione ſequente demonſtrare lubet.

§. 602.

Si quis penitus deſtituitur uſu rerum neceſſariarum in communione primæva & alius quidem res neceſſarias in uſum futurum ſervat; eas inſcio ac invito auferre, immo vi eripere licet. Quoniam enim in communione primæva uſus rerum neceſſarius promiſcue patet omnibus (§. 19. *part.* 2. *Jur. nat.*); ſi quis uſu rerum neceſſariarum, adeoque illarum, ſine quibus vita ac ſanitas conſervari, aut anima perfici nequit (§. 499. *p.* 1. *Jur. nat.*), prorſus deſtituitur, neceſſe eſt, ut res nulla amplius inveniri poſſit, quam non jam ad uſum ſuum aliquis apprehenderit. Quoniam vero nemo excludi poteſt jure utendi re quacunque (§. 103. *part.* 2. *Jur. nat.*); ſi quis res neceſſarias ad futurum uſum ſervat, quamvis alias eaſdem ipſi eripere non liceat, ſi uſu conſumuntur (§. 93. *De jure neceſſitatis in communione primæva.*

BIU Cujas

part. 2. Jur. nat.), cum tamen in præsenti casu aliud medium non suppetat se aut sanitatem suam conservandi, consequenter obligationi suæ satisfaciendi (§. 350. 393. *p. 1. Jur. nat.*), quam usus rei ab alio asservatæ in usum futurum, necessitas vero irresistibilis licitum efficiat actum, qui alias foret illicitus, quando est medium unicum satisfaciendi obligationi indispensabili (§. 573.), qualem naturalem esse constat (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); si quis penitus destituitur usu rerum necessariarum, quæ usu consumuntur, & alius quidam res necessarias in futurum usum servat, in communione primæva eas inscio ac invito auferre, immo vi eripere licet.

Quodsi vero res usu non consumantur, cum interea temporis, quo qui eas servat iisdem non utitur, earum usum aliis concedere teneatur (§. 93. *part. 2. Jur. nat.*), multo minus dubitari potest, quin in casu propositionis præsentis eas inscio ac invito auferre, immo vi eripere liceat.

Non licet excipere, quod, si quis res, quas in usum futurum servat, consumtibiles alteri concedere debeat usus præsentis causa, fieri possit, ut ipsemet posthac usu rerum necessariarum penitus destituatur, adeoque in eandem necessitatem incidat, qua alter nunc premitur. Præterquam enim quod hoc non semper metuendum sit, multo minus semper certus sit metus, ac in communione primæva, in qua usus rerum per universum terrarum orbem patet singulis (§. 94. *part. 2. Jur. nat.*), futuræ necessitati facile prospici possit; hic probe considerandum est, quid juris unicuique tribuat natura in statu originario, non vero quid huic vel isti utilius sit, aut magis commodum. In statu originario, in quo communio rerum primæva obtinet (§. 11. *part. 2. Jur. nat.*), homines omnes æquales sunt (§. 130. *part. 1. Jur. nat.*), adeoque tantundem juris competit uni, quantum alteri (§. 78. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter nemo alteri usum præsentem rei necessariæ auferre potest usus futuri causa. Sicuti commune est commodum, quando tanta rerum copia suppetit, ut sufficiat omnibus; ita quoque commune est periculum, quod ex illarum inopia venit, cui avertendo tempestive unusquisque pro virili operam dare tenetur. Et quamvis si par malum imminet, nobis potius, quam aliis consulere debeamus (§. 574.); id tamen locum non habet, nisi quando usus rei, quo ipse in præsenti carere deberes, concedendus foret alteri, ita ut v. g. tibi sit esuriendum, si esurienti cibum, quem habes, dare deberes. Sane si quis ob usum futurum auferret alteri usum præsentem necessarium, ei alterum ab usu rei necessario arcere liceret, quod tamen minime licet (§. 20. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 603.

De rebus utilibus, & voluptuariis ob vitæ necessitatem alteri eripiendis in communione primæva.

Si quis penitus destituitur usu rerum necessariarum & iis rebus uti potest ad vitæ necessitatem, quibus alter non utitur nisi ad utilitatem vel jucunditatem; eas alteri inscio ac invito auferre, immo vi eripere licet in communione primæva. Etenim si quis penitus destituitur usu rerum necessariarum & iis rebus uti potest ad vitæ necessitatem, quibus alter utitur nonnisi ad utilitatem vel jucunditatem; huic uti non licet ad utilitatem vel jucunditatem, quibus ille indiget ad vitæ necessitatem (§. 101. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem ob vitæ commoditatem vel jucunditatem nemo alterum privare potest usu rerum, quibus ad vitæ necessitatem indiget. Necessitas igitur eximit res ab altero apprehensas e numero rerum usus necessarii causa apprehensarum. Quamobrem etsi alias rem ab altero apprehensam eidem invito eripere minime liceat (§. 36. *part. 2. Jur. nat.*); in præsenti tamen usus ejus adhuc patet ei, qui alias usu rerum necessariarum penitus destitueretur, consequenter cum nemo ab eodem arceri possit (§. 20. *part. 2. Jur. nat.*), rem istam alteri inscio ac invito auferre, immo vi eripere licet.

In communione primæva nemo majorem vitæ commoditatem aut jucunditatem prætendere potest altero (§. 100. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque commoditatem ac jucunditatem vitæ suæ non potest præferre necessitati vitæ alterius: Quando itaque commoditas ac jucunditas vitæ tuæ colliditur cum necessitate alterius, quemadmodum res necessariæ præferendæ sunt utilibus ac voluptuariis (§. 502. *part. 1. Jur. nat.*), ita etiam necessitas vitæ alterius præfertur commoditati ac jucunditati vitæ tuæ. Sane communio primæva, quæ omnibus idem jus dat ad res omnes (§. 39. *part. 2. Jur. nat.*), non finit res esse in utilium vel voluptuariarum numero, quibus quis indiget ad vitæ necessitatem. Qui adeo rebus indiget ad vitæ necessitatem, quibus alter non utitur nisi ad utilitatem vel jucunditatem, cum alias penitus destitueretur usu rerum necessario, eas spectat tanquam res necessarias, quibus ille non indiget, & quas adeo in sui præjudicium apprehendere minime potuit.

§. 607.

BIU Cujas

§. 604.

Jus neceſſitatis ex communione primæva reſiduum jus perfectum eſt. Etenim neceſſitas jus petendi convertit in jus cogendi (§. 599.), adeoque jus neceſſitatis ex communione primæva reſiduum conjunctum eſt cum jure cogendi alterum, qui obligationi ſuæ ſatisfacere non vult. Aſt jus perfectum eſt, quod conjunctum cum jure cogendi alterum, ſi obligationi ſuæ ſatisfacere noluerit (§. 235. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ergo jus neceſſitatis ex communione primæva reſiduum jus perfectum eſt. *Quales ſit jus neceſſitatis ex communione primæva reſiduum,*

Oſtenditur etiam hoc modo. In extrema neceſſitate jus commune ad res revivifcit (§. 600.), adeoque jus neceſſitatis ex communione primæva reſiduum idem eſt cum jure, quod unusquisque habet in communione primæva. Enimvero jus in res communes cuilibet competens in communione primæva jus perfectum eſt (§. 47. *part.* 2. *Jur. nat.*). Jus itaque neceſſitatis ex communione primæva reſiduum jus perfectum eſt.

A vero igitur aberrat *Puffendorfius* lib. 2. c. 6. §. 5. quando putat jus neceſſitatis ex communione primæva reſiduum ex imperfecta duntaxat obligatione oriri, quod ex virtute humanitatis fluat, vi quis teneatur alteri in extrema neceſſitate conſtituto rebus ſuis, quibus ipſe pari modo non indiget, ſubvenire. Etenim extrema neceſſitas, quæ ablationem rei invito domino factam efficit licitam, tum demum adeſſe intelligitur, quando nemo adfuerit, qui petenti rebus ſuis ſubvenire voluerit, conſequenter officio ſuo ſatisfacere. Ea autem quando adeſt, jus petendi in jus cogendi vertit (§. 599.) & juri neceſſitatis ex communione primæva reſiduo locum facit. Quamobrem opus non eſt, ut demum lege poſitiva obligatio imperfecta in perfectam & iſti reſpondens jus in perfectum mutetur, quemadmodum viſum eſt *Puffendorfio*. Verum enimvero quæ circa leges poſitivas hac in parte obſervari debeant, ea diſcutere non eſt hujus loci, ubi nonniſi ea demonſtramus, quæ in ſtatu naturali adventitio, poſtquam ſcilicet dominia, ſed nondum imperia introducta ſupponuntur, obtineant.

§. 605.

Si res, qua jure neceſſitatis ex communione primæva reſiduo uſus, uſu non conſumitur; finito uſu reſtituenda, modo noveris, cujuſnam ea ſit, vel non adſit alia cauſa, quæ reſtitutionem impoſſibilem efficit. Quoniam enim jus neceſſitatis ex communione primæva reſiduum eſt jus commune ad res, quod in extrema neceſſitate revivifcit (§. 601.), non plus juris tibi in rem competit, quam in communione primæva competere poterat. Enimvero in communione primæva nemo utitur rebus tanquam ſuis, ſed tanquam communibus (§. 37. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem in extrema quoque neceſſitate re non uteris niſi tanquam tui ac domini communi. Enimvero cum in jure neceſſitatis uſum licitum faciat neceſſitas (§. 564.), neceſſitate ceſſante jus quoque tuum expirat, conſequenter res tui ac domini non amplius communis eſt, adeoque domini ſolius. Quodſi ergo res uſu non fuit conſumta, finito uſu rem alienam in poteſtate tua habes (§. 461. *part.* 2. *Jur. nat.*), & quinam ſit ejus dominus tibi non ignotum *per hypoth.* Quamobrem cum is, qui rem alienam in poteſtate ſua habet & novit, cujusnam ea ſit, eam domino reſtituere debeat, ſive hic norit, quod in ipſius poteſtate ſit, ſive ignoret (§. 467. *part.* 2. *Jur. nat.*); qui jure neceſſitatis ex communione primæva reſidno uſus rem domino inſcio abſtulit, vel invito vi eripuit (§. 595.,) finito uſu eandem domino reſtituere debet. *Quod erat primum.* *Definitio uſu rei, quæ uſu non conſumitur.*

Enimvero ſi quis ignoret, quinam ſit dominus, nec reſciſcere poſſit, quinam ſit, etiamſi omni diligentia inquirat, quemadmodum debebat ((§. 468. *part.* 2. *Jur. nat.*); reſtitutio rei efficitur impoſſibilis. Quamobrem cum nemo obligetur ad id, quod impoſsibile (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); nec rem reſtituere obligatur, qui jure neceſsitatis eandem domino inſcio abſtulit, vel etiam invito eripuit, etiamſi ea uſu non conſumatur. *Quod erat ſecundum.*

Idem eodem modo patet, ſi reſtitutio uſu finito quacunque alia de cauſa efficitur impoſsibilis. *Quod erat ſecundum.*

BIU Cujas

Equidem propositionem præsentem jam supra intulimus per modum corollarii (§. 598.), quoniam nulla ratio est, cur res, quæ usu non consumitur, tua fieri debeat, utpote cujus nonnisi usum domino invito licitum facit necessitas; non tamen inconsultum duximus eandem hic uberius demonstrare, ut tanto clarius appareat restituendi obligatio. Dari autem casus, in quibus ignoratur, cujusnam ea res, qua usus fuisti sit, vel alia etiam de causa restitutio efficitur impossibilis, ex subsequentibus patebit.

§. 606.

De restitutione rei, quæ usu consumitur.

Si res, qua jure necessitatis ex communione primæva residuo usus es, usu fuerit consumta, & necessitate cessante eam in genere restituere possis, in genere restituenda est. Quoniam enim sola necessitas juri necessitatis locum facit (§. 564.), id ulterius extendendum non est, quam necessitas exigit. Quoniam itaque nemo tenetur alteri gratis dare vel facere, si is vicissim dare vel facere possit (§. 268. *part.* 4. *Jur. nat.*), consequenter nec dare rem, quæ usu consumitur, sine onere restitutionis in genere, si accipiens eandem in genere restituere possit (§. 486. *part.* 4. *Jur. nat.*); necessitas, quæ dat jus rem domino inscio vel invito ablatam, vel vi ereptam (§. 595.) consumendi (§. 598.), id dare potest sine onere restitutionis in genere, si quidem consumens cessante necessitate eandem in genere restituere possit. Quamobrem si res, qua jure necessitatis ex communione primæva residuo usus es, usu fuerit consumta & necessitate cessante eam restituere in genere possis, in genere restituenda est.

Grotius l. 2. c. 2. §. 6. jus necessitatis ex communione primæva residuum deducit ex eo, quod mens eorum, qui primi dominia singularia introduxerunt, credenda sit talis fuisse, ut quam minimum ab æquitate naturali recesserit. Unde porro infert §. 9. jus istud non esse plenum, sed restrictum cum onere restituendi, ubi necessitas cessaret, cum tale jus sufficiat ad servandam naturalem æquitatem contra rigorem dominii. Enimvero introductione dominiorum nemini auferri potuit penitus usus rerum necessarius (§. 562.), adeoque non a voluntate eorum, qui primi dominia singularia introducebant, pendebat, utrum ea introducere vellent cum tacita hac exceptione, ut in extrema necessitate reviviscat jus quoddam commune in res dominio subjectas (§. 600.), nec ne; sed nonnisi cum ista exceptione eadem introduci potuerunt. Jus igitur istud non voluntate humana, sed ipsa natura constitutum est, quemadmodum per demonstrationes nostras evidens est. Immo per demonstrationem quoque propositionis præsentis patet, ipsam naturæ legem non dare in extrema necessitate jus in res dominio subjectas nisi cum onere eas in genere restituendi, si necessitate cessante, postquam usu consumtæ sunt, in genere restitui possint. Sunt qui negant, eum, qui extrema necessitate adactus alteri rem suam eripuit, ad restitutionem esse obligatum, quia hoc fecit jure suo. Enimvero hi non perpendunt jus necessitatis ex communione primæva residuum in se tale esse, ut onus restituendi contineat, nec ab eo liberari nisi eum, cui restitutio cessante necessitate impossibilis. Jus nimirum hoc analogum est mutuo, a quo nonnisi in eo differt, quod a domini voluntate pendeat, utrum mutuo dare velit, nec ne (§. 539. *part.* 4. *Jur. nat.*), nec mutuatarius ad mutuo dandum eum cogere possit (§. 540. *part.* 4. *Jur. natur.*), ast in extrema necessitate concessio usus rei, quæ usu consumitur, fit necessaria, ita ut ad eam cogi possit dominus, si concedere nolit (§. 599.). Jus igitur, de quo loquimur, in eo casu, quo cessante necessitate restitutio fieri potest, mutuum necessarium est. In altero casu, quo restitutio impossibilis, idem jus analogum est eleemosynæ, a cujus datione nonnisi in eo differt, quod a domini voluntate pendeat, utrum eleemosynam dare velit, nec ne (§. 224. *part.* 4. *Jur. nat.*), nec is ad dandum cogi possit (§. 223. *part.* 4. *Jur. nat.*), in præsenti autem casu ad dandum cogi queat (§. 599.), ut adeo jus necessitatis in præsenti casu sit eleemosynæ exactio necessaria. Nimirum in genere notandum est, jus necessitatis ex communione primæva residuum convertere contractus & actus mere beneficos, qui voluntarii sunt, in necessarios. Atque hoc est principium heuristicum, quo si utamur, nihil occurret in omni jure necessitatis ex communione primæva residuo, quod non sit expeditum. Quodsi quis theoriam hujus juris omnibus numeris absolutam condere velit, in quam arenam nobis jam descendere, minime licet, is de fœcunditate istius principii non dubitabit. Neque vero existimandum est, inutilem fore illam theoriam: mirifice enim prodest cum ad condendas leges positivas, tum ad definiendum, quid liceat in bello, ne ab æquitate recedatur ultra quam par est.

BIU Cujas

§. 607.

Quoniam rem in genere restituere debes, necessitate cessante, *si res, qua jure necessitatis ex communione primæva residuo usus es, usu fuerit consumta*, & necessitate cessante eam in genere restituere possis (§. 606.), perinde vero est, sive rem in genere restituas, sive pretium ejus præstes; *si cessante necessitate rem in genere restituere nequeas, pretium tamen ejus præstare possis, ad hoc præstandum teneris*, consequenter *deficientibus etiam nummis rem aliam restituere licet, quæ tantundem valet.* *Quando pretium rei consumtæ præstandum necessitate cessante.*

Nimirum tum actus, ad quem necessitas jus dat, non est mutuum necessarium, sed quod erat ab initio necessarium mutuum ex posttacto abit in emtionem necessariam (§. 937. *p.* 4. *Jur. nat.*), vel necessariam permutationem (§. 879. *part.* 4. *Juris naturæ*). Facile autem patet, si emtorem rei, quam pro re ex necessitate consumta dare velis, invenire possis, vendendam potius esse eam, quam accipere nolenti obtrudendam (§. 200. *part.* 4. *Jur. nat.*).

§. 608.

Si quis penitus destituatur usu rerum necessariarum, nec qui iis abundant pro æquo pretio eas ipsi dare velint; in statu naturali easdem alteri, qui iisdem abundat, inscio ac invito auferre, vel vi eripere ac pretium æquum solvere licet. Introductis enim dominiis homini competit jus res ab alio sibi comparandi (§. 126. *part.* 3. *Jur. nat.*), qui ipse iisdem non indiget (§. 127. *part.* 3. *Jur. nat.*), cumque nemo alteri gratis dare teneatur quidpiam ei, qui vicissim quid dare potest (§. 268. *part.* 4. *Jur. nat.*), pretio æquo oblato (§. 321. *part.* 4. *Jur. nat.*), consequenter res, quibus indiget ab alio emendi (§. 938. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quodsi vero quis penitus destituatur usu rerum necessariarum, ac qui iis abundant pro æquo pretio eas ipsi dare nolint; in statu naturali non aliud datur medium necessitati extremæ consulendi, quam si vel inscio ac invito res auferatur, vel vi eripiatur & æquum pretium deinceps solvatur. Quamobrem cum dominia introducta intelligantur cum tacita hac restrictione, ut, si in casu emergente contingat alicui penitus auferri necessarium rerum usum, eidem jus aliquod competat in eas res, quæ sunt in dominio (§. 563.), necessitas vero irresistibilis licitum efficiat actum, qui alias foret illicitus, quando est medium unicum satisfaciendi obligationi indispensabili (§. 573.); quamvis alias illicitum sit alteri invito rem suam auferre (§. 497. *part.* 2. *Jur. nat.*), consequenter nec vi eripere permissum, si quis tamen destituatur usu rerum necessariarum, nec qui iis abundant pro æquo pretio easdem dare ipsi velint, in statu naturali easdem alteri, qui iisdem abundat, inscio ac invito auferre, vel vi eripere ac pretium æquum solvere licet. *Quando in extrema necessitate res pro æquo pretio ab invito comparari possint.*

Nimirum quando æquum pretium pro re, qua indiges, solvere potes; extrema necessitas non ante adest, quam si nemo, qui rebus necessariis abundat, æquum pretium offerenti rem dare velit. Quamobrem si plures sint, qui abundant, ac unus dare renuat, adeundi quoque sunt ceteri, antequam dici possit, te in extrema necessitate constitui. Ferendum enim, si quis naturali libertate abusus officio suo satisfacere nolit, quamdiu jus perfectum tuum non violat (§. 156. *p.* 1. *Jur. nat.*), quod tibi non competit, antequam extrema necessitas adfuerit (§. 601. 604.). Ubi vero omnes, qui dare poterant, officio suo desunt, necessitas demum locum facit juri tuo, quo uti potes adversus eum, a quo tutius rem consequi potes. Immo cum ad pretium solvendum obligeris, si rem inscio auferas, loco rei deponendum est pretium, modo satis tutum ibidem deponatur, vel metuendum non sit, ne auferatur ab alio, cui non debetur.

§. 609.

Quoniam si penitus destitueris usu rerum necessariarum, nec qui iis abundant pro æquo pretio tibi eas dare voluerint, in statu naturali easdem alteri, qui iisdem abundat, *Quando pro re alia.*

BIU Cujas

dat, inſcio ac invito auferre vel vi eripere ac pretium ſolvere licet (§. 608.), perinde vero eſt ſive pretium æquum ſolvas, ſive rem aliam præſtes, quæ tantundem valet; *deficientibus nummis pro re, quam vel inſcio ac invito aufers, vel vi eripis in extrema neceſſitate tibi conſtituto dare nolenti, cum poſſit, rem aliam, quæ tantundem valet, dare potes.*

Neceſſitas non facit locum juri majori adverſus rigorem dominii, quam ſufficit, ut eidem conſulatur. Quodſi ergo pretium æquum dare poſſis pro re, quæ domino aufertur, vel vi eripitur, non licet eandem auferre aut eripere ſine pretio, nec dare loco pretii rem aliam. Quodſi vero pretium dare non poſſis, dare tamen adhuc queas rem aliam; non licet eam eripere, vel auferre nihilo dato. Et ſi ſtatim nec pretium, nec rem aliam dare commode poſſis, neceſſitate autem ceſſante rem in genere reſtituere, eam auferre, vel rapere non licet niſi cum onere reſtituendi, nec licet reſtituere ſpeciem aliam, ſi in genere reſtituere potes, quod abſtuliſti, vel rapuiſti. Hæc omnia manifeſta ſunt per ea, quæ in anterioribus demonſtravimus, eaque æquitati maxime conſentanea eſſe minime dubitabit, qui ad principia demonſtrandi, quibus uſi ſumus, animum attendit.

§. 610.

Vis neceſſitatis in jus æquo pretio rem ſibi comparandi ab alio.

Similiter quia æquum pretium ſolvere tenetur pro re, quam quis jure neceſſitatis alteri inſcio ac invito aufert, vel vi eripit (§. 608.), aut rem aliam præſtare, quæ tantundem valet (§. 609.); *neceſſitas extrema jus æquo pretio ſibi ab alio comparandi*, quod introductis dominiis unicuique competit (§. 322. *p.* 3. *Jur. nat.*), *vertit in jus cogendi, ut pro æquo pretio res detur, aut pro re, quæ tantundum valet*, conſequenter *obligationem mutuam dandi, quæ imperfecta eſt* (§. 354. *part.* 3. *Jur. nat.*) *perfectam*, adeoque *& jus æquo pretio rem ab alio ſibi comparandi, quod imperfectum eſt* (§. 355. *part.* 3. *Jur. nat.*), *perfectum efficit* (§. 235. 236. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Extrema neceſſitas non ante adeſt, quam ubi nemo fuerit, qui officio ſuo facere vult ſatis. Quoniam vero obligatio perfecta ad officia humanitatis libertati naturali repugnat (§. 660. *part.* 1. *Jur. nat.*), ut tamen alter officio ſuo ſatisfaciat eſt medium unicum ſatisfaciendi obligationi tuæ indiſpenſabili *vi hypoth.* aut tu omittere debes id, ad quod faciendum obligaris, aut committere aliquid, quod eſt contra libertatem, adeoque jus quoddam alterius, conſequenter obligatio tua cum jure, aut rectius abuſu juris alterius colliditur (§. 206. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum lex præceptiva collidatur cum permiſſiva (§. 164. 165. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), in hac colliſione autem lex præceptiva vincit (§. 211. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); tibi utique permiſſum eſt cogere alterum ad officium humanitatis, adeoque neceſſitas juri cogendi ad id præſtandum, quod aliás tibi non competit (§. 658. *part.* 1. *Jur. nat.*), locum facit. Et hoc pacto jus rem æquo pretio, aut, deficientibus nummis, pro re alia ſibi ab alio comparandi perfectum evadit. Quæ hic dicuntur, probe perpendi velim, ut origo juris neceſſitatis penitus perſpiciatur. Oritur nimirum per modum exceptionis ex colliſione legum naturalium, ac inde neceſſitas vim acquirit jus imperfectum in perfectum mutandi. Simile quid obſervare datur in agentibus neceſſariis: quando enim unumquodque agit id, ad quod per eſſentiam & naturam ſuam aptum eſt, adeoque juxta præſcriptam quaſi ſibi legem, in eorundem tamen concurſu propter colliſionem actionum natura per modum exceptionis producit effectum extraordinarium, neceſſitate locum malo phyſico faciente. Aſt hæc uberius explicare non eſt hujus loci: ſufficit excitaſſe attentionem illorum, qui veritatem intimius perſpicere geſtiunt.

§. 611.

De cibariis in navigatione aut obſidione deficientibus.

Si in navigatione aut obſidione defecerint cibaria, quod quiſque habet in commune conferre debet. Quando enim in navigatione aut obſidione deficiunt cibaria, cum ſine iis corpus conſervari nequeat (§. 380. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque eadem in rerum neceſſariarum numero ſint (§. 499. *part.* 1. *Jur. nat.*), niſi quod quiſque habet in commune conferatur, quidam deſtituuntur penitus uſu rerum neceſſariarum, quas aliunde ſibi comparare minime poſſunt. Quoniam itaque extrema adeſt neceſſitas, in hoc autem jus commune ad res reviviſcit (§. 600.); ſi in navigatione aut obſidione defecerint cibaria, quod quiſque habet, id commune eſt, conſequenter cum omnibus, ad ea ſimul

BIU Cujas

mul sumta, quæ adsunt, idem jus sit (§. 2. *part.* 2. *Jur. nat.*), scilicet quoad usum eorundem (§. 21. *part.* 2. *Jur. nat.*), quod quisque habet id utique in commune conferre debet.

Postquam in genere demonstravimus, quale sit jus necessitatis ex communione primæva residuum; casus quosdam particulares expendere lubet, ut tanto facilius intelligatur, quomodo principia generalia ad casus particulares applicentur, utque tanto major lux iisdem affundatur. Facile autem patet, quod hic de cibariis in navigatione aut obsidione deficientibus ostenditur, idem etiam valere de cibariis deficientibus alio quocunque in loco, veluti in itinere per loca deserta, aut alia, in quibus cibi copia haberi nequit, aut in annonæ caritate. Quæ vero in præsenti casu porro addenda erant de restitutione, necessitate cessante, ea ex antecedentibus haud difficulter petuntur, ut non opus sit, nos in hisce explicandis esse prolixiores.

§. 612.

Quoniam deficientibus in navigatione, obsidione aut alio quocunque casu cibariis, quod quisque habet in commune conferre debet (§. 611.), jus vero necessitatis ex communione primæva residuum jus perfectum est (§. 604.), adeoque conjunctum cum jure cogendi alterum, ut faciat, quod debet (§. 235. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *si in navigatione, obsidione vel alio quocunque casu defecerint cibaria, quod quisque habet ut in commune conferat cogi potest.* *Quale tum competat jus.*

Hoc probe notandum est, ut suo loco pateat, quid in istiusmodi casibus liceat in statu civili.

§. 613.

Si in navigatione nemo, qui in navi est, cibariis deficientibus, habeat quod in commune conferre possit; res comestibiles, quæ in navi sunt, alio transportandæ consumi quantum ad famem duram depellendum sufficit: immo si navi ad littora appulsa deficiant nummi, ut æquo pretio cibaria comparari possint, res quædam, quæ in navi sunt, etsi alio transportandæ, vendi possunt. Etenim si in navigatione nemo, qui in navi est, cibariis deficientibus, habet, quod in commune conferre possit; unicum medium sui conservandi iis, qui in navi sunt, suppetit, ut rebus comestibilibus, quæ in navi sunt, alio transportandis famem duram depellant. Quoniam itaque extrema adest necessitas, & in hac jus commune ad res revivisc it (§. 600.); ad famem duram depellendam licebit consumere res comestibiles, quæ in navi sunt, etiamsi alio transportandas. *Quod erat unum.* *De jure necessitatis ad res, quæ in navi sunt.*

Quodsi navi ad littora appulsa deficiant nummi, sine iis tamen cibaria comparari non possint; medium ea comparandi, consequenter in itinere ulteriori se conservandi medium unicum est, ut vendantur quædam merces, quæ sunt in navi, alio transportandæ. Patet igitur ut ante, eas cibariorum comparandorum causa vendi posse. *Quod erat alterum.*

In casu adeo priori necessitas dat jus ad res alienas consumendas; in posteriori ad easdem vendendas.

§. 614.

Si quis ab invasore impetitur, nec via salutis ulla supersit, nisi ut fuga arripiatur, adsit vero ad manum equus alienus; eodem in fuga inconsulto domino uti potest. Quodsi peregrinus versetur in regione ignota, nec dominus noscatur, & equus longius sit abducendus, aut alia de causa quacunque restitutio reddatur impossibilis, equum restituere non tenetur. Si quis enim ab invasore injusto impetitur, nec via salutis ulla supersit, nisi in fuga arripiatur, quam sine equo capessere nequit; medium unicum periculum evadendi *De equo alieno ad fugam capessendam adhibito in extrema necessitate.*

BIU Cujas

dendi supereſt, ut equo, qui ad manum eſt, alieno utatur. Extrema adeo adeſt neceſſitas, in qua cum jus commune ad res reviviſcat (§. 600.), equo alieno, qui ad manum eſt, uti licet tanquam communi, conſequenter domino inconſulto (§. 37. *p.* 2. *Jur. nat.*). *Quod erat unum.*

Enimvero ſi in extrema neceſſitate re aliena uſus es, nec noveris, cujuſnam ea ſit, aut alia quacunque de cauſa reſtitutio reddatur impoſſibilis, eam reſtituere non teneris (§. 605.). Quamobrem ſi is, qui ad capeſſendam fugam equum alienum adhibet, peregrinus verſetur in regione ignota, nec noſcatur dominus, aut alia quacunque de cauſa reſtitutio reddatur impoſſibilis, equum reſtituere non tenetur. *Quod erat alterum.*

Si noſcatur dominus, nec equus longius ſit abducendus; qui eodem ad capeſſendam fugam uſus non modo equum reſtituere (§. 605.), verum etiam, cum nemo alteri gratis dare debeat, ſi viciſſim dare poteſt (§. 268. *p.* 3. *Jur. nat.*), mercedem pro uſu equi æquam ſolvere tenetur, ut adeo neceſſitas ultra id non extendenda, quod ſufficit (§. 279. *Ontol.*), locationem conductionem ſaltem efficiat neceſſariam (§. 1194. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quoniam tamen jure ſuo uſus, dum inconſulto domino equum quaſi conduxit, non tenetur ad id, quod intereſt, equum non fuiſſe abductum. Quodſi noſcatur dominus, equus vero longius abductus, ut ſine magno vel nimio ſumtu reſtitui minime poſſit; æſtimatio ejus præſtanda. Quamdiu nimirum æquitati naturali locus eſt, nulla neceſſitati in eam vis eſt.

§. 615.

De uſu armorum alienorum ad ſui defenſionem.

Si adverſus invaſorem te defenſurus armis deſtituaris, adſint vero ad manum arma aliena; ea domino inconſulto ſeu non regato, immo contradicente arripere licet. Patet eodem, quo ante (§. 614.), modo. Immo inferri id etiam poteſt ex eo, quod ſupra demonſtravimus (§. 595.).

Tenendum nimirum, quando periculum nullam fert moram, ut uſus armorum a domino præſente peti poſſit, neceſſitatem quoque excludere jus petendi, quemadmodum idem valet, ſi armorum præſentium dominus non noſcatur. In caſu particulari ex circumſtantiis præſentibus haud difficulter colligitur, quibus limitibus contineatur neceſſitas, nimirum omne id, quod per circumſtantias præſentes fieri nequit, ei tribuendum.

§. 616.

De uſu inſtrumentorum alienorum in incendio reſtinguendo.

Si ad reſtinguendum incendium rebus, vel inſtrumentis alienis fuerit opus, iis uti licet inſcio, immo etiam contradicente domino, quæ primum ad manus ſunt. Patet eodem modo, quo ante (§. 614.) & ex eo quoque per modum corollarii ſubſumi poteſt, quod ſupra demonſtratum (§. 595.).

Licet tum ædes alienas ingredi & ex iis petere inſtrumenta neceſſaria, vel etiam res, veluti equos, ſi ad aquas advehendum iis fuerit opus. Probe tamen hic perpendenda ſunt, quæ modo de neceſſitatis requiſitis annotavimus (*not.* §. 614.), ne quis uſum rei alienæ ſibi arroget præter neceſſitatem. Quemadmodum vero in præſenti jus neceſſitatis non conſideramus, niſi quale obtinet in ſtatu naturali; ita hic omittimus, quomodo in ſtatu civili lege poſitiva caveatur, ne neceſſitas habeatur pro extrema, quæ non eſt, nec ja neceſſitatis ultra ſuos limites extendatur, & ne eodem quis utatur in præjudicium domini. Incendium ædes vaſtat & res, quæ in iis ſunt, concremantur. Incendium adeo reſtinguere idem eſt ac res ſuas defendere. Quale adeo jus neceſſitas dat ad defenſionem rerum ſuarum in res alienas; idem etiam locum habet in incendio reſtinguendo.

§. 617.

De vendi-tione frumenti in annona difficultate.

In annonæ difficultate, qui frumento abundant, ad vendendum cogi poſſunt. Quoniam enim in annonæ difficultate frumentum difficulter haberi poteſt; plurimi deſtituuntur uſu

usu rei maxime necessariæ ad vitam conservandam, nec æquo pretio sibi eandem comparare possunt, consequenter si qui frumento abundant, id æquo pretio vendere nolint, suprema adest necessitas. Quoniam itaque medium unicum est sui conservandi, ne scilicet multis sit fame pereundum, ut, qui frumento abundant, id vendat, necessitas vero actum facit licitum, qui alias illicitus foret, si sit medium unicum satisfaciendi obligationi suæ (§. 573.), qualis est obligatio se conservandi (§. 249. *part.* 1. *Jur. nat.*); quamvis alias a domini voluntate unice pendeat, num dominium rei suæ in alium transferre (§. 12. *part.* 3. *Jur. nat.*), consequenter etiam eam vendere velit (§. 939. *part.* 4. *Jur. nat.*), in annonæ difficultate, qui frumento abundant, ad vendendum cogi possunt.

Necessitas non facit jus alteri rem suam vi eripiendi sine pretio, nisi quando in eadem constitutus pretium non habeat, quod solvere possit (§. 606.). Quando itaque necessitati aliorum subvenitur, modo frumentum vendatur; necessitas quoque nonnisi venditionem necessariam facit, ut, qui vendere debet, sed non vult, vendere cogatur.

§. 618.

Qui annonam incendit, ad æquo pretio frumentum vendendum cogi potest. Qui enim annonam incendit, pretio iniquo frumentum vendere vult lucri sui causa, consequenter pretium majus, adeoque plus habere vult, quam habere debet (§. 321. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quoniam itaque locupletior fieri volt cum damno aliorum (§. 486. 582. *part.* 2. *Jur. nat.*); nemo autem locupletior fieri debet cum damno alterius (§. 585. *part.* 2. *Jur. nat.*), & in annonæ difficultate qui frumento abundat ad vendendum cogi potest (§. 617.); qui annonam incendit, ad frumentum æquo pretio vendendum cogi potest. *De pretio frumenti determinando in annona incendio.*

Quomodo pretium æquum ab iniquo discernatur, per ea patet, quæ alibi demonstrata sunt (*not.* §. 321. *part.* 4. *Jur. nat.*). Neque metuendum est, ne sic injuria fiat venditori: quando enim frumenti minor copia est, consequenter in annonæ difficultate, pretium quoque majus licitum est, quam si annona fuerit laxior (§. 305. *p.* 4. *Jur. nat.*). Absit itaque ut tibi persuadeas, in statu naturali hoc modo determinationem pretii conferri in arbitrium emtoris. Variatis circumstantiis pretium æquum esse potest, quod sub circumstantiis aliis erat iniquum (§. 325. *part.* 4. *Jur. nat.*). Naturaliter obligatur pretium æquum solvere, qui rem sibi ab alio comparare vult (§. 323. *part.* 4. *Jur. nat.*). Hanc autem obligationem non tollit necessitas, si quis pretium æquum solvere possit: neque enim necessitatis ulla vis est, nisi quando id, quod fieri debebat, fieri minime possit (§. 209. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*).

§. 619.

Immo in genere necessitas extrema jus æquo pretio rem sibi comparandi ab alio, quod in se imperfectum est, in perfectum convertit. Naturaliter homines obligantur ad res pro æquo pretio sibi invicem communicandas (§. 322. *part.* 4. *Jur. nat.*), & qui rem sibi ab alio comparare vult, æquum pretium offerre tenetur (§. 323. *part.* 4. *Jur. nat.*). Jus igitur, quod homini competit, dominiis rerum introductis, res ab alio sibi comparandi (§. 126. *part.* 3. *Jur. nat.*), involvit onus solvendi pretium æquum. Enimvero quoniam a domini voluntate pendet, utrum dominium rei suæ, quod in te transferendum, si rem ab eo tibi comparare velis (§. 125. *part.* 3. *Jur. nat.*), in te transferre velit, nec ne (§. 12. *part.* 3. *Jur. nat.*); ad transferendum a te cogi nequit, consequenter jus æquo pretio rem sibi comparandi ab alio non conjunctum habet sibi jus cogendi dominum. Imperfectum vero jus est, cum quo jus cogendi conjunctum non est, ubi alter obligationi, quæ eidem respondet, satisfacere non vult (§. 237. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Jus itaque æquo pretio rem sibi comparandi ab alio in se imperfectum est. *Quod erat unum.* *De vi necessitatis in jus æquo pretio sibi rem ab alio comparandi.*

Si extrema necessitas adfuerit, aliud medium non suppetit eidem subveniendi, quam ut rem ab alio tibi æquo pretio compares, consequenter eundem, si nolit, ad trans-

BIU Cujas

ferendum in te dominium ejus cogas (§. 125. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam itaque necessitas irresistibilis actum licitum efficit, qui alias foret illicitus, quando est medium unicum satisfaciendi obligationi indispensabili, id quod in extrema necessitate obtinet (§. 573.); in extrema necessitate ad dominium rei suæ in te transferendum alterum cogere potes, rem æquo pretio tibi ab eodem comparaturus, si consentire nolit. Enimvero jus perfectum est, quod conjungitur cum jure cogendi alterum, si obligationi suæ satisfacere nolit (§. 235. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ergo jus æquo pretio rem sibi comparandi ab alio, quod in se imperfectum est (*per demonstrata n.* 1.), necessitas extrema in perfectum convertit. *Quod erat alterum.*

Propositionem hanc jam aliter ostendimus in superioribus (§. 610.). Placuit tamen hic eandem adhuc aliter demonstrare methodi addiscendæ causa, præsertim cum hoc usui esse possit etiam in jure civili, seu positivo, leges particulares ad universales revocando, ut menti legislatoris conformiter casus etiam alii definiantur sub lege non comprehensi: id quod mirifice conducit ad interpretationem extensivam (§. 516.) & scientiam juris civilis amplificandam. Sane non inutilem operam sumeret, si quis jus civile Romanum ad principia maxime generalia revocaret; ast methodi demonstrandi apprime peritus esse debet, qui opus tam arduum ac difficile aggredi voluerit: neque enim existimandum est, hoc levi brachio agi posse. Mirum videri poterat post tot commentatores in Pandectas & compendiorum consarcinatores neminem adhuc de re tam utili cogitasse: ast mirari desinet, qui intellexerit, inanem operam sumi, nisi quis in arte demonstrandi fuerit artifex ac in philosophia satis versatus.

§. 620.

De rebus aggressoris perdendis.

Si vim injustam depellere possis, res aggressoris perdendo; perdere licet. In aggressorem tantundem licet, quantum læsioni arcendæ sufficit (§. 980. *part.* 1. *Jur. nat.*) &, si leniora media defensioni sufficiunt, non utendum durioribus (§. 982. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter ea, quibus malum minus infertur aggressori, præferenda sunt iis, quibus malum majus infertur (§. 981. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quodsi ergo vim injustam depellere possis, rem aggressoris perdendo, &, si periculum vitæ vel mutilationis membrorum aliter evitari non possit, quam illum interficiendo, eum interficere liceat (§. 103. *part* 1. *Jur. nat.*), per se autem evidens sit, minus malum inferri aggressori, si res ejus perdantur, quam si interficiatur; quin res ejus perdere liceat, si vim injustam depellere possis, res ipsius perdendo dubitandum non est.

Ita ex. gr. Si gladium e manu aggressoris extorquere, & vel frangere, vel in flumen projicere possis; hoc facere utique licet: immo debes (§. 992. *part.* 1. *Jur. nat.*), ipsa etiam prudentia jubente (§. 258. *part.* 1. *Jur. nat.*), ut medium tutius in depellenda vi injusta præferatur medio minus tuto, seu cum majore periculo conjuncto (§. 257. *part.* 1. *Jur. natur.*). Idem intelligitur de armis quibuscunque aliis. Similiter si fuga tibi consulere possis, rebus aggressoris ignes injiciendo; injicere licet. Immo eodem fine interficere licet equum aggressoris, immo etiam alium quemcunque, si hoc modo impedire possis, ne satis celeriter te fugientem persequatur. Non addimus casus alios, quos sub propositione præsenti tanquam particulares comprehendi facile apparet.

§. 621.

De re alie. na in communi periculo perdenda.

Si commune periculum aliter depelli non possit, quam rem alienam perdendo; eam perdere licet, damnum vero commune esse debet. Quodsi enim periculum commune est, id tam rebus tuis, quam alienis imminet, quod per se patet. Ego pariter ac tu obligamur ad damnum, quod rebus nostris imminet, quantum in nobis est, avertendum (§. 493. 495. *part.* 2. *Jur. nat.*). Enimvero cum periculum commune aliter depelli, adeoque nec damnum a rebus averti aliter possit, quam rem alienam perdendo, scilicet ut ego perdam tuam, aut tu meam, *per hypoth.*, necessitas vero faciat actum licitum, qui alias illicitus foret, quando est medium unicum satisfaciendi obligationi suæ (§. 573.); si commune periculum aliter depelli non possit, quam rem alienam perdendo, eam utique perdere licet. *Quod erat unum.*

Quo-

BIU Cujas

Quoniam vero utrique noſtrum jus æquale eſt ad commune periculum depellendum, *per demonſtrata*, & ego non minus obligatus ſum damnum a rebus tuis avertere, quam tu a meis, quantum in poteſtate eſt (§. 495. *part.* 2. *Jur. nat.*), nulla ſane ratio eſt, cur unus ſolus damnum ferre debeat, cujus rebus perditis res alterius ſervantur, quin potius commune eſſe debet damnum, ſi commune periculum depellitur res alterius perdendo, quod aliter res unius ſervari minime poterant. *Quod erat alterum.*

Communis periculi depulſio finis eſt, ad quem conſequendum uterque noſtrum obligatur tam ratione ſui, quam ratione alterius, quantum in poteſtate utriuſque eſt (§. 493. 495. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum aliter periculum depelli non poſſit, niſi res alterius perdendo; neceſſitas quaſi ſocietatem inducit, ut damnum & lucrum ſit commune (§. 1318. *part.* 4. *Jur. nat.*). Et quamvis alias ſocietas mutuo conſenſu perficiatur (§. 1320. *part.* 4. *Jur. nat.*): in præſenti tamen caſu jus neceſſitatis contractum ſocietatis facit neceſſarium, perinde ac quando caſu quidam incidunt in communionem (§. 564. *part.* 5. *Jur. nat.*). Caſus adeo propoſitionis præſentis non inepte reduci poteſt ad ſocietatem, aut, ſi mavis, quaſi ſocietatem.

§. 622.

Quoniam damnum commune eſt, *ſi commune periculum perdendo rem alienam depellitur* (§. 621.), ſinguli damnum pro rata participant (§. 135. *part.* 3. *Jur. nat.*), quæ cum aliter æſtimari non poſſit, quam ex pretio rerum, quas unuſquiſque habuit, *in ratione pretii rerum, quas unuſquiſque habuit, damnum commune dividendum.* *Quomodo damnum commune dividendum.*

Ex. gr. Ponamus res tuas, quæ perdendo res alterius ſervatæ ſunt, valere 10000. alterius vero res, quæ perditæ ſunt 5000., pretia rerum erunt ut 1. ad 2, adeoque damnum commune 5000. dividendum in ratione ſubdupla per regulam ſocietatis (§. 314. *Arithm.*). Damnum igitur tuum erit $3333\frac{1}{3}$, alterius $1666.\frac{2}{3}$, adeoque tu alteri reſtituere teneris $3333\frac{1}{3}$, ut adeo quod perdendo res alienas tibi ſervarum ſit $6666\frac{2}{3}$. Quodſi non res omnes alterius perditæ ſint, ſed ſaltem pars earundem, veluti dimidia, ut damnum commune ſit 2500; idem ut ante dividetur in ratione 1 ad 2, & invenietur damnum tuum $1666\frac{2}{3}$, alterius vero $833\frac{1}{3}$, ut adeo quod tibi ſervatum ſit $8333\frac{1}{3}$ & alteri reſarciens damnum dare tenearis $1666\frac{2}{3}$, atque hoc pacto alteri ſuperſint $4166\frac{2}{3}$. Immo ſi utriuſque res quædam fuerint perditæ, ut ſervatæ fuerint reliquæ, damnum commune, quod conflatur ex pretio rerum utriuſque perditarum, adhuc dividendum eſt in ratione pretii rerum, quas uterque habuit, veluti ſi in exemplo dato res perditæ unius, qui 5000. habuit, ſint ut 2000, alterius vero, qui 10000. habuit, ut 600, erit damnum commune 2600, conſequenter quod illi ferendum, erit $866\frac{2}{3}$, quod autem ferendum huic, $1733\frac{1}{3}$ adeoque illi hic reſtituere debet $1133\frac{1}{3}$. Etenim ob jacturam rerum ſuarum illi reſtituere deberet $1333\frac{1}{3}$, ſed ille huic eadem de cauſa 200; facta igitur compenſatione, hoc eſt, 200. ex $1333\frac{1}{3}$ ſubductis reſtat quod reſtituendum $1133\frac{1}{3}$. Atque adeo patet, quomodo computetur damnum reſarciendum ei, cujus res perdendo alterius ſervatæ fuerunt, vel ſi inæquali jactura res utriuſque fuerunt ſervatæ. Quamvis enim plures, quam duo, ad damnum commune concurrant; hoc tamen minime obſtat, quin per communem regulam ſocietatis definiatur, quid unuſquiſque contribuere debeat: regula enim illa docet, quomodo quantitas data, quale eſt hic commune damnum, ſit dividendum in ratione data, ſeu, ut JCti loquuntur, pro rata.

§. 623.

Quoniam damnum commune eſt, quando in communi periculo res aliter ſervari nequit quam rem alterius perdendo (§. 621.), quilibet autem cum a ſe, tum ab alio damnum avertere debet, quantum in ſe eſt (§. 493. 495. *part.* 2. *Jur. nat.*): *in periculo communi non licet perdere rem pretioſiorem, ut ſervetur minus pretioſa, ſi pretioſior ſervari poſſit perdendo rem minoris pretii*; conſequenter *ſi quis perdidit res alterius pretioſiores, ut ſervaret ſuas minus pretioſas, cum ſuas perdendo has ſervare poſſet*, cum huic damnum dederit culpa ſua (§. 488. *part.* 2. *Jur. nat.* & §. 696. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) *huic damnum reſarcire tenetur*; conſequenter *ut conſtet quid ſit reſarciendum, fingendum eſt, quaſi res minoris pretii perditæ fuerint, ſervatis pretioſioribus, & ex illarum* *De electione faciendа, ſi perdendo res quaſdam ſervandæ alias.*

larum pretio æſtimandum eſt damnum commune pro rata, ſeu in ratione pretii rerum utriuſque dividendum (§. 622.).

Ex. gr. Ponamus perditas eſſe res, quarum pretium eſt 10000, ut ſalvæ eſſent res, quarum pretium eſt 5000, cum his perditis illæ ſervari potuiſſent, & culpa quidem ejus, cujus ſunt res vilioris pretii. Quodſi res vilioris pretii perditæ fuiſſent, damnum ejus, cujus ſunt pretioſiores, foret $3333\frac{1}{3}$ (*not.* §. 622.), conſequenter eidem reſtarent $6666\frac{2}{3}$, qui igitur eas perdidit $6666\frac{2}{3}$ hunc reſtituere tenetur, adeoque non modo jacturam facit rerum ſuarum omnium, verum etiam præterea adhuc ſolvere tenetur $1666\frac{2}{3}$, cum alias damnum ipſius non fuiſſet niſi $1666\frac{2}{3}$, conſequenter retinuiſſet $3333\frac{1}{3}$ (*not.* §. 622.). Nimirum damnum $3333\frac{1}{3}$ caſui imputandum; damnum vero $6666\frac{2}{3}$ ei, qui culpa ſua id dedit.

§. 624.

De tertio commune periculum ab aliis depellente.

Cum in eo caſu, quo in communi periculo perdendo res pretioſiores ſervatæ ſunt res minoris pretii, cum has perdendo illæ ſervari potuiſſent, damnum caſuale diſtinguendum ſit ab eo, quod dolo vel culpa datum (§. 623.), damnum vero culpa datum reſarciendum ſit ab eo, qui dedit (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*); *ſi tertius quidam in periculo communi, qui ad id depellendum obligatur, vel ſua ſponte id avertere conatur, res pretioſiores perdit, ut ſalvæ ſint viliores, cum viliores perdendo pretioſiores ſervare potuiſſet, damnum culpa datum ipſe reſarcire tenetur.*

Qui rem alienam ſervat perdendo rem alienam, is proprio motu ſine mandato domini vel dominorum, negotium alienum gerit, adeoque negotiorum geſtor eſt (§. 513. *p.* 5. *Jur. nat.*). Quamobrem cum negotiorum geſtor damnum dolo vel culpa ſua datum domino reſarcire teneatur (§. 516. *part.* 5. *Jur. nat.*); mirum videri minime debet, quod damnum reſarcire teneatur, quod non caſui, ſed culpæ debetur, qui res pretioſiores perdidit, ut ſalvæ eſſent viliores, cum has perdendo illas ſervare potuiſſet. Aliter ſeſe res habet, ſi mora non ferat electionem, vel adſint aliæ circumſtantiæ, quæ eam reddunt impoſſibilem, aut nimis difficilem; cum damnum totum tunc caſui ſit imputandum.

§. 625.

De jactu rerum evitandi naufragii cauſa.

Si evitari naufragium aliter nequit niſi merces quaſdam ex navi in mare jaciendo; eas jacere licet, & damnum commune eſt omnium, qui merces in navi habent, ac ejus, cujus navis eſt, dividendum in ratione pretii rerum, quas unuſquiſque habuit, ac ipſius navis. In naufragio enim cum ipſa navi res omnes, quæ in navi ſunt, interire poſſunt, adeoque periculum, quod imminet, commune eſt omnium eorum, qui merces in navi habent, ac ipſius domini navis. Quodſi ergo naufragium aliter evitari nequit, quam merces quaſdam ex navi in mare jaciendo, merces reliquæ cum ipſa navi ſervari aliter nequeunt, niſi res alienæ perdantur, adeoque commune periculum depelli aliter non poteſt, niſi perdendo res alienas. Quoniam itaque rem alienam perdere licet, ſi periculum aliter averti nequit, quam eam perdendo, tumque damnum commune eſt ejus, cujus res perdita, ac alterius, cujus ſervata (§. 621.); ſi evitari naufragium aliter non poteſt, niſi res quaſdam ex navi in mare jaciendo, eas jacere licet, & damnum commune eſt omnium, qui merces in navi habent, ac domini navis. *Quod erat primum & ſecundum.*

Enimvero ſi communis periculi evitandi cauſa res aliena perditur, damnum commune dividendum in ratione ptetii rerum, quas unuſquiſque habet, ſcilicet amiſſarum & ſervatarum (§. 622.). Quamobrem cum jactu mercium naufragii evitandi cauſa facto commune periculum eorum, qui merces in navi habent, ac domini navis depellatur; damnum commune in caſu quoque propoſitionis præſentis dividendum eſt in ratione pretii rerum, quas unuſquiſque habuit, ac ipſius navis. *Quod erat tertium.*

Naturalem hanc æquitatem obſervarunt *Rhodii* in legibus navalibus, per univerſum tractum maris mediterranei propter æquitatem tanquam jus gentium cultis. Legem adeo Rhodiorum eadem de cauſa etiam receperunt Romani l. Rhod. de jactu. Leges Rhodias navales a *Peckio* collectas recenſet *Mullerus* ad *Struvii* ſyntagma Juriſprudentiæ Exercit. 20. §. 16. not. 3. Intereſt non minus

BIU Cujas

minus domini navis, ut navis servetur, quam eorum, qui merces in navi habent, ne merces omnes intereant, sed, cum servari omnes non possint, saltem serventur, quot servari possunt. Quamobrem cum jactu mercium servetur etiam navis, alias interitura; damnum ut dominus navis quoque pro rata sentiat æquitati maxime consentaneum. Nulla enim ratio est, cur quis pati debeat res suas perdi navis conservandæ causa in communi periculo, ut damnum sit solum ipsius. Jactu mercium levatur navis: metuendum autem est naufragium, si saxo vel fundo allidatur navis, vel procella tam vehementer eam jactet, ut adversus fluctuum insultus exsurgere nequeat, nisi jactu levetur. Atque hinc patet jactus necessitas, tanquam unicum medium servandi navim cum iis, quæ in eadem sunt, siquidem non prorsus impossibile ut servetur. Ideo l. 2. de L. R. de jactu jactura facta dicitur necessario tempestate orta.

§. 626.

Quoniam eventus rerum nemo hominum certo prævidere (§. 1191. *p. 1. Jur. nat.*), *nec casum minime præviſum evitare poteſt* (§. 460. *part. 2. Theol. nat.*) consequenter orta procella gravi non semper certo constat, utrum sine jactu navis cum iis, quæ in ea sunt, salva esse possit, nec ne; ideo *jactu navem levare licet, ſi probabile fuerit, ſine eo navem & merces, quæ in ea ſunt, nullas ſervari poſſe, vel, naufragium evitari minime poſſe*, consequenter *ſi experientia conſtet in iſtiuſmodi caſu, qualis nunc emergit, naufragium contingere ſolere* (§. 248. *part. 2. Jur. nat.*), & propterea *determinatio jactus illorum arbitrio relinquenda, qui majorem experientiam iſtiuſmodi rerum habent.* *Quando neceſſitas jactus adeſſe putetur.*

Recte igitur jam ab aliis observatum est, jactum non esse restringendum ad extremam & graviſſimam neceſſitatem. Sufficit nimirum adesse rationes probabiles, ob quas naufragium metuendum, niſi navis jactu levetur. In rebus humanis enim standum est plerumque probabilitate ac propterea eligendum, quod tutius, ut damnum minus majori etsi non prorsus certo præferatur.

§. 627.

Quoniam damnum commune est domini navis & eorum qui merces in navi habent (§. 625.), ei vero resarciendum, cujus res ejecta, utpote qui alias damnum solus pateretur, non vero pro rata; *ad reſarciendum damnum contribuere debent dominus navis & ii, quorum merces ſervatæ ſunt, & tantum quidem unuſquiſque contribuere debet, quanta eſt rata damni.* *Quinam ad reſarciendum damnum contribuere debeant.*

Ex. gr. Si quis tertiam damni partem præstare debeat, ac pretium rerum amissarum sit 300; is 100. contribuere tenetur.

§. 628.

Similiter quia commune damnum dividendum est in ratione pretii navis & rerum, quas unusquisque in navi habuit (§. 625.); *ut computatio fieri poſſit, ſeu determinari, quantum unuſquiſque contribuere debeat ad damnum reſarciendum ei, cujus res amiſſæ, æſtimari debent merces tam amiſſæ, quam ſervatæ, atque navis cum inſtrumentorum apparatu.* *Quanam ad computationem contributionis requirantur.*

Hisce cognitis quomodo per regulam societatis fiat computatio, supra docuimus (*not.* §. 622.), ut adeo non opus sit exemplo eam hic denuo illustrari.

§. 629.

Naulum dicitur merces, quæ solvitur pro vectura in navi, nimirum ut merces in locum destinatum devehantur. *Quodſi ergo merces in locum deſtinatum ſalvæ non perveniant, nec naulum pro iis detur*, veluti *ſi in naufragio res fuerint amiſſæ, vel navis cum mercibus a piratis capta, aut alio caſu infelici interierit.* *Naulum quid ſit.*

Ca.

BIU Cujas

Casui tribuendum, quod res fuerint amissæ: eidem quoque tribuendum, quod naulum amittatur. Damnum utrumque casuale est (§. 491. *p. 2. Jur. nat.*). Casum cum nemo prævidere ac evitare possit (§. 460. *p. 2. Theol. nat.*), damnum casuale patienter ferendum ei, qui damnum in re vel lucro suo contraxit (§. 593. *part. 1. Jur. nat.*). Non licet excipere, quoniam merces pro rata debetur operarum locatori, qui partem aliquam operarum præstitit, casu autem impeditur, quominus integras præstare possit (§. 1262. *p. 4. Jur. nat.*), naulum quoque pro rata deberi pro vectura usque ad eum locum, ad quem navis cum mercibus in mari salva pervenit. Dispar enim utrobique ratio est. Etenim in casu priori ex parte operarum præstitarum conductor eam capit utilitatem, quæ ex illa operarum parte habetur; ast in posteriori nulla est ejus, cujus sunt merces, utilitas ex vectura, nisi merces salvæ devehantur in locum destinatum: in negotio igitur præsenti cum casus removeri nequeat, utpote nulla arte humana prævidendus atque evitandus (§. 460. *part. 2. Theol. nat.*); uterque contrahentium aleam subire tenetur, (§. 291. *part. 5. Jur. nat.*) nisi iisdem aliud placuerit. Quemadmodum enim ita conveniri potest, ut unus sociorum sit particeps lucri, sed non particeps fiat damni (§. 1328. *part. 4. Jur. nat.*); ita quoque conveniri potest, ut, si merces casu interire contingat, naulum debeatur pro ea itineris parte, qua salvæ vectæ fuerunt. Alias casus saltem liberat a damno, quod in mercibus contingit, resarciendo.

§. 630.

An naulum in contributionem veniat.

Quoniam naulum non debetur, si in naufragio res fuerint amissæ (§. 629.), consequenter si jactu periculum naufragii depellitur; non minus naulum, quam merces, quæ in navi sunt, una cum navi conservatur, adeoque eadem est ratio, cur naulum in contributionem venire debeat, quam cur in eandem veniat navis (§. 625. 627.). Quamobrem *si jactu mercium evitandi naufragii causa navis levata fuit, ad resarciendum damnum ejus, cujus merces jactæ sunt, pro rata quoque naulum in contributionem venire debet.*

Naturalis hæc æquitas etiam comparet in lege *Rhodia* de jactu, quippe qua cautum est, ut, si levandæ navis gratia jactus mercium factus est, omnium contributione sarciatur, quod pro omnibus datum est. Per ea autem, quæ de naulo demonstravimus, abunde patet, non minus pro eodem datum esse, quod e navi ejectum, quam pro mercibus in navi retentis & pro ipsa navi. Unde & *VVernerus* in dissert. de contribut. propter jactum th. 65. casum proponens vecturam quoque perinde ac navim æstimat, ut computatio fieri possit, quantum unicuique sit contribuendum.

§. 631.

De naulo, deperditis mercibus restituendo.

Quia *mercibus deperditis naulum* non debetur (§. 629.); *si datum fuerit, restituendum est, adeoque ab eo, qui dedit, repeti potest.*

Quando naulum pro vectura solvitur, antequam advectæ fuerint merces, utique sub hac conditione solutum, ut restituatur, si advectæ non fuerint, sicuti conductor mercedem ante operarum præstationem solvens eandem non aliter solvisse intelligitur nisi sub tacita hac conditione, ut, si forsan contingat locatorem operas promissas præstare non posse, eandem restituat.

§. 632.

De quantitate nauli in contributionem venientis.

Quoniam mercibus naufragio deperditis naulum non debetur (§. 629.), immo datum restituendum est (§. 631.) idem vero in contributionem venit, *si jactus mercium evitandi naufragii causa factus* (§. 630.); *magister navis pro toto naulo, seu pretio vecturæ tam promisso, quam jam accepto* (§. 629.), *conferre debet.*

Non est, quod excipias, naulum ei, cujus merces amissæ sunt, esse restituendum, etiamsi jam datum fuerit (§. 631.): quoniam enim contributione resarcitur, quod amissum est, ita ut nonnisi damni partem pro rata ferre teneatur, qui merces amisit (§. 630.), consequenter perinde sit ac si res ejus servatæ fuissent & damnum tantummodo casu quodam in iisdem contigisset, ideo

BIU Cujas

ideo pro eo, quod servatum est, adhuc naulum debet, perinde ac ceteri, quorum merces salvæ sunt. Quemadmodum itaque damnum contigisse sumitur in omnibus mercibus pro rata, ita quoque in naulo.

§. 633.

Cum magister navis pro toto naulo conferre debeat, si jactus mercium naufragii evitandi gratia factus (§. 632.); *totum naulum, seu totum vecturæ pretium, in computanda contributione accensetur mercibus, quæ sunt in navi.* *Quomodo in contributione spectetur.*

Nimirum perinde est, ac si magister navis merces haberet in navi, quæ tantundem valent, quantum est naulum, quod pro vectura mercium solvitur.

§. 634.

Res tam amissæ, quam servatæ eo pretio æstimandæ sunt, quo vendi potuissent ac vendi possunt loco destinato. Quoniam enim jactu quarundam mercium servantur reliquæ; is, cujus merces ejectæ sunt, non deterioris esse debet conditionis, quam ceteri, quorum res servatæ sunt, cum damnum omnium, qui merces in navi habent, commune esse debeat (§. 625.). Sed merces, quæ servatæ sunt, loco destinato venduntur non eo pretio, quo emtæ sunt, sed quo ibidem vendi possunt. Necesse igitur est, nisi damnum majus sentire debeat, qui jactu suarum mercium servavit merces ceterorum, ut ejus quoque merces æstimentur non eo pretio, quo fuerunt emtæ, sed quo vendi possunt loco destinato. Patet itaque tam res amissas, quam servatas eo pretio æstimandas esse, quo vendi potuissent vel vendi possunt loco destinato. *De æstimatione rerum.*

Equidem secundum legem Rhodiam res amissæ æstimandæ sunt, quanti fuerint emtæ, servatæ vero, quanti peritorum virorum arbitrio loco destinato vendi possunt l. 2. §. 4. de L. R. de jactu; ast hoc æquitati minime convenit, quicquid alias de æquitate legis Rhodiæ dicatur. Ratio enim, quæ redditur l. c. quod detrimenti, non lucri fiat præstatio ei, cujus merces sunt amissæ, ceteris tantum revera lucrum ex alterius ejectione percipientibus, quanti res loco destinato venduntur, nulla omnino est, cum hoc pacto in damno communi dividundo non observetur æqualitas, quæ parem facit communionem omnium, qui merces in navi habent. Omnium eadem est obligatio patiendi, ut perdendo res suas serventur ceteræ, ac inde resultat æquale jus ad res suas servandum perdendo alienas. Æqualitas igitur, quæ aderat, cum periculum commune esset avertendum, ut tollatur postea, ubi aversum fuit unius damno & hoc resarciendum, nulla prorsus ratio suadet, eadem manente obligatione ferendi partem damni, sine qua periculum averti non poterat, & eodem subsistente jure percipiendi utilitatem ex periculo averso, cui res omnes æqualiter subjacebant. Æquitas propositionis præsentis statim per se in oculos incurrit, ut propterea communi omnium consuetudine hodie a distinctione, quam facit lex Rhodia quoad æstimationem inter res amissas & servatas, recedatur. Et quamvis *Weitzius* hoc usu observari scribat, ut, si jactura mercium facta sit, antequam dimidium itineris navis confecerit, merces amissæ non pluris æstimentur, quam quanti æmtæ sunt, dimidio vero itineris jam superato eo æstimentur pretio, quo venditæ fuissent loco destinato, & idem moribus Belgarum, Brittanorum & Francorum dudum observatum notetur a *Mullero* ad *Struvium* Exerc. 20. th. 19. n. β. hæc ipsa tamen differentia æstimandi res amissas prorsus arbitraria est, omni ratione naturali destituta, quippe quæ per antecedentia eadem est, sive jactura fiat, antequam navis dimidium itineris nondum confecit, sive demum fiat, dimidio itineris jam superato. Quod damnum commune esse debeat, a quantitate itineris confecti minime pendet, sed quod commune periculum sine damno averti nequeat. Eadem igitur ratio, cur damnum pro rata commune esse debeat, subsistit, quacunque itineris parte periculum ingruat nonnisi jactu quarundam mercium avertendum, ad quod adeo avertendum unusquisque conferre debet pro ratione utilitatis, quam ex ejus aversione percipit. Jus de jactu pertinet ad jus ex communione primæva residuum, quæ nullam admittit inæqualitatem (§. 19. 27. *part.* 2. *Jur. natur.*).

§. 635.

BIU Cujas

§. 635.

An res leves in contributionem veniant.

In contributionem propter jactum veniunt etiam res, quæ navim non multum onerant, veluti gemmæ ac nummi. Quoniam enim jactu mercium ſervantur ceteræ, quæ in navi manent; pretium ejectarum ſpectatur tanquam datum pro mercibus omnibus, quæ in navi ſunt, ſervandis. Quamobrem cum non minus res, quæ navim non multum onerant, quam ponderoſæ ſervatæ fuerint; pretium iſtud non minus datum intelligitur pro mercibus ſervandis, quæ navim non multum onerant, quam pro ponderoſioribus. Enimvero omnes contribuere debent, pro quibus illud datum eſt. In contributionem igitur veniunt propter jactum etiam res, quæ navim non multum onerant, veluti gemmæ ac nummi.

Convenit hoc legi Rhodiæ, qua expreſſe cavetur, ut omnium contributione ſarciatur, quod pro omnibus datum eſt l. 1. de L.R. de jactu: unde *Paulus* l. 2. §. 2. h. t. recte infert, jacturam præſtare etiam debere, qui tales merces impoſuere, quibus navis non oneratur, velut gemmas, margaritas, quia id tributum ob ſervatas res debetur. Equidem res pretioſæ, quæ navem parum onerant, quales ſunt gemmæ ac margaritæ, nihil ad periculum conferunt, cujus avertendi gratia jactus mercium fit, conſequenter nec is, qui tales merces navi impoſuit, ad periculum avertendum quicquam conferre debere videtur; hoc tamen dubium facile removetur, modo cogitemus caſum, qui contingit, non tribuendum eſſe mercibus ponderoſioribus, quibus onuſta eſt navis, ſed procellis, quæ jactant navem, aut cauſis aliis, ob quas navis ſaxo vel fundo alliditur, ut adeo periculum non magis imputandum ſit iis, qui navi merces ponderoſas impoſuere, quam illis, qui minus ponderoſas in eo habent, hoc eſt, nulli eorum, cujus in navi merces ſunt. Omnium vero intereſt, ut periculum, quod navi ac mercibus in ea contentis, imminet, avertatur, & quo quis pretioſiores merces in navi habet, eo magis ejus intereſt, ne naufragium fiat. Neceſſitas jus facit in res alienas, ut eas perdendo ſerventur propriæ. Eodem igitur medio perinde utuntur ad res minus ponderoſas, etſi ponderoſis multo pretioſiores, ſervandum, qui tales merces in navi habent, quam qui ponderoſas eidem impoſuere ad has ſervandum. Obligatio contribuendi non naſcitur ex qualitate mercium, ſed ideo ad contribuendum unuſquiſque obligatus eſt, quod jactu rerum alienarum ſuæ fuerunt conſervatæ. Et ea de cauſa plus omnino conferre debet, qui majorem ex jactu utilitatem percepit, quam qui minorem. Qui merces ſuas navi imponunt, eidem caſui eaſdem committere tenentur, qui in mari contingere poteſt, qualeſcunque tandem illæ fuerint. Atque ideo tacite conſentire cenſentur in commune periculum, quod forſan imminere in itinere poteſt, communi ſumtu avertendum; conſequenter in contributionem pro rata ad damnum jactu mercium quarundam datum reſarciendum.

§. 636.

An ſervi in contribuvionem veniant.

In contributionem ob jactum veniunt ſervi: ſervi autem, qui in mari periit non fit æſtimatio. Patebit ſuo loco, ſervos certo pretio perinde ac merces vendi poſſe, conſequenter ſi ſervi ob jactum ſerventur, perinde eſt domino, ac ſi merces, quas in navi habuiſſet, ſervatæ fuiſſent. Quoniam itaque merces omnes, quæ ſervatæ fuerunt, in contributionem veniunt (§. 627.), in eandem quoque venire debent ſervi. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi ſervus in mari periit, cum is non fuerit ejectus levandæ navis gratia, conſequenter ut ſerventur res ceteræ, quæ ſunt in navi, damnum, quod ſentit dominus, qui eum certo pretio emit ac vendere rurſus poterat, non pertinet ad damnum commune, quod mercium ſervandarum cauſa ſubeundum fuit. Quoniam itaque ceſſat ratio, ob quam damnum datum per jactum reſarciendum, quando de eo, quod eo fine contribuendum, diſquiritur; ſervi, qui in mari periit, nulla habenda ratio eſt, adeoque nec ejus fit æſtimatio. *Quod erat alterum.*

Servus adeo, qui in mari perit, ſuo domino perit, ita ut ipſe ſolus damnum pati teneatur, nec quicquam ceteri ad id reſarciendum conferre debeant. Per ſe autem patet, mercium conſervandarum gratia ſervos e navi in mare ejici non poſſe, cum neminem occidere liceat (§. 743. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quodſi ergo ſervus in mari perit, hoc abſque facto eorum, qui in navi ſunt,

BIU Cujas

sunt, ac præter eorundem intentionem accidit, ut adeo perinde sit, ac si quis æger in navi moreretur, & ejus cadaver in mare projiceretur. Quemadmodum vero merces æstimantur eo pretio, quo vendi possunt loco destinato (§. 634.); ita quoque servi eodem pretio æstimari debent, minime vero, quanti fuerint emti. Quamvis enim dominus eos non vendat; sufficit tamen, quod eos vendere possit, quemadmodum quoque merces æstimantur eo pretio, quo vendi possunt, si vel maxime dominus eas vendere nolit, sed proprio usui reservat. Sufficit merces esse servatas, quæ destinato loco tanto pretio vendi possunt.

§. 637.

Vector dicitur, qui in aliena navi pretio vehitur. Hoc nomine quoque compellatur, qui in equo, vel plaustro alieno vehitur pretio. *Vector quinam dicatur.*

Vehere proprie dicitur de navi, equo vel aliis jumentis & curru, seu plaustro. Vector autem non modo active sumitur de eo qui vehit; sed etiam passive de eo, qui vehitur: unde *Ovidio* vector dicitur nomine generali, qui speciali eques appellatur.

§. 638.

Quoniam vectores pondere suo onerant navim; *si navis levandæ gratia jactus fieri debet, vectores non minus in causa sunt, quam merces navi impositæ.* *An vectores in causa sint, ut navis levetur.*

Nimirum navis levanda ideo, quia pondere eorum, quæ in navi sunt, nimis gravarur. In levanda igitur navi cum spectetur solum pondus, perinde est ac si vectorum loco in navi essent merces tanti ponderis, quantum est pondus vectorum. Ex. gr. Ponamus vectorum pondus esse sexcentarum librarum; eodem modo gravatur navis, ac si merces totidem librarum eidem impositæ fuissent. Immo quidni etiam contingere potest, ut loco mercium imponantur vectores, quæ alias impositæ fuissent?

§. 639.

Quoniam vectores pondere suo navim onerant perinde ac merces ac propterea pretium pro vectura solvunt (§. 637.); *pondus eorum aliquid æstimabile est, & valor æquipollet pretio mercium, quæ in illorum locum substitui potuissent habita ratione saltem ponderis.* *De vectorum pondere æstimando.*

Homo liber cum non sit in commercio, quemadmodum servus, seu certo pretio sicuti hic vendi nequeat; ejus quoque æstimatio nulla est. Non tamen hinc sequitur, pondus ejus non esse aliquid æstimabile, ubi ob pondus res æstimantur, consequenter homines & res ponderosæ sibi invicem substitui possunt. Neque hoc a communibus abhorret notionibus, quippe cum non modo propter spatium, quod in navi occupant vectores, verum etiam propter pondus, quo eadem oneratur, pretium pro vectura solvant. Non est quod excipias, vectores solvere pretium pro deportatione sui in locum destinatum, adeoque mercedem pro prætiita opera, consequenter pondus ipsorum spectari minime posse tanquam aliquid æstimabile, quando æstimandæ sunt res navi impositæ communi quadam de causa, veluti ob jactum mercium factum. Id enim saltem obtinet, quoties navis mercibus non oneratur, sed vectores saltem recipit, qui adeo mercium loco tum esse nequeunt. Quod æstimationem attinet, cum hominis liberi in se spectati nulla sit æstimatio, atque adeo nonnisi pondus ejus, quo gravatur navis, æstimari possit; ut æstimatio fieri possit, cum iis rebus comparandus, in quibus taxandis nauli definiendi gratia ponderis saltem habetur ratio, nulla vero attenditur pretiositas. Ex. gr. Ponamus navim oneratam esse nonnisi frumento. Æquitati minime repugnat, ut pondus hominis 130. librarum æstimetur, quanti valet frumentum totidem librarum, propterea quod tantam frumenti copiam navi immittere potuisset magister, nisi homini in eadem locum concessisset. Quamvis autem rigor juris naturalis nimiam in æstimando hoc pondere subtilitatem requirere videatur; ad eam tamen recurrere in praxi non est opus, cum consilio peritorum ac expertorum facile definiatur pretium, quod lege positiva efficitur constans. Immo cum in hac æstimatione nonnisi ponderis habenda ratio est, si ab homine, qui in navi est, ratione ponderis sui quid contribuendum, quid ratione ponderis contribuendum sit, computandum, siquidem omnes, qui merces in navi habent, ratione ponderis contribuere deberent, & id a summa contributionis subducendum, ut constet, quid contribuendum sit a ceteris, qui merces in navi habent, pro ratione pretii earundem, quemadmodum supra ostendimus. Hoc maxime naturale est & cum exemplo convenit, quod paulo ante

BIU Cujas

dedimus, ac locum habere debere nemo non videt, si merces omnes ejusdem sint pretii. Cessat nimirum ratio in homine æstimando, quæ obstat, quo minus in computando eo, quod contribuendum, saltem attendatur pondus, sed cur potius respici debeat pretium mercium. In ratione ponderis contributio fieri nequit, nisi quando merces omnes ejusdem sunt pretii, quod tunc attendendum minime venit, cum pretium tum sit ut pondus. Quamobrem cum hominis nullum statui possit pretium, nisi qua servi; quoad hominem liberum non aliter fieri potest computatio, quam si nec in mercibus attendendum foret pretium, sed solum pondus. Hoc facto omnia expedita sunt, nec ulla accusanda est scrupulositas, nisi quis Arithmeticæ fuerit imperitus, ut nec in ratione pretiorum computationem facere possit.

§. 640.

An homines liberi in contributionem veniant propter jactum.

Naturaliter non repugnat, ut propter jactum in contributionem etiam veniant homines liberi, seu vectores. Etenim si navis levandæ gratia jactus fieri debet, vectores non minus in causa sunt, quam merces navi impositæ (§. 638.), & per se patet, jactu non minus periculum a vectoribus depelli, quam ab iis, qui merces in navi habent, consequenter damnum, quod jactu datur, commune est vectorum atque eorum qui merces in navi habent, cum nemo gratis facere teneatur ei, qui vicissim quid dare potest (§. 268. *part.* 4. *Juris naturæ*), adeoque nec gratis depellere ab altero periculum, hoc est perdendo rem suam servare alterum, si is damnum sui servandi causa datum resarcire possit. Quamobrem cum damnum jactu datum dividendum sit inter eos, a quibus periculum aversum, in ratione pretii rerum, quas unusquisque habuit in navi (§. 625.), vectorum autem pondus sit aliquid æstimabile ejusdemque valor æquipolleat pretio mercium, quæ in illorum locum habita ratione ponderis substitui potuissent (§. 639.); naturaliter non repugnat, ut etiam vectores pro ratione ponderis sui ad damnum jactu datum resarciendum quid conferant, consequenter & propter jactum in contributionem veniant.

Ostenditur etiam hoc modo. Quoniam vectores pondere suo navem onerant, perinde est in præsenti casu, in quo navis levanda, ac si merces tanti ponderis in navi haberent. Enimvero si merces in navi haberent, eædem in contributionem venirent propter jactum (§. 627.). Ergo etiam vectores ratione ponderis sui, quod æstimari perinde ac merces potest (§. 639.), in contribuonem venire debent.

Nemo non cognoscet, æquitati naturali minime adversari hanc contributionem, cum in rata vectorum computanda tantummodo spectetur pondus, quo navis levanda oneratur. Neque ullum est dubium, quin eandem agnovissent omnes, nisi dubium movisset, quod homines liberi æstimari non possint, quemadmodum servi. Quoniam vero ostendimus pondus hominis liberi in præsenti casu esse aliquid æstimabile, ut quoad pondus mercibus, quæ in navi sunt, comparari ac inde rata contributionis computari possit (§. 639.); dubium hoc nos minime moratur. Juris adeo mere positivi est, quod liber homo ab onere contribuendi excipiatur. Sed quæ hic adstruximus tantummodo valent de vectoribus, non vero de hominibus, qui navigandi causa in navi sunt. Horum enim nonnisi opera utuntur ceteri, adeoque damnum casuale, quod sine culpa ipsorum contingit, ad eos non pertinet.

§. 641.

De locario vectorum.

Quoniam vectores naturaliter in contributionem veniunt (§. 640.), pro locis autem, quæ conduxerunt, locarium solvunt, quemadmodum qui merces in navi habent naulum (§. 629.), & naulum totum in contributionem venit (§. 632.); *naturaliter* quoque *locarium, quod vectores solvunt pro locis conductis, in contributionem venit.*

Quodsi ad naulum etiam referas locarium, quod vectores solvunt, ut hoc cum ipso in contributionem veniat, ab hac autem excipiantur vectores; magister navis plus oneratur, quam æquum est, cum perinde sit vi eorum, quæ antea ostendimus, ac si pro toto naulo contribuere deberet, etsi ab onere contribuendi certæ quædam merces exciperentur. Quamobrem si ab eodem excipiantur vectores, locarium quoque, quod pro locis in navi conductis solvunt, excipiendum.

§. 642.

BIU Cujas

§. 642.

Quoniam veſtes, quas vectores corpori ſuo applicuerunt, & alia, quæ ordinario cultui atque amictui corporis ſerviunt, ad vectores pertinent, nec ab iis tanquam res diverſæ conſiderantur in caſu præſenti, ubi nonniſi ponderis habetur ratio, cum homines nudi non incedant, vectores autem in contributionem pro ratione ponderis ſui veniunt naturaliter (§. 640.); ideo *veſtes, quas vectores corpori ſuo applicuerunt & alia, quæ ordinario cultui atque amictui corporis ſerviunt, propter jactum ratione pretii in contributionem minime veniunt*, quemadmodum res ſervatæ aliæ (§. 625.). *An veſtes in contributionem veniant.*

Ex principiis naturalibus facile patet, cur veſtes & alia, quæ ordinario cultui atque amictui ſerviunt, in contributionem ob jactum minime veniant pretio ſuo ſeorſim taxatæ. Qui vero nolunt hominem liberum in contributionem venire, quod ejus nulla ſit æſtimatio; illi non eadem facilitate veſtes quoque, quas corpori applicuerunt, & alia, quæ ordinario cultui & amictui ſerviunt, ab onere contribuendi excipiunt, cum res hæ utique æſtimabiles ſint, licet homines ipſi non ſint æſtimabiles, ac propter jactum etiam ſervatæ.

§. 643.

Annuli, quos vectores in digitis gerunt, & res præſertim pretioſæ aliæ, quas penes ſe habent, ob jactum in contributionem veniunt. Res enim iſtæ, quocunque tandem nomine veniant, & cuicunque uſui inſerviant, minime referri poſſunt ad ipſam perſonam, quemadmodum veſtimenta corpori applicata, quibus nemo carere poteſt, ut ſub pondere eorum una comprehendantur; ſed potius rebus annumerandæ, quas quis in navi habet. Quamobrem cum in contributionem propter jactum veniant etiam res, quæ navim non multum onerant, veluti gemmæ ac nummi (§. 635.); quin etiam annuli, quos vectores in digitis gerunt, & res pretioſæ aliæ, quas penes ſe habent, ob jactum in contributionem venire debeant, dubitandum non eſt. *De rebus præſertim pretioſis vectorum.*

Non eſt, quod excipias, ſi naturaliter vectores ipſi in contributionem veniant (§. 640.), non opus eſſe, ut annuli & res præſertim pretioſæ aliæ, quas ſecum habent, a perſona ipſorum diſtinguantur. Etenim modus contribuendi quoad perſonam differt a modo contribuendi quoad res. Perſonæ enim contribuunt pro ratione ponderis (§. 639.); res autem in contributionem veniunt in ratione pretii (§. 625.). Magna adeo differentia inter utrumque contribuendi modum intercedit, ſive pretium ponderis perſonarum æſtimare velis ut rerum, pro quarum pondere ſolvitur naulum locario pro loco conducto præſtando æquale (§. 639.), ſive pondus referas ad pondus omnium rerum ſimul ſumtarum, quæ ſunt in navi (*not. cit.*).

§. 644.

Locarium, quod ſolvitur miniſtris navium, & modicum illud, in quo ſibi rem gerere ipſis conceditur in contributionem non venit. Miniſtri enim navium ſunt locatores operarum & damnum, quod propter jactum datur, caſuale eſt, quod per ſe patet. Quamobrem cum locator operarum non teneatur de caſu, quem nulla ipſius culpa antecedit (§. 1277. *part.* 4. *Jur. nat.*), nec miniſtri navium tenentur ob jactum mercium, conſequenter nil conferre debent ad reſarciendum damnum eodem datum, adeoque locarium, quod iiſdem ſolvitur, in contributionem non venit. *Quod erat unum.* *De locario miniſtrorum navis & eo, in quo rem ſibi gerunt.*

Quoniam modicum illud, in quo ſibi rem gerere miniſtris navium conceditur, pro parte locarii habetur, locarium vero in contributionem minime venit, *per demonſtrata*; nec modicum illud, in quo ſibi rem gerere conceditur miniſtris navium, in contributionem venit. *Quod erat alterum.*

Præſtant miniſtri operas ſuas, ſive jactus fieri debeat, ſive eodem non ſit opus, nec ipſis imputari poteſt periculum, cujus evitandi gratia jactum fieri neceſſe eſt; iniquum adeo foret eos ſine omni culpa ſua defraudari parte mercedis meritæ.

BIU Cujas

§. 645.

An cibaria consumendi causa navi imposita in contributionem veniant.

Cibaria, quæ quis in itinere consumendi causa navi imposuit, in contributionem ob jactum minime veniunt. In itinere enim maritimo necesse est ut cibaria, quibus quotidie indigent, qui in navi sunt, sint in navi, &, quando contingit in navigatione deficere cibaria, quod quisque habet in commune conferre debet (§. 611.). Atque adeo non modo omnium eorum, qui in navi sunt, verum etiam illorum, qui merces in navi habent, interest, ut sufficiens cibariorum copia in navi sit. Cibaria igitur, quæ consumendi in itinere causa navi imponuntur, minime referri debent inter ea, quæ ad locum quendam destinatum vehenda sunt, consequenter nec accenseri possunt iis rebus, quæ ut serventur, aliæ e navi ejiciuntur. Jactus adeo cum non fiat pro cibariis conservandis, etsi cibaria conservanda sint propter homines, qui in navi sunt; nec propter cibaria, quæ quis in itinere consumendi causa navi imposuit, ad resarciendum damnum, quod jactu datur, quicquam conferre tenetur, adeoque cibaria ista propter jactum in contributionem minime veniunt.

Cibaria, quæ in itinere consumendi causa navi imponuntur, distinguenda sunt a rebus comestibilibus, quæ ad destinatum locum deportandæ, ut ibidem instar mercium aliarum vendantur: has enim mercibus ceteris accensendas esse per se patet, cibaria vero, quæ in itinere consumuntur, non sunt res lucrativæ, quæ de loco in locum vehuntur, & necessitas imperat, ut navi imponantur, nisi omnibus, qui in navi sunt, sit pereundum, consequenter si navis ad locum destinatum deduci potest.

§. 646.

De electione rerum ejiciendarum.

Si jactus fieri debet, prius ejiciendæ res majoris ponderis & minoris pretii, nisi periculum in mora sit, ut illæ ejiciendæ sint, quæ proxime ad manum sunt: qui vero præter necessitatem res minoris ponderis & majoris pretii ejicit, cum posset ponderosiores ac viliores ejicere, partem damni, quam dedit, resarcire tenetur. Etenim jactus fit navis allevandæ causa. Quamobrem cum res ponderosiores ejiciendo navis magis allevetur, quam si leviores ejiciantur, consequenter minorem quantitatem mercium perdi necesse sit, ponderosioribus ejectis; utique prius ejiciendæ res majoris ponderis. Quoniam tamen jactus mercium fit naufragii evitandi, adeoque communis periculi declinandi causa, in periculo autem communi non licet perdere rem pretiosiorem ut servetur minus pretiosa, si pretiosior servari possit perdendo rem minoris pretii (§. 623.); non sufficit, ut tantummodo ratio habeatur ponderis, verum etiam pretium attendendum. Atque adeo patet, si jactus fieri debet, prius ejiciendas esse res majoris ponderis & minoris pretii. *Quod erat primum.*

Enimvero si periculum sit in mora, medium unicum allevandæ navis, adeoque evitandi naufragii est jactus mercium, quæ proxime ad manus sunt, quod per se patet. Quare cum navis allevanda sit, ut cum ipsa serventur merces, quot servari possunt, ac homines, qui sunt in navi (§. 493. 495. *part.* 2. & §. 350. 641. *part.* 1. *Jur. nat.*), & necessitas irresistibilis licitum efficiat actum, qui alias foret illicitus *per demonstrata n.* 1. quando est medium unicum satisfaciendi obligationi indispensabili (§. 573.); si periculum in mora sit, merces ejicere licet, quæ proxime ad manum sunt. *Quod erat secundum.*

Denique si quis præter necessitatem res minoris ponderis ac pretii majoris ejicit, cum ejicere posset ponderosiores ac viliores, is res pretiosiores perdit servandarum minus pretiosarum causa. Sed qui hoc facit, damnum resarcire tenetur (§. 624.). Quamobrem qui præter necessitatem res minoris ponderis ac pretii majoris ejicit, cum ejicere posset res majoris ponderis & pretii minoris, is eam damni partem, quam dedit, resarcire tenetur. *Quod erat tertium.*

Periculum commune sine damno averti minime potest: sed propter obligationem damni cum a se,

BIU Cujas

a se, tum ab aliis avertendi (§. 493. 495. *p. 2. Jur. nat.*), non licet majore damno depellere periculum, quod minori cum damno evitari poterat. Qui adeo majus damnum causatur, quam necessarium fuerat, is tenetur ad damnum resarciendum, in quantum majus dedit, quam necesse fuerat. Damnum nimirum, quod tunc datur, duplex est, alterum casuale, alterum culposum: casuale æstimatur ex pretio rerum ponderosiorum ac viliorum, quæ ejici potuissent ac debuissent; culposum vero ex excessu pretii rerum ejectarum supra pretium illarum, quæ ejici debuissent.

§. 647.

Si cista jacta fuerit, in qua mercator ait contentas fuisse res pretiosas, quas tamen ante jactum non indicavit; contenta in eadem ad communia bona referuntur. Quoniam enim pro diversitate mercium diversum solvitur naulum, a contractibus vero fraus omnis procul abesse debeat (§. 149. *part. 5. Jur. nat.*); qui merces navi imponit, indicare debet, quales sint, cumque pro vero habendum, quod indicavit (§. 427. *part. 3. Jur. nat.*), contenta in cista in eorum bonorum numerum referenda, qualia esse dixit mercator, cum eam locaret. Quodsi ergo in cista contenta fuerint res pretiosæ, quas ante jactum non indicavit; contenta omnia ad communia bona, qualia scilicet esse dixit, cum contraheret, referenda. *De rebus pretiosis ante jactum non indicatis.*

Sibi imputare debet damnum, quod incurrit injusta æstimatione cistæ ejectæ, qui defraudandi animo noluit indicare res pretiosas in eadem contentas, scilicet ut naulum ac vectigal minus solveret. Sane si cista ejus ejecta non fuisset; nonnisi pro pretio rerum communium contribuisset, fraudem sibi minime nocuam non confessurus. Contentus igitur etiam esse debet, quod pro pretio bonorum communium ipsi resarciatur damnum, si cista jacta fuerit. Non est, quod excipias, si probare possit post jactum, quales res pretiosæ in cista fuerint contentæ, æquum omnino esse ut in æstimanda cista earundem habeatur ratio. Quoniam enim prius ejiciendæ sunt res minime pretiosæ (§. 646.); ante jactum constare debet, quales res in cista contineantur, atque adeo mature, non demum post jactum indicandæ. Qui res pretiosas reticet, is eas pro talibus haberi vult, quales indicavit, aut quales vi contractus videri voluit.

§. 648.

Ab æstimatione rerum ejectarum detrahendæ sunt impensæ, veluti vectura, gabella &c. antequam contributio computari possit. Etenim res æstimari debent eo pretio, quo venduntur loco destinato (§. 634.). Pretium vero hoc continet etiam impensas, quas si facere non debuisset mercator, minoris vendere potuisset. Quoniam itaque contributio non fit pro eo, quod impensum est, sed pro eo, quod servatum; ab æstimatione rerum detrahendæ sunt impensæ, antequam contributio computari possit. *De eo, quod ab æstimatione rerum detrahendum.*

Nimirum mercatori servatur sors, quæ consistit in pretio, quod pro mercibus emtis solutum, & præterea lucrum, quod percipit, dum destinato loco venduntur, non autem intelligitur nisi deductis impensis. Obiter notamus, gabellarum nomine venire certam tributi & exactionis speciem. Ita in Gallia hoc nomine appellatur vectigal, quod pro vino & sale solvitur.

§. 649.

Vestimenta cistæ inclusa, vel quæ pro sarcina sunt, in contributionem veniunt. Etenim vestimenta cistæ inclusa, vel quæ pro sarcina sunt, non referuntur ad personam, veluti ea, quæ corpori applicata aut amictui ordinario inserviunt, sed rebus accensentur, quibus oneratur navis. Quamobrem cum res omnes, quæ in navi sunt, quocunque tandem nomine veniant, in contributionem veniant (§. 625.); in eam etiam venire debent vestimenta cistæ inclusa, vel quæ pro sarcina sunt. *De vestimentis cistæ inclusis.*

Pro vectura vestimentorum cistæ inclusorum, vel eorum, quæ pro sarcina sunt, perinde merces solvitur, ac pro rebus aliis, quibus navis oneratur, adeoque tum non spectantur tanquam vestimenta, sed tanquam res, quæ navi impositæ sunt. Quamobrem quoad contributionem inter

BIU Cujas

ter istiusmodi vestimenta & res quascunque alias navi impositas nulla est differentia. Attendendum vero est pretium, quo vendi possunt, non quo comparatæ fuerunt, cum spectandum sit in contributione, quod unicuique jactu servatum fuit.

§. 650.

Si plurium merces jactæ fuerint.

Si plurium merces fuerint jactæ, quod a reliquis, quorum res servatæ sunt, contribuitur, inter ipsos dividendum est in ratione mercium amissarum. Quod enim ii contribuunt, quorum res per jactum salvæ sunt, id debetur illis, quorum merces amissæ, ut damnum commune non patiantur nisi pro rata (§. 625.), consequenter spectari potest tanquam lucrum commune, quod adeo singuli pro rata participant (§. 135. *part. 3. Jur. nat.*). Inter ipsos itaque in ratione rerum amissarum dividendum.

Per regulam adeo societatis (§. 314. *Arithm.*) computatur, quid de eo, quod a reliquis confertur, unusquisque eorum accipere debeat, cujus res jactæ fuerunt. Ex. gr. Si quod a reliquis confertur sit 48, merces autem amissæ a duobus æstimantur ut 5. ad 3; 48. dividere tenemur in ratione 5. ad 3, adeoque priori ex contributione debentur 30, alteri 18.

§. 651.

De rebus propter jactum deterioratis.

Si propter jactum res quædam deteriorantur; damnum deteriorationis commune est omnium, qui res in navi habent & ejus, cujus est navis. Etenim quando res alicujus, quæ in navi remanserunt, deteriores fiunt, cum jactus de nave fit, veluti quod propter jacta nudatæ sunt; damnum ideo subsequitur, quia depellendi communis periculi causa jactus fieri debuit, consequenter perinde est ac si aliqua pars mercium, quæ pretio deteriorationis æstimantur, jactata, altera vero, quæ æstimantur pretio rerum præsenti, servata fuisset. Quoniam itaque damnum jactu datum commune est eorum omnium, qui res in navi habent, & ejus, cujus est navis (§. 625.); damnum quoque deteriorationis commune esse debet omnium, qui res in navi habent, & ejus, cujus est navis, si quis propter jactum res deteriores habere cœperit.

Sane unum idemque est, sive pars rerum, quas quis in navi habet, propter jactum amittatur, sive propter eandem res quædam ipsius deteriorentur: utrumque enim damnum jactu datur, adeoque eo fine subeundum, cujus gratia fit jactus, nimirum ut commune periculum avertatur. Quemadmodum itaque ei subvenitur, qui res suas perdidit; ita quoque subveniendum ei, qui propter jactum res deteriores habere cœpit. Æquitatem hanc agnovit *Callistratus* l. 4. de L. R. de jactu §. 2. in fine. Eodem igitur modo contribuendum ob rerum propter jactum deteriorationem, quam ob earundem amissionem.

§. 652.

De computanda contributione rebus nonnullis per jactum deterioratis.

Quoniam *si propter jactum res quædam deterioratæ*, damnum deteriorationis commune est omnium, qui res in navi habent & ejus, cujus est navis (§. 651.); perinde ac si res quædam e navi jactæ fuissent (§. 625.); *in computando eo, quod ab unoquoque contribuendum, pretium deteriorationis accensetur pretio rerum amissarum, & summa æstimatur damnum commune.*

Non igitur opus est subtiliori distinctione, quid plus sit, in damno, an in collatione, quam adhibendam esse *Papirius* respondit *Fronto*, probante *Callistrato* l. c. quemadmodum illa distinctione non habemus opus, si pars major rerum, quas quis in navi habuit, de ea jacta fuerit, minor autem in navi remanserit.

§. 653.

De æstimatione rerum deterioratarum.

Cum rebus quibusdam propter jactum deterioratis in computando eo, quod ab unoquoque contribuendum, pretium deteriorationis accenseatur pretio rerum amissarum, & summa æstimetur damnum commune (§. 652.), ut vero determinari possit, quantum unusquis-

BIU Cujas

unusquisque contribuere debeat propter jactum, æstimari debeant tam res amissæ, quam servatæ (§. 628.); *si propter jactum res quædam deterioratæ, eædem in computando eo, quod ab unoquoque contribuendum, æstimantur eodem pretio, quo integræ.* *rum in com. putanda contributione.*

Si cujus merces fuerint 100. & jactæ fuerint 130. in computatione contributionis jactæ & servatæ simul æstimantur 100. ut adeo pro 100. contribuat ad damnum commune resarciendum, qui 30. perdidit. Quodsi ergo merces integræ fuerint 100. & pretium deteriorationis pretio rerum jactarum accensendum sit 30, ut constet de damno communi dividundo (§. 652.); is, cujus res deterioratæ sunt, itidem conferre debet pro 100. cum in computatione nulla attendatur differentia inter res amissas & servatas quoad pretium earundem (§. 634.). Nihil in hisce difficultatis est, modo Arithmeticæ vulgaris non sis ignarus, ut constet, quomodo damnum commune inter socios pro rata sit dividendum per regulam vulgarem societatis. Neque hac ratione metuendum est, ut duplici damno oneretur is, cujus res deterioratæ sunt, nimirum & damno collationis, & quod res deteriores factæ sunt; sicuti nec duplici damno oneratur ille, cujus quædam merces de nave jactæ sunt, quædam in ea remanserunt, propterea quod in computando eo, quod ipsi contribuendum, totum rerum pretium tam amissarum, quam servatarum sumitur.

§. 654.

Si res jactæ recuperatæ, nec deteriores factæ fuerint, contributio cessat: si quædam saltem recuperatæ fuerint, collatio deminuitur pro pretio rerum præsenti, si quidem deteriores factæ. Quoniam res jactæ manent dominorum suorum (§. 427. *part.* 2. *Jur. nat.*); si recuperatæ fuerint, nec deteriores factæ, perinde est ac si jactæ non fuissent, consequenter cum earum jacturam non fecerit dominus (§. 487. *part.* 2. *Jur. nat.*), damnum cessat (§. 486. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum ad damnum jactu datum resarciendum fiat contributio (§. 627.); si res jactæ recuperatæ, nec deterioratæ fuerint, contributio cessat. *Quod erat primum.* *De recuperatione rerum jactarum.*

Quodsi res omnes non fuerint recuperatæ, sed saltem nonnullæ; perinde est, ac si res pauciores jactæ fuissent, consequenter cum damnum in rebus amissis consistat (§. 486. 487. *part.* 2. *Jur. nat.*), damnum commune inter omnes, quorum interest jactum factum fuisse, dividendum (§. 625.), minus evadit. Quoniam itaque ad damnum resarciendum fit contributio (§. 627.); si rerum jactarum quædam recuperentur, contributio deminuitur. *Quod erat secundum.*

Quodsi res, quæ recuperantur, fuerint deteriores factæ, damnum deteriorationis adhuc commune est (§. 651.). Quamobrem ut constet, quantum sit hoc damnum, res recuperatæ æstimandæ sunt, quanti nunc vendi possunt loco destinato (§. 634.), adeoque damnum jactu datum deminuitur pro pretio rerum recuperatarum præsenti, si deteriores factæ, consequenter cum parti damni unicuique ferendi respondeat, quod unusquisque conferre debet, etiam collatio pro pretio rerum recuperatarum præsenti deminuitur, si deteriores factæ. *Quod erat tertium.*

Damnum propter jactum æstimatur pretio rerum amissarum, quod per se patet. Quodsi ergo res omnes, quæ jactæ fuerant, recuperentur, nec deteriores factæ sunt, cum idem adhuc sit earum pretium, quod ante jactum fuerat, damnum nullum est. Quodsi deteriores factæ, cum præsens pretium minus sit, quam quod fuerat antea, damnum in decremento pretii consistit, quasi res tanti pretii jactæ fuissent. Unde porro intelligitur, quantum deminuatur damnum, si res quædam recuperatæ vel deteriores factæ fuerint, vel non. Contributio vero consistit in pretii parte, quam unusquisque conferre debet, ut damnum ei resarciatur, cujus res de navi sunt jactæ.

§. 655.

Quoniam contributio cessat, si res jactæ integræ recuperentur, aut exoneratur, si saltem nonnullæ, vel deteriores factæ recuperentur (§. 654.); contributio non fit, nisi sub tacita hac conditione, ut rebus recuperatis restituatur quod collatum fuit, vel quod plus collatum. Quamobrem *si contributione jam facta res jactæ recuperatæ, nec deteriores factæ fuerint, quod collatum est totum restituendum: si quædam recuperatæ fuerint, vel, quæ recuperantur, deteriores factæ, quod plus datum restituendum.* *Si contributio jam facta.*

Ni-

BIU Cujas

Nimirum quod recuperatur, ſpectatur tanquam lucrum commune, & eadem ratione dividitur inter omnes, qui contribuerunt, quo ante d viſum fuerat damnum commune. Aut, quod perinde eſt, damnum deminuitur eo, quod recuperatum eſt, & damnum minus ut ante dividitur inter eos, qui contribuerunt, ut ex collatione ejus, quod datum eſt, cum eo, quod debuiſſet; ſi contributio nunc demum fieri deberet, appareat, quidnam plus datum. Arithmeticæ vulgaris peritus facile dicta intelligit, cujus ſi quis imperitus fuerit, eum pudeat, quod non didicerit ea, ſine quibus juris quædam capita intelligi nequeunt.

§. 656.

De impenſis ob jactarum rerum recuperationem factis.

Si quis rerum, quæ de navi jactæ ſunt, recuperandarum gratia impenſas facere coactus fuerit; ad eas conferre debent omnes, quorum interfuit jactum fieri. Quoniam enim contributio vel prorſus ceſſat, vel ſaltem deminuitur, ſiquidem res jactæ recuperentur vel omnes, vel ſaltem nonnullæ (§. 654.), omnes autem contribuunt, quorum interfuit jactum fieri (§. 625.); omnium quoque intereſt, ut impenſæ fiant, ſine quibus res jactæ recuperari nequeunt. Impenſæ igitur iſtæ non minus communes eſſe debent, quam damnum, quod jactu datum fuerat (§. *cit.*). Quamobrem ad eas quoque conferre debent omnes, quorum interfuit jactum fieri.

Antequam res recuperarentur, damnum conſiſtebat in rebus amiſſis: aſt ubi factis impenſis recuperantur, idem non conſiſtit niſi in impenſis factis, conſequenter damnum majus in minus convertitur. Quemadmodum vero damnum majus commune erat, ita quoque minus commune eſſe debet. Sane ſi ad impenſas rerum recuperandarum gratia factas conſetre non deberent omnes, quorum interfuit jactum fieri; nec ob res recuperatas contributio deminui poſſet: quod tamen abſurdum (§. 654.). Impenſæ adeo eadem ratione dividuntur, quemadmodum damnum ob jactum datum antea fuerat diviſum.

§. 657.

De navi non obſtante jactu intereunte.

Si jactu facto navis tamen ſtatim interit, nulla fit contributio, etiam ſi quis in naufragio res quaſdam ſuas ſervaret. Jactus enim fit communis periculi avertendi gratia, ac ideo damnum jactu datum commune eſt, quia eodem commune periculum avertitur (§. 625.). Enimvero ſi navis ſtatim interit, jactu licet facto, periculum commune eodem averſum non eſt, adeoque perinde ac ſi jactus non fuiſſet. Ceſſante igitur ratione contributionis, nimirum quod perdendo res alienas ſuæ fuerint conſervatæ, ipſa quoque ceſſat contributio (§. 118. *Ontol.*). *Quod erat unum.*

Quodſi vero dum naufragium contingit, quidam res quaſdam ſuas ſervent, id non jactui tribuendum, ſed ipſorum operæ, qua eadem res eaſdem ſervare potuiſſent, etiamſi res nullæ de navi jactæ fuiſſent. Nulla igitur ratio eſt, cur ad reſarciendum damnum ejus, cujus res jactæ fuerunt & qui eaſdem amiſiſſet naufragio, etiamſi in navi remanſiſſent, aliquid contribuant, conſequenter omnis contributio adhuc ceſſat. *Quod erat alterum.*

Perinde eſt, quomodocunque res ſerventur, & num id fiat ſine impenſis, an vero impenſæ faciendæ ſint, veluti ſi ſubmerſæ per urinatores extrahantur.

§. 658.

De rebus jactis ſi naufragium jactu non evitetur.

Quoniam *ſi jactu facto eadem tamen tempeſtate navis interit*, nulla fit contributio, & res naufragas quiſque ſibi ſervat (§. 657.); *res* quoque *jactæ, quæ quomodocunque recuperantur, manant domini ſui, nec quiſquam alius, qui res in navi habuit, de iis quicquam participat.*

Eadem omnium, qui res navi impoſuerunt, eſſe debet conditio, & quando naufragium jactu vitari non poteſt, res e navi ejus levandæ cauſa ejectæ naufragio accenſetur. Quod igitur juris eſt circa res naufragas, id etiam eſſe debet circa res jactas in hoc caſu.

§. 659.

BIU Cujas

§. 659.

De navi jactu levata, sed postea intereunte.

Si navis jactu mercium in tempestate levata postea alio in loco, orta iterum tempestate, vel alio casu inevitabili perierit; illi, quorum res perierunt, a contributione liberantur, ast hi, qui aliquid quocunque modo servarunt, pro eo, quod servatum est, propter jactum adhuc conferre tenentur. Quoniam enim jactus mercium fit eo fine ut navis cum rebus, quæ in ea sunt, servetur, adeoque salva ad locum destinatum deduci possit; contributio quoque non fit nisi sub tacita hac conditione, si eodem obtineri posset, ut navis cum iis, quæ in eadem remanent, salva in locum destinatum perveniat. Hæc igitur conditio cum non existat, si navis postea alio in loco, orta iterum tempestate, vel alio casu inevitabili perierit, una cum iis, quæ in eadem sunt; illi, quorum res perierunt, adeoque salvæ in locum destinatum pervenire non potuerunt, propter jactum quoque nihil contribuere debent, tenentur tamen hi, qui aliquid quocunque modo servarunt pro eo, quod servatum est (§. 468. *part.* 3. *Jur. nat.*).

Totum iter marinum periculosum est, & tempestates ingruere possunt in quovis maris loco aliique accidere casus navigantibus funesti non uno saltem in loco. Qui igitur vult, navim vel merces suas in navi salvas esse, is non tantummodo vult, ut serventur eo in loco, ubi periculum in præsenti navi imminet, sed ut salvæ perveniant in locum destinatum. Quamobrem jactus quoque non tantummodo fit eo animo, ut præsens periculum depellatur; verum etiam sub spe fore, ut, ubi navis præsens periculum evaserit, postea salva in locum destinatum ventura sit. Non igitur absonum videri debet, quod contributio, quæ propter jactum, quo servatur navis, facienda, conditionata intelligatur, scilicet ut sit præstanda, siquidem navis cum iis, quæ in eadem sunt, salva in locum destinatum pervenerit. Jactus enim non prodest nisi iis, quorum res salvæ in locum destinatum perveniunt. Sane si jactus non fuisset factus, sed res jactæ in navi mansissent; navi laborante, dum casus alius funestus contingit, eidem periculo expositæ fuissent, cui nunc exponuntur res ceteræ, quæ tum in navi remanserunt adeoque his pereuntibus una periissent. Nulla igitur ratio est, cur ii, quorum res nunc pereunt, conferre debeant illi, cujus res per jactum amissæ. Propter jactum factum perinde est, ac si is, cujus res de navi jactæ sunt, tantum adhuc in navi haberet, quantum ipsi conferendum de iis, quæ per jactum servata sunt, ut adeo massa bonorum, quæ in navi habet, constituatur quasi ex partibus rerum servatarum. His adeo rebus pereuntibus perit quoque ipsi massa bonorum in periculo priori, cujus avertendi gratia jactum fieri necesse fuerat, ipsi quasi servatorum, quod vero ipsi conferendum fuerat de rebus, quæ secundum periculum evaserunt, adhuc subsistit, consequenter nulla ratio est, cur non sit adhuc conferendum. Enimvero si impensas facere debuit, qui res quasdam servavit, veluti si mercedem solverit urinatoribus, ut merces submersas extraherent, a pretio mercium hæ impensæ utique subducendæ, sicuti & pretium deteriorationis, quando deteriores factæ sunt: neque enim servatum dici potest, nisi quod adhuc in lucro est. Quodsi hoc modo singula perpendas, nihil superesse puto, quod possit esse obscurum. Equidem si nobis prolixioribus esse liceret, ac jam propositum esset exasciatam juris marini theoriam condere singula accuratius demonstrari poterant: quoniam vero de jactu navis levandæ gratia faciendo non agimus, nisi quatenus ad hanc telam pertexendam nos invitavit jus necessitatis ex primæva communione residuum, ideo sufficit aperire fontes unde deducenda sunt, quæ ad casus huc spectantes definiendum usui esse possunt. Non licet excipere, quod res naufragæ v. gr. ab urinatoribus extractæ non fuerint servatæ per jactum, sed per urinatores: etsi enim jactus non sit causa proxima, cur servatæ fuerint, causa tamen remota est, sine qua proximæ non fuerat locus, quatenus nimirum propter jactum navis delata in eum locum, ubi res submersæ extrahi potuerunt.

§. 660.

De recuperatione rerum jactarum, si postea alio casu navis intereat.

Quoniam *si navis jactu levata orta iterum tempestate vel alio casu funesto postea interit*, illi, quorum merces periere, nihil ei conferunt, qui per jactum suas amiserat (§. 659.); *si contingat merces quasdam jactas recuperari, dominus earumdem nihil conferre tenetur iis, quorum res postea naufragio perierunt.*

Horum enim res, cum naufragio perierint, nihil ad hoc conferunt, quod res jactæ fuerint servatæ, consequenter nulla ratio est, cur damnum ipsorum ei, cujus res jactæ sunt, commune esse debeat, adeoque nec quicquam hic ad damnum istud resarciendum conferre tenetur.

BIU Cujas

Aſt ſi hujus res quædam de navi dejectæ recuperatæ fuerint, id prodeſt ei, cujus res naufragæ recuperatæ ſunt, cum, quod hic illi conferre debet (§. 659.), jam ſit minus (§. 654.).

§. 661.

De rebus navis levandæ cauſa in ſcapham trajectis.

Si navis levandæ cauſa merces quædam in ſcapham fuerint trajectæ, veluti ut portum intrare poſſit, & ſcapha ſubmergatur, navi ſalva; illi, qui merces in navi habent, contribuere tenentur ad damnum reſarciendum. Sed ſi ſcapha ſalva navis intereat, hi, quorum merces in ſcapha ſalvæ ſunt, illis nihil conferre tenentur, quorum merces cum navi interierunt. Etenim ſi navis levandæ cauſa merces quædam in ſcapham trajiciantur, hoc fit naufragii evitandi cauſa, conſequenter ſi ſcapha ſubmergitur, perinde eſt ac ſi res navis levandæ cauſa de navi jactæ fuiſſent in mare. Enimvero ſi naufragii evitandi cauſa jactus fiat, damnum commune eſt, ac omnes, quorum res in navi ſalvæ ſunt, ad id reſarciendum contribuere tenentur (§. 625.). Ergo etiam commune erit damnum & ad id reſarciendum contribuere tenentur omnes, quorum res in navi ſalvæ ſunt, ſi navis levandæ, adeoque naufragii evitandi cauſa merces quædam in ſcapham fuerint trajectæ, ſcapha vero ſubmerſa fuerit. *Quod erat unum.*

Quod ſi ſcapha ſalva intereat navis, perinde eſt ac ſi navis jactu levata eadem tamen tempeſtate intereat, is vero, cujus res jactæ ſunt, eas recuperet. Enimvero quando hoc contingit res recuperatæ manent domini ſui, nec quicquam de iis conferre tenetur ad reſarciendum damnum reliquorum (§. 658.). Quamobrem ſi ſcapha, in quam navis levandæ cauſa res trajectæ, ſalva navis intereat; hi quoque, quorum res in ſcapha ſalvæ ſunt, nihil iis conferre tenentur, quorum res cum navi perierunt. *Quod erat alterum.*

Ratio contributionis in caſu priore manifeſta eſt. Niſi enim res trajectæ fuiſſent in ſcapham, ſed in nave manſiſſent, non periiſſent, ſed ſalvæ fuiſſent. Quoniam tamen ut merces in navi manentes ſervari poſſint, quædam in ſcapham trajiciendæ fuerunt; ideo earundem interitu ſervatæ ſunt ceteræ. Aſt hæc ratio ceſſat in caſu poſteriori, in quo merces in ſcapham trajectæ minime ſervatæ fuerunt ea de cauſa, quod quæ in navi manſerunt, periere. Ratio nimirum contributionis, cum qua jam nobis negotium eſt, hæc eſt, quod damno unius promoveatur commodum reliquorum, ſeu damnum ab iis avertatur. Ad hanc qui animum advertit, facile in quovis caſu perſpiciet, utrum locum habeat contributio, nec ne.

§. 662.

Differentia actus.

Jactus temerarius dicitur, ſi quis culpa ſua in mare quid projecerit, veluti ſi calicem alterius per negligentiam in profundum labi patiatur. *Laſcivus* vocatur, ſi quis dolo rem alterius in mare projecerit, veluti ſi nummos alteri excuſſerit, ut in mare cadant, aut animo perdendi res, quæ ſunt alterius, in mare projicit. *Meticuloſus* appellatur, ſi quis in mari non adſuetus a periculo naufragii ſibi metuit, ubi metuendum non eſt, ac propterea navis levandæ cauſa jactum facit. *Jactus* denique *non pure neceſſarius* vocatur, quando periculum navi revera quidem imminet, ſed caſum fortuitum culpa præceſſit, aut periculo cauſam dedit, ut jactum fieri neceſſe ſit. Unde patet *jactum neceſſarium* eum dicendum, qui fieri debet, quando periculum navi revera imminet, cui nulla culpa cauſam dedit, aut quod culpa nulla præceſſit.

Caſus, in quibus fit jactus, probe diſtinguendi ſunt, ut appareat, quando neceſſarius ſit exiſtimandus, conſequenter contributioni locus ſit, ne ad damnum reſarciendum contributione communi cogantur, qui nihil contribuere debent.

§. 663.

Quando ob jactum ceſſet contributio.

Ob jactum temerarium, laſcivum, meticuloſum & non pure neceſſarium contributio non fit; ſed damnum eodem datum reſarcire ſolus tenetur, qui in cauſa fuit, cur factus fuerit.

BIU Cujas

rit jactus, aut fieri debuerit. Quod si enim jactus fuerit temerarius, lascivus, meticulosus, vel non pure necessarius, damnum, quod eodem datum, vel dolo, vel culpa datum (§. 662.). Quamobrem cum damnum dolo vel culpa datum sit resarciendum ab eo, cujus dolo vel culpa datum (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*) is solus damnum resarcire tenetur, qui in causa fuit, cur jactus factus, aut fieri debuerit, consequenter ob jactum temerarium, lascivum, meticulosum & non pure necessarium contributio non fit.

Exempla, quæ modo dedimus de singulis jactus speciebus, propositionem præsentem satis illustrant. Ex jactu temerario & lascivo nullum percipere commodum eos, qui res in nave habent, nec per eandem servari alias perituras, per se patet, ut adeo superfluum videatur hunc jactum contributioni subtrahere. Si jactus meticulosus fuerit, cum is ab imperitia proficiscatur; dubium saltem videri poterat, num imperitia projicienti imputari possit. Quodsi navicularius is fuerit, cum in navigando se artificem profiteatur, imperitia ejus culpæ accensetur (§. 1273. *part.* 4. *Jur. nat.*): sin alius fuerit, utique ipsi imputandum, quod proprio motu fecerit, quæ non sine consilio & suffragio aliorum se peritiorum, quos in nave adesse noverat, facere debebat. Ceterum ne lis moveri possit, utrum jactus fuerit meticulosus, an necessarius; lege positiva cautum est, ne jactus fiat nisi explorata prius voluntate mercatorum & institorum, si qui in nave adsint, aut si præsentes consentire nolint in jactum, reliquorum navalium sociorum, qui majore istiusmodi rerum experientia instructi sunt. Culpa nautæ casum, quo naufragii periculum imminet navi, non uno modo præcedere potest, veluti si nulla tempestate coactus, sed sola imperitia sua navim ad scopulos deducit, si sola avaritia ductus, vel absque ulla prægnante causa loca devia sectatur, si debito tempore navim e portu non solvit, vel si solvit media tempestate. *WVernerus* in diss. de contrib. propter jact. th. 35. culpam nautæ ad tres fontes reducit, nimirum si non facit, quod diligens facere solet; si contra pactionem, & si fuit in mora. Sed talia discutere non est hujus loci, ubi saltem exempli causa quædam in medium proferuntur. Nulla concipi potest actio humana, circa quam non uno modo culpa committi possit. Culparum igitur species in quolibet actionum genere committendas qui detegere voluerit, ei loco notionum directricium esse possunt, quæ de actionis rectitudine in genere & de culpæ generibus dicta sunt in parte prima Philosophiæ practicæ universalis, actionis vero illius, circa quam quot modis culpa committi possit disquiritur, notionem habere debet, quantum fieri potest, adæquatam, veluti in præsenti totius artis navigandi in mari. Latissimus hic aperitur campus, in quo utiliter versari possunt, qui Philosophiam practicam novis veritatibus ditare voluerint.

§. 664.

Si magister navim plus æquo oneravit, ac propterea jactum fieri necesse fuit; ipse damnum solus resarcire tenetur, nec ulla a reliquis, qui merces in navi habent, fieri debet contributio. Etenim si navis levanda naufragii evitandi causa, quia magister eam plus æquo oneravit; cum is scire debeat, quantum navi onus imponi possit, culpa magistri jactus fit (§. 717. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), consequenter jactus non pure necessarius est, etsi evitandi naufragii causa fiat (§. 662.). Quoniam itaque ob jactum non pure necessarium nulla fit contributio, sed damnum datum solus resarcire tenetur, qui in causa fuit, cur jactus fieri debuerit (§. 663.); magister quoque navis, qui eam plus æquo oneravit, damnum jactu datum solus resarcire tenetur, nec ulla a reliquis, qui merces in navi habent, fieri debet contributio.

De navi plus æquo onerata.

Num navis plus æquo fuerit onerata non modo inde intelligitur, si metuendum sit, ne nimio pondere submergatur navis, ubi alias istiusmodi periculum metuendum non est; verum etiam colligitur ex pondere rerum in navi residuarum jactu facto, quando tempestas naufragium minabatur. Aest in hæc inquirere non est hujus loci.

§. 665.

Si communis periculi avertendi gratia armamenta navis, malus, anchoræ, rudentes dejiciuntur, vel cæduntur; damnum commune est domini navis ac omnium, qui res in nave habent, dividendum adeo inter eos eodem modo, quo damnum jactu datum dividitur. Ostenditur eodem prorsus modo, quo supra demonstravimus, damnum jactu da-

De armamentis navis dejectis, vel cæsis.

BIU Cujas

tum commune esse atque dividendum in ratione pretii rerum, quas unusquisque in nave habuit, ac ipsius navis (§. 625.).

Nimirum perinde ac in jactu hic res propriæ unicuique servantur perditis alienis. Atque adeo huc applicari debent, quæ in genere de rebus perdendo alienas servatis demonstrata sunt (§. 621.), quemadmodum ea ad casum jactus applicavimus. Ceterum hic non tantummodo intelligitur periculum naufragii, quemadmodum in casu jactus; verum etiam aliud quodcunque, quod navi ac omnibus, quæ in ea sunt, tam personis, quam rebus una imminet, veluti si nauta navim a periculo ab hoste vel piratis imminente liberaturus anchoram detruncare cogitur, cum eidem ex profundo extrahendæ mora nulla supersit.

§. 666.

De casu in nave vel mercibus contingente.

Si casus quidam in nave vel rebus eidem impositis contingit, vel naufragium factum fuerit, quod evitari non poterat; damnum est solius domini: si quis ex naufragio quocunque modo quid servat, id sibi servat. Quodsi enim casus quidam in nave, vel rebus eidem impositis contingat, cum magister navis locet operam suam iis, qui res suas navi imposuerunt, scilicet ut eas in locum destinatum vehat (§. 1194. *part.* 4. *Jur. nat.*); in casu priori perinde est, ac si locator operarum instrumentum operas præstando frangit, vel perdit, in posteriore autem, ac si damnum in materia conductoris operarum contingit casu, quæ ad faciendum ex materia ista opus conductæ sunt. Enimvero si locator operarum fregerit vel perdiderit instrumentum, operas promissas præstando, damnum ipsius est (§. 1267. *part.* 4. *Jur. nat.*), si vero opera alterius conducatur ad faciendum opus ex materia tua, damnum in materia casu datum tuum est (§. 1266. *part.* 4. *Jur. nat.*). Ergo etiam si casus quidam in nave vel rebus eidem impositis contingit; damnum est solius domini, nimirum si casus contingat in nave, domini navis, si in rebus eidem impositis, domini istarum rerum. *Quod erat primum.*

Quodsi naufragium factum fuerit, quod evitari non poterat, casus tam in nave, quam in rebus eidem impositis contingit. Quamobrem cum in casu priori damnum sit domini navis, in posteriori vero domini rerum naufragarum; si naufragium factum fuerit, quod evitari non poterat, damnum, quod in nave datur, est domini navis solius, quod vero datur in rebus eidem impositis domini rerum. *Quod erat secundum.*

Cum res naufragæ maneant dominorum suorum (§. 428. *part.* 2. *Jur. nat.*), quemadmodum si naufragio, quod evitari non poterat, amittantur, damnum solius domini est, *per demonstrata n.* 2.

Si casus in nave contingat, quod tum perinde sit ac si locator operarum instrumentum aliquod perdit, vel frangit operas præstando; nemo facile in dubium revocaverit. Enimvero erunt forsitan nonnulli, quibus dubium videtur, num perinde haberi possit, ac si casus contingat in materia, ex qua locator operarum opus conficere debet, quando casus contingit in rebus navi impositis. Velim igitur cogitent, in utroque casu amitti vel deteriorari rem conductoris, circa quam operas promissas præstare debet locator. Sive igitur casu quodam mere fortuito amittantur, sive deteriorentur res conductoris, id sine ullo facto locatoris contingit, sive ex iis opus quoddam tanquam ex materia conficere debeat, sive eas in locum quendam destinatum vehere. Quodsi vero quispiam res naufragas quocunque modo servet, cum non serventur interitu ceterarum, quæ una in nave fuerunt, contributionis ratio cessat, quæ propter jactum fieri debet.

§. 667.

De nave a piratis redemta & rebus aliquorum ex ea allatis.

Si navis mercibus quibusdam datis tota redimatur a piratis, vel hoste; damnum commune omnium contributione resarciendum, quemadmodum propter jactum. Quodsi vero quis res suas saltem redemit, ceteris nihil conferre tenetur. Et, si piratæ uni, vel alteri aliquid abstulerint, damnum ejus solius est, cujus sunt res. Etenim si navis tota mercibus quibusdam datis redimatur a piratis vel hoste, perinde omnino est, ac si communis periculi causa perderentur res alienæ, aut, si mavis, evitandi naufragii causa merces quædam de nave dejicerentur. Enimvero si communis periculi depellendi causa res

alienæ

alienæ perduntur, damnum commune est (§. 621.), &, si evitandi naufragii causa jactus fit, damnum commune est domini navis & eorum, qui merces in nave habent (§. 625.), communi contributione resarciendum (§. 627.). Quamobrem si navis mercibus quibusdam datis tota redimatur a piratis vel hoste, damnum quoque omnium contributione resarciendum, quemadmodum propter jactum. *Quod erat primum.*

Si nave a piratis vel hoste capta unus saltem vel alter res suas redemit, cum tunc perinde sit ac si res suas, quas amiserat, recuperasset certis impensis factis, nulla sane ratio est cur ceteris, qui res suas non redemerunt, aliquid conferre debeat. Nihil adeo conferre debet (§. 70. *Ontol.*). *Quod erat secundum.*

Denique si piratæ uni, vel alteri aliquid abstulerint, tum casus in rebus navi impositis contingit, nullo quippe facto eorum, qui in nave sunt. Quodsi vero casus in rebus navi impositis contingit, damnum est solius domini (§. 666.). Ergo etiam damnum solius domini esse debet, si piratæ res, quas in navi habebat, abstulerint. *Quod erat tertium.*

Nimirum quando mercibus quibusdam datis redimitur tota navis, eædem pro omnibus dantur, qui merces in nave habent, & ipso domino navis: ast quando quis merces suas tantummodo redemit, nec ipse quidpiam dat pro aliis, nec ceteri, qui merces suas non redimunt, pro ipso quidpiam dederunt. In casu adeo priori manifesta est ratio contributionis, in posteriori nullam adesse apparet.

§. 668.

Quoniam perinde est, sive pro redimenda, tota navi dentur merces quædam, quæ in navi sunt, sive certa pecuniæ summa, quando vero navis tota mercibus quibusdam datis redimitur a piratis, vel hoste, damnum commune omnium contributione resarciendum, quemadmodum fit propter jactum (§. 667.); *Si navis a piratis, vel ab hoste tota redimatur certa pecuniæ summa, cum domino navis omnes, qui res quasdam in nave habent, contribuere tenentur*, consequenter *si nauta pro promissa pecuniæ summa, qua navis tota redemta, interim captus manet, omnium contributione liberandus.* *De navepecunia redemta.*

Eadem etiam hic est ratio, quæ fuit in contributione propter jactum, nimirum ut omnes contribuant ad hoc, per quod res eorum servatæ sunt, & in hoc solutio pecuniæ, qua redimitur navis, convenit cum jactu, quo eadem levatur: utrumque enim est medium avertendi periculum res omnes amittendi.

§. 669.

Si nauta præter necessitatem sectetur loca devia aut non tuta; damnum, quod contingit, ipse solus resarcire tenetur. Etenim si nauta præter necessitatem sectetur loca devia aut non tuta, ac damnum ideo datur; damnum hoc datur culpa ipsius. Quamobrem cum damnum culpa datum is resarcire teneatur, qui dedit (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*); nauta quoque solus damnum resarcire tenetur, si præter necessitatem sectetur loca devia, aut non tuta, ac damnum ideo detur. *De nauta loca devia vel minus tuta sectante.*

Per se patet, notorium esse debere, quod loca sint minus tuta, cum ignorantia invincibilis nautæ imputari non possit (§. 550. *part.* 1. *Phil pract. univ.*).

§. 670.

Si vitio navis merces deteriorentur, damnum magister navis resarcire tenetur. Magister enim navis curare debet, ne vitio navis merces deteriores fieri possint, consequentur, si non fecerit, negligentem se præbet (§. 750. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum negligentia culpa sit (§. 758. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); si vitio navis merces quædam madefiant ac deteriorentur, damnum culpa magistri datur. Quoniam *De mercibus vitio navis deterioratis.*

ita-

BIU Cujas

itaque damnum quod quis culpa sua dat, resarcire tenetur (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*); magister quoque navis damnum resarcire tenetur, si vitio navis merces deteriorentur.

Huc pertinet, si navis non bene stipata fuerit, aut non integra præstita. Quandocunque nimirum damnum datur culpa, id resarciendum est ab eo, cujus est culpa, nec propterea conferre debent alii, qui merces in navi habent. Non igitur opus est, ut plures casus afferamus, in quibus ob damnum vel in navi, vel in mercibus contingens cessat contributio.

§. 671.

Avaria quid sit. Contributio, quæ datur ob jactum mercium, vel ad resarciendum damnum, quod quis in itinere maritimo aliter navis & omnium causa, qui res in nave habent, sustinuit, vocatur vocabulo barbaro *Avaria*. Dividi vulgo solet in grandem & communem. *Avaria grandis* vocatur, quando etiam navis in contributionem venit: *communis* autem, quando tantummodo contribuunt, qui merces seu res in nave habent. Grandis etiam *grossa* appellatur.

Avaria sine omni dubio portum significat. Solet quemadmodum in nomine Latino *h* a nonnullis ex Nostris omitti, detrahendo scilicet aspirationem, quasi vocabulum Germanicum formandum esset e Latino, cum tamen vice versa Latinum formatum sit a Germanico. Grossa autem dicitur avaria a magnitudine contributionis. Ad avariam communem, referri solet, notante *Mullero* ad *Struvium* Exercit. 20. §. 16. *not.* d: 1. pecunia, quæ piscatoribus & aliis personis locorum gnaris a magistro navis datur, ut navem salvam cum mercibus in tuto constituant, nisi excedat sex marcas flandricas, cum alias pertineat ad avariam grossam: 2. quod datur ab eodem, dum prætervehuntur arces sive in fluminibus, sive in portubus: 3. quod solvitur pro navibus ex flumine & portu educendis. Sed nostrum jam non est ea discutere, quæ sunt juris positivi. Terminos tamen explicari hic consultum duximus, ut facilius appareat, quænam ex antea demonstratis ad avariam sint referenda, ne de hoc juris capite nihil prorsus dixisse videamur. Naturaliter ad avariam communem referenda facile agnoscuntur, quod scilicet ea non tam navis cum rebus, quæ eidem impositæ sunt, servandæ causa data sint, quam ut merces in locum destinatum salvæ perveniant. Sequentem adeo addere lubet propositionem.

§. 672.

Quando navis non veniat in contributionem. *Quæ non tam navis, quam mercium saltem gratia quacunque de causa impenduntur, ad ea tantummodo conferre debent, qui res navi imposuerunt, non vero dominus navis quicquam conferre tenetur.* Quoniam enim qui res suas navi imponunt, cum magistro navis conveniunt, ut eas pro mercede promissa in locum destinatum deferat; magister quoque navis non obligatur nisi ad navem huic usui aptam præstandum & ad præstandum operas ad vehendum navem necessarias (§. 428. *part.* 3. *Jur. nat.*): Quodsi ergo necesse fuerit, ut quacunque de causa mercium saltem gratia quædam fuerint impendenda; ad ea nihil conferre tenetur magister, vel dominus navis. Cum vero interfit omnium eorum, qui merces aut res quasdam in nave habent, impensas istas fuisse factas; ad id, quod omnium causa datum est, conferre quoque omnes debent.

Hinc facile deducitur, utrum navis in contributionem venire debeat, nec ne, in casu quodam dato, consequenter ea discernuntur, quæ ad avariam grossam & quæ ad communem pertinent. Ita pecunia, quæ datur personis locorum gnaris a magistro navis, ut navem salvam cum mercibus in tuto constituant, naturaliter ad avariam grossam referenda: jus naturæ enim non distinguit inter majus & minus, sed in magno & parvo idem jus est, nisi aliunde differentia veniat. Juris adeo mere positivi est, ut pecunia ista non referatur ad avariam grossam, nisi quando sex marcas flandricas excedit.

§. 673.

De impensis solius navis causa factis. *Quæ in navem reficiendam, armandam & ministris necessariis instruendam impenduntur; ad ea nil conferre tenentur, qui merces in nave habent.* Quoniam enim magister navis vel solam operam locat ad res in locum destinatum nave vehendas, vel ipsam etiam

etiam navem; in casu posteriori ipse suo sumtu navem præstare debet huic usui aptam, ad quem conducitur (§. 1230. *part. 4. Jur. nat.*), in priori autem navis armata & ministris necessariis instructa spectatur tanquam instrumentum, sine quo operæ promissæ præstari nequeunt, consequenter necesse est, ut in eodem quoque navem aptam præstet ad res in locum destinatum vehendas. Quodsi ergo navis reficienda, armanda aut ministris necessariis instruenda, quicquid est hujus negotii, id ad magistrum navis solum pertinet, consequenter nec ad ea, quæ eo fine impendenda, qui res in nave habent, quicquam conferre tenentur.

Idem omnino etiam observandum & observari solet, quando res curru vel plaustro vehuntur, ubi quæ in equos & currum impendit auriga, ad ea nihil conferunt, qui res currui imposuerunt, & damnum, quod in equis ac curru contingit, solius aurigæ est. Conveniunt sane vectura marina & terrestris in eo, quod res pro certa mercede salvæ deferri debeant in certum locum: mirum igitur non est, quod utrobique æquale jus sit, nisi quatenus in mari quædam accidunt, quæ in terra locum non habent, nec ad commune quoddam genus reduci possunt.

§. 674.

De eo, qui in conflictu cum piratis, vel ministerio navis vulneratur aut occiditur.

Si navis defendendæ causa in conflictu cum piratis, aut in ministerio navis quis vulneratus fuerit, impensæ in curationem factæ cum plena mercede ab omnibus pro rata restituendæ. Idem tenendum de impensis in sepulturam, si occisus fuerit. Quando enim navis contra piratas defenditur, id fit communis periculi avertendi causa, ne scilicet navis cum iis, quæ in eadem sunt, capiatur, consequenter dominus navis navem, qui res in nave habent, res suas amittant. Quamobrem si quis vulneratus fuerit navis defendendæ causa, damnum hoc spectatur tanquam medium, quo commune periculum depelli necesse fuit, adeoque perinde ac damnum ex jactu emergens censeri debet, quod in curationem impenditur. Quoniam itaque ad damnum jactu datum pro rata contribuere tenentur, qui res in nave habent & dominus ipse navis (§. 627.), ad impensas quoque in curationem factas conferre debent, quotquot res in nave habent ac dominus navis pro rata. *Quod erat primum.*

Enimvero quoniam vulneratus operas præstare nequit, quia navis cum rebus eidem impositis defendendæ causa periculum subiit, si mercede ob operas, quas præstare non potuit, antequam vulnus curatum fuerat, carere deberet, damnum hoc pati deberet omnium eorum causa, qui res in nave habent, ac ipsius domini navis causa, perinde ac si is solus damnum pati deberet, cujus res communis periculi avertendi causa de nave dejectæ sunt. Quamobrem cum ad damnum jactu datum omnes, qui res in nave habent, ac dominus navis contribuere debeant (§. *cit.*), ad eam quoque mercedem, qua propter vulnerationem carere deberet, conferendum tenentur omnes, quorum merces in nave sunt, ac ipse dominus navis, pro rata, ut plenam adeo mercedem accipiat, qui vulneratus fuerat. *Quod erat secundum.*

Quodsi quis in ministerio navis vulneretur, periculum hoc subire cum debuerit omnium causa, nimirum ut navis cum mercibus servetur, consequenter commune periculum avertatur; eodem, quo ante modo patet, ad impensas in curationem factas cum plena mercede omnes conferre debere, qui res in nave habent, atque ipsum dominum navis pro rata. *Quod erat tertium.*

Denique si quis in conflictu cum piratis, aut in ministerio navis occiditur; impensæ in sepulturam eadem de causa fiunt, qua fieri debent in curationem, si tantummodo vulneratus. Quamobrem cum impensæ in curationem factæ pro rata restituendæ sint ab omnibus, quorum res in nave sunt ac ipso domino navis *per demonstrata*; impensæ quoque in sepulturam eodem modo restituendæ, si quis occisus fuerit in conflictu cum piratis, vel in ministerio navis. *Quod erat quartum.*

BIU Cujas

§. 675.

De pecuniæ in navem credita.

Pecunia in ipsam navem credita, bodemeria contracta, ob jactum vel casum alium similem in contributionem non venit. Bodemeria enim contrahitur, si nauta in itinere pecuniæ indiget, ut sine ea navem ducere non possit (§. 425. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem pecunia, quæ mediante hoc contractu in ipsam navim creditur (§. 420. *part.* 5. *Jur. nat.*), ad impensas in iter faciendas pertinet, adeoque ad ea, quæ in itinere consumuntur, consequenter cibariis æquiparantur, quæ in itinere consumendi causa navi imponuntur. Quoniam itaque cibaria, quæ quis in itinere consumendi causa navi imposuit, in contributionem ob jactum minime veniunt (§. 645.); ideo nec pecunia in ipsam navem credita, bodemeria contracta, ob jactum, vel alium casum similem in contributionem venit.

Ostenditur etiam hoc modo. Qui pecuniam in navem credit, is nullas navi imponit merces, quæ eandem onerant, ut propterea jactus fieri debeat navis levandæ causa, nec pecunia ista, quando navis cum mercibus a piratis redimenda, redimitur: in utroque nimirum casu nulla ejus habetur ratio. Immo quæcunque fiunt navis ac rerum eidem impositarum conservandarum causa, eodem prorsus modo fieri debent, sive pecunia in navem fuerit credita, sive minus, & nihil horum fit ea intentione, ut debitum bodemeriale servetur, adeoque solvi possit. Quoniam itaque nec jactus fit, nec aliud damnum subitur, quod subeundum, ut navis una cum rebus eidem impositis salva in locum destinatum pervenire possit, in gratiam ejus, qui pecuniam in navem credidit; nulla quoque ratio est, cur creditor bodemerialis quicquam conferre debeat ad damnum istud refarciendum, adeoque pecunia in ipsam navem credita bodemeria contracta ob jactum vel casum alium similem in contributionem non venit.

Ex demonstratione priori liquet, ab ipsa pecunia in navem credita nullam desumi posse rationem, cur ea in contributionem venire debeat. Pecunia hæc referenda ad impensas, sine quibus navis in locum destinatum duci nequit. Impensæ autem in contributionem venire nequeunt, cum propter eas non fiat jactus, vel navis a piratis redimatur, aut simile quid fiat, nec adeo pro iis datum intelligatur, quod amissum est. Ex demonstratione autem posteriori patet, nec a creditore bodemeriali desumi posse rationem, cur quid ob jactum vel alium casum similem contribuere debeat, etsi ejus interfit, ut navis ac merces serventur (§. 421. *part.* 5. *Jur. nat.*). Etenim nonnisi per accidens fit, ut jactus prosit creditori bodemeriali, quemadmodum assecuratori. Observari etiam hoc solet, ut pecunia ista a contributione libera sit.

§. 676.

De nave in retia impulsa.

Si navis mea impulsa fuerit in retia alterius, ea discindere licet, si aliter explicari nequit. Etenim si navis mea in retia aliena impulsa aliter explicari nequit, nisi ea discindantur; medium unicum explicandæ navis, adeoque eam servandi est retium discissio. Quamobrem etsi nemini liceat rem alterius destruere (647. *part.* 2. *Jur. nat.*), consequenter nec retia discindere; cum tamen dominia introducta intelligantur cum tacita hac restrictione, ut, si in casu emergente contingat alicui penitus auferri usum rerum necessariarum, eidem jus aliquod competat in eas res, quæ sunt in dominio (§. 563.), necessitate licitum efficiente actum, qui alias illicitus foret (§. 573.), quin discindere liceat retia alterius, in quæ navis mea impulsa est, si aliter explicari nequeat, dubitandum non est.

Dominus rem suam nulla urgente naturali obligatione destruere, corrumpere vel deteriorem reddere non debet (§. 648. *part.* 2. *Jur. nat.*), consequenter si navis in retia fuerit impulsa, danda quoque opera est, ut explicetur. Actus igitur explicandæ navis jure naturali non modo licitus, sed etiam debitus. Quodsi adeo retia aliena discindere non liceret, tibi penitus ablatus esset usus rei, qua carere minime potes, siquidem obligationi tuæ satisfacere volueris. Quamobrem dubitandum non est, casum præsentem sub tacita ista restrictione, sub qua dominia introducta intelliguntur, contineri. At casu, quo navis mea in retia tua impulsa, commune nobis peri-

BIU Cujas

periculum imminet, aut cum navis destruenda sit, aut retia discindenda. Enimvero in communi periculo, quo res sua servari nequit, nisi perdendo alienam, res minoris pretii perdenda, ut servetur pretiosior (§. 623.). Quamobrem retia potius discindenda, ut explicetur navis, quam navis destruenda, ut salva sint retia. Damnum minus præferendum majori & ut hoc fiat, utriusque interest, quia ex antecedentibus abunde patet, damnum pro rata commune esse debere, siquidem casu impulsa fuerit navis: alias enim damnum dolo, vel culpa datum resarciendum (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 677.

De ædibus vicini destructis contra incendium defendendo suas.

Sæviente incendio, ædificium vicini destruere licet, ut serventur ædes propriæ; damnum vero communi contributione eorum sarciendum, ad quorum ædes probabiliter ignis pervenire potuerat. Quod enim incendio sæviente ædibus meis ac vicini imminet periculum, commune est. Enimvero si commune periculum aliter depelli nequit, quam rem alienam perdendo, eam perdere licet ac damnum commune est, eorum scilicet, a quibus periculum aversum (§. 621.). Quamobrem si incendio orto periculum imminet ædibus meis ac ulterioribus, ædes vicini destruere licet, ut serventur propriæ ac ulteriores, damnum vero commune est ejus, cujus ædes dirutæ, ac eorum, quorum ædes fuerunt servatæ. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam damnum commune est, adeoque pro rata inter dominum ædium destructarum & eos, quorum servatæ sunt ædes, dividendum pro rata (§. 134. *part. 3. Jur. nat.*); damnum communi contributione eorum sarciendum, ad quorum ædes probabiliter ignis pervenire potuerat. *Quod erat alterum.*

Casum hunc ad extensionem legis Rhodiæ referunt interpretes Juris Romani vi interpretationis extensivæ (§. 516.). Enimvero casus præsens non minus particularis est, quam alter de jactu navis levandæ causa facto, qui cum hoc sub eadem lege generali continetur (§. 621.). In Jure igitur naturæ ex hac deducenda ejus definitio, minime autem is reducendus ad casum de jactu. Hoc tamen non obstante quæ de contributione ob jactum facienda demonstrata sunt, ad casum quoque præsentem applicari possunt, nec ea denuo repeti opus est.

§. 678.

Quanam restrictio hic non admittenda.

Quoniam ædificium vicini incendio sæviente destruere licet, ut serventur ædes propriæ (§. 677.), consequenter si periculum imminet & vicini ædibus, ac propriis, per se autem patet, talia certo prævideri minime posse, atque adeo judicio probabili esse standum; ideo *contributio non cessat, etiamsi ignis de ædibus jam combustis non transeat usque ad eas, quæ destructæ sunt, consequenter ædes tam meæ, quam vicini salvæ mansissent sine destructione: neque etiam attendendum, utrum quodammodo certum fuerit, nec ne, ædes dirutas nihilominus perituras fuisse.*

Nimirum ædes vicini diruuntur, non quod certo constet, nisi iis dirutis ceteras remotiores servari minime posse; sed ob metum justum, ne ad eas quoque transeat feralis flamma. Sufficit adeo adesse rationes probabiles, ob quas metuendum, ne hoc fiat. Sed ne postea de contributione lis oriatur; ideo consultum est, ut in eadem consentiant, qui sibi metuunt, ne ædes suæ comburantur. Quoniam vero ædium paulo remotiorum non idem est periculum, quod propiorum; ideo in æstimando eo, quod unicuique contribuendum, habenda quoque ratio est magnitudinis periculi. Sed cum difficilis sit hujus determinatio, ideo quoque consultum est, ut unusquisque, qui in destructionem ædium alienarum conservandarum propriarum gratia consentit, declaret, quantum contribuere velit. In statu civili, quando lege positiva definiendum quid conveniat, ne ab æquitate nimis recedatur, ex magnitudine periculi, a posteriori probabiliter æstimanda, definienda est rata contributionis, nisi utilitas publica aliud suaserit: quod ideo monendum esse duximus, ne perperam ad statum civilem trahantur, quæ naturali conveniunt.

BIU Cujas

§. 679.

Quando contributio ceſſet.

Si ædibus vicini deſtructis tuæ nihilominus comburantur; contributio ceſſat. Etenim ſi ædibus vicini deſtructis nihilominus tuæ comburantur; illarum deſtructione tuæ non fuerunt ſervatæ, ac cum flamma tuas corripere non potuiſſet niſi deflagratis ædibus vicini, huic in gratiam tui nullum damnum datum intelligitur. Nulla igitur ratio eſt, cur ad reſarciendum damnum illius quicquam conferre debeas, aut conferre debeat alius, qui nullum commodum ex ædium deſtructione percepit. Quamobrem ſi ædibus vicini deſtructis tuæ nihilominus comburantur; contributio ceſſat.

Caſus hic aſſimilatur ei, quo jactu mercium facto navis nihilominus naufragio interit (§. 657.). Quamobrem huc etiam applicari poterat demonſtratio, quam de eo dedimus (§. *cit.*). Ratio nimirum contributionis quemadmodum in jactu hæc eſt, quod damno alterius commune periculum fuit depulſum. Hoc igitur ubi factum non fuerit, contributionis ratio nulla eſt, conſequenter ipſa contributio ceſſare debet.

§ 680.

De domo incendii extinguendi cauſa diruta.

Si domus incendii extinguendi cauſa diruatur, quæ jam ardet, vicini nihil conferre tenentur. Quodſi enim domus alicujus ardeat, incendium extinguendum eſt, quod per ſe patet. Quodſi ergo incendii extinguendi cauſa ſit diruenda, ne conflagrando flamma alatur; domus utique diruenda. Quamobrem cum domus in hoc caſu non diruatur, ut ab ea ac ædibus vicinorum periculum commune avertatur, ſed tantummodo caveatur, ne interitu ædium conflagrantium damnum faciant vicinæ; nulla quoque ratio eſt, cur vicini aliquid ad reſarciendum damnum ejus, cujus domus incendii extinguendi cauſa diruta, conferant, adeoque nihil conferre tenentur (§. 70. *Ontol.*).

Aliud omnino eſt periculum commune damno unius avertere, aliud cavere, ne damno unius damnum faciat alter. Quoniam quilibet obligatur ad damnum ab altero, quantum in ſe eſt, avertendum (§. 495. *p. 2. Jur. nat.*), quilibet etiam cavere debet, ne damno ſuo damnum faciat alter, quantum fieri poteſt. Atque adeo quilibet obligatur ad diruendum domum ſuam incendii exſtinguendi cauſa, ſiquidem metuendum ſit, ne alias flamma ædes vicinas corripiat. Sane id intenditur, quocunque modo incendium reſtinguatur, nec propterea illi, quorum interfuit incendium reſtingui, quicquam conferre tenentur ad reſarciendum damnum incendio datum. Omne autem damnum, quod incendii reſtinguendi cauſa patitur dominus, cujus domus ardet, incendio eidem datum intelligitur, nec ullo modo aliis imputari poteſt. Aſt ſi damnum uni datur, ut reliquorum damna avertantur; tunc demum contributionis locus eſt, cum nemo damno ſuo damnum alienum avertere teneatur.

§. 681.

Si incendium dolo vel culpa alicujus ortum.

Is, cujus dolo vel culpa incendium ortum, ei, cujus domus aliarum conſervandarum cauſa diruta, damnum datum reſarcire tenetur: quodſi facere poſſit, ceteri, quorum ædes conſervatæ ſunt, a contributione liberantur. Quoniam enim is, qui dolo vel culpa ſua damnum dat, id reſarcire tenetur (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*); is etiam, cujus dolo, vel culpa incendium oritur, damnum omne reſarcire tenetur, quod eodem datur aliis, conſequenter etiam ei, cujus domus diruenda fuit aliarum conſervandarum cauſa. *Quod erat primum.*

Quodſi ergo damnum reſarcire poſſit, cum tum nihil amplius ſuperſit, quod reſarciendum, nec ceteri, quorum ædes deſtructione domus unius ſervatæ ſunt, quicquam amplius conferre tenentur, conſequenter a contributione ſua liberantur. *Quod erat ſecundum.*

Enimvero cum & is, cujus dolo vel culpa incendium ortum fuit, *per demonſtrata n.* 1. & ceteri, quorum ædes ſervatæ ſunt, ad damnum datum reſarciendum teneantur

BIU Cujas

tur (§. 677.); per hoc, quod ipse solvendo non sit, non liberantur ceteri ab obligatione sua, cum damnum nondum sit reparatum, quemadmodum contingit, si ille resarcire damnum potuerit, *per demonstrata n.* 2. Quamobrem adhuc id conferre tenentur pro rata, ad quod conferendum erant obligati. *Quod erat tertium.*

Resarciendi damni ejusdem duplex obligatio est, una quæ nascitur ex delicto, vel quasi delicto, seu ex facto doloso, vel culposo alterius; altera vero, quæ nascitur ex communis periculi aversione damno unius facta, quod impensis communibus avertendum erat. Idem damnum nonnisi semel resarciri potest, quemadmodum debitum unum nonnisi semel solvi. Quodsi ergo is damnum resarcivit, cujus dolo vel culpa datum: contributio illorum cessat, quorum ædes destructione domus unius servatæ sunt. Enimvero cum duo hic sint ad idem damnum resarciendum obligati, ita ut unius solutione liberetur alter; ratio utique aliqua esse debet, cur unus principaliter, alter vero minus principaliter, adeoque nonnisi in subsidium obligetur. Tenendum itaque, obligationem, quæ ex facto doloso, vel culposo oritur, jam extare, antequam de communi periculo damno unius avertendo cogitari possit. Quando igitur casus emergit, quo hoc faciendum, obligatio damni communi contributione resarciendi non nascitur nisi sub hac conditione, si is, qui dolo, vel culpa sua dedit damnum, id resarcire non potuerit: neque enim propterea quod hoc facere non possit ædes suas conflagrare malunt ii, quorum ædibus periculum imminet, quam ejus avertendi causa quidpiam conferre. Immo cum omne damnum a se avertere obligentur (§. 493. *part.* 2. *Jur. nat.*); id malle debent.

§. 682.

Innoxia utilitas dicitur, quæ percipitur sine detrimento alterius, ac molestia. Et *Res innoxiæ utilitatis* appellatur, quæ accipienti utilis, dantem tamen non gravat, seu nullum ei detrimentum, aut molestiam affert.

Huc ex. grat. refertur non prohibere aquam profluentem, pati ab igne ignem capere, consilium fidele deliberanti dare, erranti viam rectam monstrare, non perdere rem necessariam, cujus copia nobis suppetit, sed eam aliis relinquere, quibus usui esse potest, manum lapso porrigere.

§. 683.

De rebus innoxiæ utilitatis alteri indulgendis.

Quod innoxiæ utilitatis est, alteri lubenter indulgere debemus. Quod enim innoxiæ utilitatis est, id accipienti quidem utile, dantem tamen non gravat, ita ut sine hujus detrimento ac molestia dare aut facere alter possit (§. 682.), consequenter eo, quod datur, dans non ipse opus habet, & ei qui facit, facere omnino vacat. Quoniam itaque homines sibi mutuo ad dandum, vel faciendum obligantur, prouti unusquisque indiget re vel opera alterius (§. 124. *part.* 3. *Jur. nat.*); & si qui dare debet, re ipse opus non habet (§. 127. *part.* 3. *Jur. nat.*), aut qui facere debet, eidem vacat (§. 129. *part.* 3. *Jur. nat.*); quod innoxiæ utilitatis est, alteri lubenter indulgere debemus.

Notandum hic est facere sub se comprehendere etiam permittere aut pati, ut alter quid faciat, veluti si permitto, aut patior, ut quis in area mea vestimentum madefactum soli exponat. Quando igitur non adsunt rationes singulares, ob quas accessus in aream meam mihi accidit molestus, vel alia in eadem peragenda minime obstant, quo minus locum concedere possim vestimento soli exponendo; indulgere alteri utique teneor, ut vestimentum madefactum in area mea soli exponat, nisi alibi eadem commoditate facere possit. Ita ignem capere de igne meo res innoxiæ utilitatis est, quando hoc fieri potest absque molestia mea: etsi enim nullum mihi detrimentum afferatur, si hoc fiat, molestum tamen non una de causa accidere potest, ut quis candelam accensurus ad me accedat. Hoc ubi fit, res, quæ in se spectata erat innoxiæ utilitatis, quatenus nullum mihi adfert detrimentum, talis esse desinit (§. 682.). Quamvis enim tibi denegare non debeam, quod sine detrimento meo fieri potest, *vi præsentis*; tu tamen vicissim obligaris ad molestiam mihi non creandam (§. 723. *part.* 1. *Jur. nat.*). Nisi ergo extrema adsit necessitas, ut scilicet tibi aliter consulere non possis, a me petere non debes, quod cum molestia mea conjunctum est (§. 573.). Non est quod nimiam scrupulositatem in rebus

BIU Cujas

exigui, vel nullius fere momenti accuſes; etenim jus naturæ non diſtinguit inter magnum & parvum, ſed eandem actionis rectitudinem ſemper ac ubivis requirit (§. 189. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quando demonſtratur, quid debitum, quid licitum, quid illicitum ſit; demonſtratio ſemper procedit abſque hac reſtrictione, niſi res fuerit exigui, aut nullius fere momenti, Ita ex. gr. quando demonſtratur, te alteri nullum tædium, ſeu molæſtiam nullam creare debere (§. 723. *part.* 1. *Jur. nat.*), haud quaquam ſumitur, eam non eſſe debere exigui momenti, aut contemnendæ fere parvitatis. Etiam alias monuimus (*not.* §. 580. *p.* 2. *Jur. nat.*), jus naturæ non attendere differentiam inter magnum & parvum, quando jubet damnum culpa datum reſarcire, ſed reparationem damni urgere, qualecunque & quantumcunque fuerit, & quacunque culpa fuerit datum, cujus nullos gradus admittit. Patebit quoque ſuo tempore in Philoſophia morali, quantum interſit, ut etiam in minimis nos honeſtos & erga alios juſtos ac æquos præbeamus, quemadmodum Deus in minimis maximus.

§. 684.

De jure in rem innoxiæ utilitatis.

Quoniam obligamur ad lubenter indulgendum alteri, quod innoxiæ utilitatis eſt (§. 683.), ex obligatione autem paſſiva naſcitur alteri jus ad id, ad quod alteri obligati ſumus (§. 23. *part* 1. *Jur. nat.*); *naturaliter homini competit jus ad res innoxiæ utilitatis, quæ ſunt alterius.*

Ita tibi jus competit ad capiendum ignem de igne meo, niſi acceſſus ad eundem mihi accidat moleſtus. Similiter jus tibi competit a me petendi, ut viam rectam erranti tibi monſtrem, aut ut tibi indigenti potius dem rem, qua uti ego non poſſum, aut cujus moleſta mihi eſt aſſervatio, quam ut eandem corrumpam.

§. 685.

Jus innoxiæ utilitatis quodnam ſit.

Jus, quod nobis competit ad res innoxiæ utilitatis, quæ ſunt alterius, dicitur *Jus innoxiæ utilitatis.*

Ita jus capiendi ignem de igne alterius jus innoxiæ utilitatis eſt. Tale etiam eſt jus ad eas res, quas alter non curat, quia ipſi nulli ſunt uſui, quæ autem tibi uſui ſunt, itemque jus ad aquam profluentem, qua ſitim reſtinguere vis.

§. 686.

Jus innoxiæ utilitatis quatenus in dominiorum introductione exceptum.

Dominia rerum introduci non potuerunt niſi ſalvo jure innoxiæ utilitatis. Etenim in communione primæva finito rei uſu, quæ uſu non conſumitur, alius quicunque eadem licite uti poteſt (§. 38. *part.* 2. *Jur. nat.*), nec rerum, quæ uſu conſumuntur, major copia tibi conceſſa, quam quanta indiges (§. 27. 28. *part.* 2. *Jur. nat.*), nec etiam impedire potes, ut alii volentes participent uſum rei, quem tu actu facis, ſi alii adhuc eundem una participare poſſunt (§. 40. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam igitur dominiorum introductione jus commune in proprium abiit (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*), ut adeo eodem excludantur ceteri omnes, in quorum dominio res non eſt (§. 120. *part.* 2. *Jur. nat.*), naturaliter vero homo homini obligetur ad alterius commoda perinde ac ſua promovenda, quantum in ſe eſt (§. 608. *part.* 1. *Jur. nat.*); dominia introduci non potuerunt niſi cum tacita hac exceptione, ut alteri indigenti conceſſus eſſe debeat uſus rei, quam ſine detrimento ac moleſtia domini facere poteſt, conſequenter innoxius rei uſus (§. 682.). Quamobrem cum hoc ſit jus innoxiæ utilitatis (§. 685.); dominia rerum introduci non potuerunt niſi ſalvo jure innoxiæ utilitatis.

Introductione dominiorum ſublata eſt communio primæva (§. 111. 118. *p.* 2. *Jur. nat.*): quod etſi non invita lege naturæ fieri potuerit (§. 109. *part.* 2. *Jur. nat.*), cum tamen jus connatum ſit (§. 10. *part.* 2. *Jur. nat.*), quale auferri homini non poteſt (§. 64. *part.* 1. *Jur. nat.*), dominia quoque introduci non potuerunt, niſi ut exercitium ejus reſtringeretur, quantum neceſſe erat, ut hoc jure, quod ultra uſum neceſſarium rerum non extenditur (§. 21. *p.* 2. *Jur. nat.*), tutius & abundantius frui poſſent, conſequenter jus iſtud non magis reſtringi potuit, quam neceſſe erat, ut

BIU Cujas

ut dominia subsisterent. Quoniam itaque innoxia utilitas ex re alterius percipitur sine domini detrimento ac molestia (§. 682.), res communes manere debuerunt, quatenus innoxiam præbent utilitatem. Atque adeo patet dominia rerum introduci non potuisse, nisi salvo jure innoxiæ utilitatis. Ceterum quod dixi, dominia rerum introducta fuisse, ut jure per naturam communi tutius & abundantius frueremur, facile intelliget, qui communionem primævam penitius inspexit. Etenim in communione primæva nemo excluditur a jure utendi re quacunque (§. 103. *part.* 2. *Jur. natur.*), ac nemo majorem vitæ commoditatem & jucunditatem prætendere potest altero (§. 100. *part.* 2. *Jur. nat.*). Vis autem omnis licita in eum, qui quocunque modo impedit usum rerum necessarium actualem, sine qua conatus irritus fieri nequit (§. 54. *part.* 2. *Jur. nat.*), ac ubi fecerit, eundem punire licet (§. 55. *part.* 2. *Jur. nat.*), jusque puniendi infinitum est (§. 56. *part.* 2. *Jur. nat.*). Licet etiam servare res in usum futurum, nisi alterius necessitati præsenti derogetur (§. 93. *part.* 2. *Jur. nat.*). Metuenda igitur sunt continua bella (§. 1102. *part.* 1. *Jur. nat.*): quibus cum amplius locus non sit, si res sint in dominio (§. 118. 120. *part.* 2. *Jur. nat.*), dominiis introductis jure naturæ communi tutius frui utique datur. Præterea in communione primæva res etiam industriales & artificiales sunt communes (§. 29. *p.* 2. *Jur. nat.*), nec ei, cujus curæ, industriæ ac labori debentur, plus juris in easdem competit, quam alii cuicunque (§. 32. *p.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum singuli operam dare debeant, ne desit sufficiens copia rerum necessariarum, utilium & voluptuariarum, sive industrialium, sive artificialium (§. 511. *p.* 1. *Jur. nat.*); facile intelligitur, perpaucos fore, communione primæva subsistente qui huic officio satisfaciant, ut adeo multiplicato genere humano valde metuendum sit, ne rerum sufficiens copia deficiat, quibus homines indigent. Unde porro intelligitur dominiis introductis jure, quod per naturam erat commune, abundantius frui posse homines. Non est, quod ea hic urgeamus, quæ quotidiana, immo momentanea experientia suggerit.

§. 687.

Jus innoxiæ utilitatis est jus ex communione primæva residuum. Dominia enim rerum introduci non potuerunt, nisi salvo jure innoxiæ utilitatis (§. 686.). Quamobrem cum jus innoxiæ utilitatis nobis competat ad res, quæ sunt alterius (§. 685.), ex communione autem primæva residuum est jus, quod, postquam dominia rerum introducta sunt, nobis adhuc competit in eas res, quæ sunt in aliorum dominio (§. 561.); jus innoxiæ utilitatis, quo nonnisi salvo dominia rerum introduci potuerunt, est jus ex communione primæva residuum. *Jus innoxiæ utilitatis undenam sit.*

Jus innoxiæ utilitatis non ante datur, quam ubi dominia fuerunt introducta. Cum enim in communione primæva unicuique competat jus ad rem quamlibet, prouti usus ejusdem ipsi necessarius est (§. 27. 29. *part.* 2. *Jur. nat.*); dominiis introductis, saltem jus est ad res innoxiæ utilitatis: quod tamen ne in nimium extendatur contra jus dominii, probe perpendenda sunt, quæ ad jus innoxiæ utilitatis requiruntur, nimirum ut utilitas percipiatur sine ullo detrimento domini, nec usus rei ipsius ullam eidem afferat molestiam (§. 682.). Quamprimum enim alterutrum horum obtinet, utilitas desinit esse innoxia, consequenter nec juri innoxiæ utilitatis locus est.

§. 688.

Si flumina dominio subjecta sunt, nemo prohiberi potest aqua profluente nimirum ne bibi hauririque possit. Etenim cum aqua in flumine continuo profluat ac tandem in mare decurrat, in ejus autem locum, quæ decurrit alia continuo succedat; nihil detrimenti patitur is, cujus est flumen, si quis alius aquam inde hauriat, vel ut bibat, vel ad usum quendam alium. Ac per se patet, nullam molestiam afferri ei, cujus est flumen, quod quis alius aquam inde hauriat. Quoniam itaque utilitas innoxia est, quæ ex re aliena percipitur sine detrimento ac molestia domini (§. 682.), adeoque & ipsa aqua in flumine profluens res innoxiæ utilitatis (§. *cit.*), naturaliter autem homini competit jus ad res innoxiæ utilitatis, quæ sunt alterius (§. 684.), quo nonnisi salvo dominia introduci potuerunt (§. 686.); si flumina dominio subjecta sunt, nemo prohiberi potest aqua profluente, nimirum ne bibi hauririque possit. *De jure in aquam profluentem flumine pro prio facto.*

Si utilitatis innoxiæ esse debet aqua profluens, non promiscue omnis usus ejus alii concessus intelligitur. Sane si ad hauriendum aquam per hortum alterius accedere velis; aditus non conceditur jure innoxiæ utilitatis, utpote domino molestus, adeoque per accidens quoque haustus

aquæ

BIU Cujas

aquæ tum minime conceſſus intelligitur. Et, ſi quis ex flumine aquas deducere velit, quo illud fiat deterius, id permiſſum non eſt. Innoxiæ vero utilitatis eſt uſus aquæ profluentis ad aquandum, aut lavandum, adeoque prohiberi nequit.

§. 689.

De tranſitu per terras & flumina propria concedendo.

Tranſitus ad cauſas juſtas per terras & flumina dominio ſubjecta denegari non poteſt, niſi metus juſtus damni adſit. Etenim per ſe patet, per flumen navigando nullum detrimentum adferri ei, cujus eſt flumen, atque idem fieri abſque ulla ipſius moleſtia, conſequenter tranſitum per flumen in ſe eſſe innoxiæ utilitatis (§. 682.). Quodſi tranſitus fiat ob juſtas cauſas, nihil a tranſeunte intenditur, quod officiis erga ſe vel alios repugnet, aut juri alicujus contrarietur: id enim per cauſas juſtas indigitamus. Quamobrem nec metuendum, ut concedendo tranſitum concurras ad actum illicitum. Quoniam itaque naturaliter nobis competit jus ad res innoxiæ utilitatis, quæ ſunt alterius (§. 684.), nec dominia introduci poterunt, niſi hoc jure ſalvo (§. 686.) tranſitus ad cauſas juſtas per flumina dominio ſubjecta denegari non poteſt. *Quod erat primum.*

Cum tranſitus per terras dominio ſubjectas ſine ullo detrimento fiat, nec ulla ii, quorum in dominio ſunt terræ moleſtia afficiuntur, ſi quis via ordinaria incedat, aut vehatur; idem quoque ad res innoxiæ utilitatis pertinet (§. 682.). Cumque fiat ad cauſas juſtas, *per hypoth.* denuo metuendum non eſt, ne ad actum illicitum concurras. Patet igitur ut ante, tranſitum quoque ad cauſas juſtas per terras dominio ſubjectas denegari nemini poſſe. *Quod erat ſecundum.*

Enimvero quam primum non vanus eſt metus fore, ut tranſitus iis, in quorum dominio ſunt terræ vel flumina, ſit damnoſus, adeoque multo magis, ſi certum periculum illis inde imminet; tranſitus ille non amplius erit ad res innoxiæ utilitatis referendus (§. 682.). Cumque damnum quodvis a nobis avertere debeamus (§. 493. *part. 2. Jur. nat.*); nobis quoque jus eſt denegandi tranſitum per terras noſtras ac flumina noſtra (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem aliis tranſitum ad juſtas cauſas per terras & flumina noſtra concedere non tenemur, niſi quando juſtus damni metus abeſt. *Quod erat tertium.*

In concedendo tranſitu per terras ac flumina noſtra duo conſideranda ſunt, nimirum primo an nobis ſit innocuus, deinde ſecundo an petatur ob cauſas juſtas. Prima inquiſitione opus eſt, ut conſtet, num tranſitus pertineat ad jus innoxiæ utilitatis: alterum vero requiritur, ne tibi imputari poſſit factum alterius, quod cum impedire poſſes, impedire noluiſti (§. 678. *p. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam lex naturæ nobis non dat jus niſi ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*): ideo nec dat jus ad tranſitum innocuum per alienas terras ac flumina niſi ob cauſas juſtas, conſequenter nec is concedendus niſi in eo caſu. *Grotius* de J. B. & P. lib. 2. cap. 2. §. 13. huc refert, ſi finibus ſuis expulſi quærunt terras vacuas, aut ſi qui commercium expetunt cum ſepoſita gente. Huc etiam refert, ſi qui quod ſuum eſt juſto bello petunt. Sed de eo rectius agetur, quando de Jure Gentium agemus: ubi etiam accuratius diſcutienda erunt, quæ ad tranſitum ob commercium cum ſepoſita gente concedendum ſpectant. Hic exempli loco eſſe poteſt, ſi quis valetudinis recuperandæ, vel ſtudiorum gratia, aut ſui perficiendi gratia, in alienas regiones ex curſurus tranſitu per terras noſtras vel flumina opus habet: tum enim alterum adjuvare debemus, ut finem intentum conſequatur, quantum in nobis eſt (§. 637. 643. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam inquirendum eſt in cauſas, cur tranſitus alteri per terras ac flumina noſtra concedendus; cauſæ iſtæ connexæ eſſe poſſunt cum officio tranſeunti debito veluti in exemplo, quod modo dedimus, atque tunc obligatio concedendi tranſitus efficitur major, & rationes particulares ab officio erga tranſeuntem naturali petendo demonſtratio efficitur evidentior, ac in conſenſu extorquendo fortior. Conſtat olim Sinenſes aditum in terras ſuas denegaſſe omnibus exteris, ita ut pœna capitali afficeretur, ſi quis intra fines eorum deprehenderetur. Videtur hoc repugnare juri, quod hactenus ſtabilivimus. Nec forſitan deerunt, qui mirabuntur, cur tam ſevere prohibuerint acceſſum peregrinorum ad terras ſuas Sinenſes, qui tamen præ aliis gentibus omnem moverunt lapidem, ut virtutum ſtudio ac prudentia civili eminerent. Enimvero ſi rationes penitius inſpiciamus, ob quas peregrinis aditum ad terras ſuas denegarunt; in propatulo eſt, cum non ſine ratione ipſis viſum fuiſſe damnoſum, ut adeo citra injuriam exteris promiſcue denegari potuerit. Sed cum illas penitius inſpicere non liceat, niſi jure civitatis cognito atque perſpecto, eas alio loco rectius diſcutere dabitur.

§. 690.

BIU Cujas

§. 690.

De transitu mercibus concedendo.

Quoniam homines ſibi mutuo ad dandum obligantur, prouti unuſquiſque indiget re alterius (§. 124. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque commercia colere cum gente ſepoſita illicitum non eſt (§. 170. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter hoc ad cauſas juſtas referri debet, tranſitus autem ad cauſas juſtas per terras & flumina dominio ſubjecta denegari non poteſt, niſi metus juſtus damni adſit (§. 689.); ideo etiam *mercibus concedendus eſt tranſitus per terras ac flumina dominio ſubjecta, niſi metus juſtus damni adſit.*

Quando metus juſtus damni adſit, ut mercibus tranſitus propterea denegari poſſit, ſuo loco diſſertius docebitur, quando de commerciis ex inſtituto agetur in Jure Gentium.

§. 691.

De eo, quod contribuendum ob tranſitum mercibus conceſſum.

Si in refectionem viarum, pontium & fluviorum ac ſecuritatem tranſeuntibus præſtandam impenſæ faciendæ; illi, quorum mercibus tranſitus conceditur, ad eas aliquid contribuere debent. Nemo alteri gratis præſtare tenetur, qui viciſſim quid præſtare poteſt (§. 268. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quamobrem illi, quorum ſunt terræ ac fluvii, in gratiam eorum, quorum mercibus conceditur tranſitus, vias, pontes ac fluvios reficere gratis non tenentur, ut commodus ac ſecurus ſit tranſitus, nec ea impendere, quæ præterea ad ſecuritatem tranſeuntibus præſtandam impendenda ſunt. Illi igitur, quorum mercibus tranſitus conceditur, ad impenſas aliquid contribuere debent, quæ in refectionem viarum, pontium & fluviorum ac ſecuritatem tranſeuntibus præſtandam faciendæ ſunt.

Ex hoc principio ſuo loco deducetur vectigal pro tranſitu mercium licite exigendum: quod quantum eſſe debeat, ne ſit injuſtum, ſuo loco diſquiremus.

§. 692.

De jure morandi in terris dominio ſubjectis.

In terris dominio ſubjectis ob juſtas cauſas aliquantiſper commorari licet. Etenim ſi quis juſtas ob cauſas commoretur in terris dominio ſubiectis, cum nil faciat, niſi quod citra violationem juris eorum, quorum ſunt terræ fieri poteſt, & quod officiis erga ſe ac alios convenit, quodque adeo pro virili promovere illi ipſi tenentur, quorum ſunt terræ (§. 608. *part.* 1. *Jur. nat.*); nullum detrimentum ac moleſtiam hiſce affert, conſequenter ibidem morari innoxiæ utilitatis eſt (§. 682.). Quamobrem cum dominia rerum introduci non potuerint niſi ſalvo jure innoxiæ utilitatis (§. 686.), unicuique naturaliter competente (§. 684. 685.); quin in terris dominio ſubjectis ob juſtas cauſas aliquantiſper commorari liceat, dubitandum non eſt.

Quamdiu commorari liceat, ex ipſa cauſa, ob quam ibidem moramur, definiendum: neque enim idem temporis ſpatium una quæque cauſa exigit. Ex. gr. Quilibet operam dare tenetur, ut ſanitati reſtituatur, quando morbo laborat (§. 413. *part.* 1. *Jur. nat.*), immo ſi quid ad hoc conferre poterimus, id alteri denegare non licet (§. 758. *part.* 1. *Jur. nat.*). Valetudinis ergo cauſa morari in terris dominio ſubjectis juſta cauſa eſt, nec id alteri denegari poteſt. Patet autem tamdiu morari licere, donec ſanitas fuerit reſtituta. Nec minus patet, nullum afferri iis, quorum ſunt terræ, detrimentum, nec moleſtiam ullam, quod quis in hiſce valetudinis ſuæ cauſa moretur. Huc etiam referri debet, quod liceat ſtudiorum cauſa in terris aliorum commorari, ac tamdiu id licere intelligitur, quamdiu quis ibidem ſtudiis literariis operam navare voluerit. Et prætervehentibus ac prætereuntibus cum jus tranſitus ſit concedendum, iiſdem quoque morari licet quietis commodæ capiendæ cauſa.

§. 693.

BIU Cujas

§. 693.

De perpetua habitatione sedibus expulsis concedenda.

Qui sedibus suis expulsi receptum quærunt, iis perpetua habitatio in terris dominio subjectis denegari nequit, nisi obstent rationes singulares. Nemo enim hominum habet jus sejpsum vita privandi (§. 353. *part.* 1. *Jur. nat.*): quamdiu vero vivit, necesse est alicubi terrarum habitet. Quoniam vero introductione dominiorum nemini penitus auferri potuit usus rerum necessarius (§. 562.); nec terræ ita dominio subjici potuerunt, ut alicui nullibi perpetua habitatio concedatur. Et cum dominia introducta intelligantur cum tacita hac restrictione, ut, si in casu emergente contingat alicui penitus auferri rerum necessarium usum, eidem jus aliquod competat in eas res, quæsunt in dominio (§. 563.); nec terræ dominio subjici potuerunt nisi cum tacita hac restrictione, ut, si quis sedibus suis expulsus receptum quærat, ei competat jus domicilium sibi constituendi in terris dominio subjectis. Quamobrem eidem habitatio perpetua in iisdem denegari non potest. *Quod erat unum.*

Enimvero si obstent rationes singulares, cur in his terris habitatio perpetua eidem concedi nequeat, tum perinde est ac si quis in communione primæva rem apprehendit ac apprehensa actu utitur. Quoniam itaque tamdiu nemo usum rei licite prætendit, qua alter actu utitur (§. 35. *part.* 2. *Jur. nat.*); ita etiam nemo qui receptum quærit prætendere potest, ut habitatio perpetua ipsi concedatur ibidem locorum, ubi cur concedi non possit rationes singulares prostant. *Quod erat alterum.*

Ponamus ex. gr. terram, in qua receptum quærunt sedibus suis expulsi, vix alere posse incolas suos. Cum tunc perinde sit, ac si quis re sua ipsemet indigeat, qua indiget alter, nemo vero alteri dare teneatur id, quo ipse indiget (§. 127. *part.* 3. *Jur. nat.*); habitationem quoque fixam concedere minime tenemur iis, qui receptum quærunt, quando terra vix alere potest incolas suos. Possunt aliæ quoque dari rationes, ob quas habitationem fixam denegare licet receptum quærentibus, etsi iisdem jus competat domicilium sibi constituendi in aliqua terra dominio non vacua. Quoniam vero eædem a jure civitatis pendent, de iis rectius dicetur alibi.

§. 694.

De jure res sibi in aliis terris comparandi.

In terris dominio aliorum subjectis permittendum est aliis, ut æquo pretio sibi comparent res, quibus illi, quorum sunt terræ, non indigent. Postquam enim dominia rerum introducta sunt, homines naturaliter obligantur ad res sibi invicem pro æquo pretio communicandas (§. 322. *part.* 4. *Jur. nat.*), & unicuique competit jus res sibi ab alio comparandi (§. 126. *part.* 3. *Jur. nat.*), siquidem ipse iisdem non æque indigeat (§. 128. *part.* 3. *Jur. nat.*). In communione primæva cuilibet excurrere licebat in regionem quamcunque, ut inde peteret res, quarum usus sibi ac ceteris, qui una cum ipso in eadem terra habitabant, necessarius videbatur (§. 94. 43. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam itaque communio primæva tanquam jus connatum (§. 10. *part.* 2. *Jur. nat.*), quod homini auferri nequit (§. 64. *part.* 1. *Jur. nat.*), introductione dominiorum restringi non potuit ultra id, quod necesse erat, ut dominia subsisterent; postquam hæc introducta sunt in terris dominio aliorum subjectis unicuique adhuc licet sibi æquo pretio comparare res, quibus incolæ non ipsimet indigent, adeoque ab his hoc permittendum (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*).

Nonnulli jus hoc ad res in alieno territorio æquo pretio sibi comparandas restringunt ad res saltem necessarias: *Grotius* l. 2. c. 2. §. 18. extendit usque ad utiles. Enimvero cum homini jus sit ad omnia, quæ ad vitæ commoditatem ac jucunditatem faciunt & ad actus omnes huc requisitos (§. 468. 482. *part.* 1. *Jur. nat.*); nulla sane ratio est, cur jus istud ad certas quasdam res restringere velimus, præsertim cum dominia non alio fine introduci potuerint, quam ut exercitium juris communis ab omni incommodo liberaretur, quod alias stante communione post se trahit, quemadmodum jam antea monuimus (*not.* §. 686.). Immo cum maxime innocua sit utilitas rem sibi æquo pretio comparare ab alio, qua ipse non indiget (§. 682.), dominia vero intro-

BIU Cujas

introduci non potuerint nisi salvo jure innoxiæ utilitatis (§. 686.); quin dominio subjectis terris salvum manserit jus res sibi ab incolis æquo pretio comparandi, quibus ipsimet non indigent, tanto minus dubitandum.

§. 695.

De libertate res sibi ab alio comparandi.

Introductis dominiis unicuique liberum est, utrum res quasdam ab alio sibi comparare velit, nec ne, pro æquo pretio. In communione primæva uniuscujusque judicio relinquendum, in quantum usus rerum sit ipsi necessarius, & quanta sit indigentia ipsius (§. 43. *part.* 2. *Jur. nat.*), ac quilibet rebus uti potest, quibus uti voluerit (§. 44. *p.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam itaque dominiis introductis jus istud rebus, quibus quis indigere sibi videtur, transiit in jus res ab alio, quibus ipse non indiget, sibi comparandi pro æquo pretio (§. 126. *part.* 2. & §. 322. *part.* 4. *Jur. nat.*); uniuscujusque etiam judicio relictum esse debet, utrum res quasdam, nec ne, pro æquo pretio sibi ab alio comparare velit, adeoque liberum ipsi est utrum velit, nec ne.

Pendet hoc a libertate naturali, vi cujus unicuique permittendum, ut in determinandis actionibus suis suum sequatur judicium, quamdiu contra jus alterius nil quicquam facit (§. 156. *p.* 2. *Jur. nat.*). Unde etiam libertas rem quandam pro æquo pretio sibi ab alio comparandi immediate inferri poterat,

§. 696.

De jure rem alteri vendendi.

Quoniam *introductis dominiis* unicuique liberum est, utrum res quasdam ab alio sibi comparare velit, nec ne, pro æquo pretio (§. 695.), rem autem ab alio emit, qui pro æquo pretio eandem sibi ab eo comparat (§. 937. *part.* 4. *Jur. nat.*); *unicuique liberum est, utrum rem quandam, quam alius eidem vendere vult, ab eo emere velit, nec ne*, consequenter *nemini competit jus ad rem alteri invito vendendam.*

Magna adeo differentia intercedit inter jus rem, qua indigemus, alter vero non indiget, ab eodem emendi, & inter jus rem, qua ipsimet non indigemus, alteri vendendi.

§. 697.

Idem porro expenditur

Quia unicuique liberum est, utrum rem, quam alter vendere vult, emere velit, nec ne, ac nemini competit jus ad rem alteri invito vendendam (§. 696.); *nemini* quoque *competit jus ad res suas in terris dominio subjectis, invitis iis, quorum sunt terræ, vendendas*, consequenter *si hi permittere nolint, ut vendantur, venditionem prohibere licet.*

Principiis hisce utemur suo loco, quando jus commerciorum demonstrabimus aliaque ad jus civitatis pertinentia.

§. 698.

Qualia sint jura morandi, habitandi & res sibi comparandi in terris dominio subjectis.

Jus morandi, domicilium sibi constituendi & res sibi pro æquo pretio comparandi in terris dominio subjectis est jus ex communione primæva residuum. Etenim in communione primæva homini morari ac habitare licet ubivis terrarum, ubi libuerit & quamdiu libuerit (§. 66. *part.* 2. *Jur. nat.*), &, si quis in iis locis, ad quæ accedit, videt ædes a nemine inhabitatas, aut quæ plures habitatores recipere possunt, in iis habitandi jus habet, quamdiu ipsi opus visumque fuerit (§. 67. *part.* 2. *Jur. nat.*). Licet etiam excurrere in regionem quamcunque, ut inde petantur res, quarum usus sibi necessarius (§. 94. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum hæc jura dominiorum introductione, consequenter terras dominio subjiciendo aboleri non potuerint, sed in terris etiam

BIU Cujas

dominio subjectis ob justam causam morari aliquantisper (§. 692.), immo perpetuo ibidem habitare (§. 693.), ac præterea æquo pretio res, quibus incolæ non indigent, sibi comparare liceat (§. 694.); jus morandi, domicilium sibi constituendi & res sibi pro æquo pretio comparandi in terris dominio subjectis tacite reservatum fuit, quando dominia fuerunt introducta. Quoniam vero jus, quod nobis adhuc competit in eas res, quæ sunt in aliorum dominio, postquam dominia introducta sunt, est jus ex communione primæva residuum (§. 561.); jus morandi, domicilium sibi constituendi & res sibi pro æquo pretio comparandi in terris dominio subjectis est jus ex communione primæva residuum.

Jura ex communione primæva residua non ejusdem prorsus sunt generis. Alia enim manserunt, qualia in communione primæva obtinuerunt, alia immutata fuerunt, in quantum opus fuit, ut cum dominiis subsistere possent. Quamobrem jura quoque ista non semper eodem prorsus modo exerceri possunt, quo in communione primæva ea exercere datur; sed ea potius cautione, ne dominium violetur (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*). Introductis quoque imperiis publicis, in istorum jurium exercitio semper attendendum, ne quid committatur, quod imperio adversatur (§. *cit.*), quippe quod eadem quoque alterat, quemadmodum suo loco videbimus.

§. 699.

Quid in transitu debeatur peregrinis.

In transitu per terras peregrini commodæ quietis causa in domum recipiendi, ubi commode recipi possunt, cibusque ac potus salubris una cum operis, quibus indigent, pro æquo pretio præstari debet. Etenim qui per terras dominio subjectas transeunt, iis competit jus aliquantisper ob causas justas ibidem morandi (§. 692.) & iis permittendum est, ut æquo pretio sibi comparent res, quibus indigent, illi autem, quorum sunt terræ, non ipsimet opus habent (§. 694.), consequenter etiam operas, quæ dominiis introductis rebus æquiparantur, quæ sunt in dominio (§. 437. *part.* 2. *Jur. nat.*), ut perinde ad operas sibi invicem communicandas obligentur homines, quemadmodum ad dominia rerum transferenda (§. 123. *p.* 3. *Jur. nat.*), prouti unusquisque indiget opera alterius (§. 124. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam igitur justa morandi causa est, si quis commodæ quietis ac cibi & potus capiendi causa alicubi moretur, ut vero morari possit in domum aliquam recipiendus, ubi commode recipi potest, quin in transitu per terras peregrini commodæ quietis causa in domum sint recipiendi, ubi commode recipi possunt, cibusque ac potus salubris una cum operis, quibus indigent, pro æquo pretio iisdem præstari debeat, dubitandum non est.

Hactenus jus ex communione primæva residuum tantummodo consideravimus, quatenus a dominio pendet, & nondum supposuimus homines in populos consociatos imperia civilia introduxisse. Dominium enim per se ab imperio independens est & ejus ruendi gratia imperium demum introductum. Quemadmodum itaque primo loco ostendimus, quale jus ad res ab aliis nobis præstandas natura competat, ac inde deduximus, cur dominia fuerint introducenda & in quantum per ea jus commune fuerit sublatum; ita quoque porro ostendendum erat, quale jus ex communione primæva salvum esse debuerit, cum dominia introducerentur, ne ea in præjudicium alicujus extenderentur, quam demonstraremus, quomodo idem jus introductione imperiorum fuerit alteratum, quidque adeo conveniat statui civili. Neque enim alias jura ista, qualia vigent in statu civili, intime perspicere datur.

CA-

BIU Cujas

CAPUT V.

De officiis erga mortuos & jure ſepulturæ.

§. 700.

Effectus mortis quoad jus & obligationes.

Quamprimum homo moritur, jus omne amittit, ac omnis ejus obligatio ceſſat. Quamprimum enim homo moritur, omni potentia agendi privatur, ſeu agere amplius nequit. Quamobrem cum jus ſit facultas ſeu potentia agendi moralis (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), obligatio neceſſitas agendi vel non agendi moralis (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter etiam ſub ſe comprehendit omiſſionem actionis phyſice poſſibilis, cum ad impoſſibile nulla detur obligatio (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); quamprimum homo moritur, jus nullum, nec obligatio ulla in ipſo tanquam ſubjecto ſubſiſtere poteſt, adeoque jus omne amittit, ac omnis ejus obligatio ceſſat.

Jura & obligationes hominum ſunt, quos ex corpore & anima conſtare novimus. Homo quando moritur, homo eſſe deſinit, ceſſante quippe commercio, quod inter animam & corpus intercedit. Ergo nec amplius ullum eſſe poteſt ipſius jus, nec ulla in ipſum cadit obligatio. Quamvis vero certum ſit, animam cum corpore non interire (§. 730. *Pſych. rat.*), conſequenter nec vim activam, quæ ipſi eſſentialis eſt (§. 66. *Pſych. rat.*). per mortem tolli; qualis tamen ſit ejus poſt mortem ſtatus, nemo hactenus ex principiis rationis demonſtrare potuit. Quando igitur in Jure naturæ demonſtratur, quænam homini competant jura, quænam in ipſum cadant obligationes, nonniſi de jure ac obligatione ſermo eſt, cui in hac vita locus eſt, in qua actiones corporis ſunt dependentes a voluntate animæ. Ceterum in propoſitione præſente omne jus intelligitur, ſive fuerit connatum, ſive acquiſitum, quemadmodum etiam omnis obligatio, ſive connata fuerit, ſive contracta. Abſit tamen ut hinc inferas, quod jus amiſſum extinguatur, ac ceſſante obligatione tollatur omne jus, quod ex ea alteri oritur. Contrarium enim patebit per ea, quæ mox demonſtrabuntur.

§. 701.

An dominium a morituro amittatur.

Quoniam homo amittit omne jus, quamprimum moritur (§. 700.), dominium vero, quod in rebus ſuis habet, jus eſt (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*); *quamprimum moritur, dominium* quoque *amittit, quod habuit in rebus*, conſequenter *res omnes, quæ erant ipſius, ejuſdem eſſe deſinunt, ac jus omne aliud in re, quod ipſi competebat.*

Quantæcunque igitur fuerint ipſius opes, cum viveret; poſt mortem tamen nihil amplius habet, atque adeo inter ditiſſimum ac pauperrimum poſt mortem nulla amplius differentia eſt. Et ſi vel maxime fingas, quod tamen fingi non poteſt, cum mortuus dominii capax non ſit, mortuum adhuc eſſe rerum ſuarum dominum, res tamen, quibus abundat, nullli prorſus eidem uſui erunt, nec ab ipſo poſſideri poſſunt, quemadmodum mox patebit.

§. 702.

De poſſeſſione per mortem amiſſa.

Quamprimum homo moritur, poſſeſſionem omnium rerum ſuarum amittit. Quando enim homo moritur, non amplius phyſice poſſibile eſt, ut dominium ſive per ſe, ſive per alium exerceat, cum de re non amplius diſponere poſſit ullo modo pro arbitrio ſuo, quemadmodum ad dominii exercitium requiritur (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*) Quoniam itaque deficit potentia proxima ad eos actus, in quibus dominii exercitium conſiſtit, ſine iſta autem poſſeſſio retineri non poteſt (§. 742. *part.* 2. *Jur. nat.*); quamprimum homo moritur, poſſeſſionem omnium rerum ſuarum amittit.

Etſi fingas, quod tamen nullo modo probari poteſt, hominem morientem habere animum rem ſibi adhuc habendi. eundemque poſt mortem retinere; cum tamen voluntatis ſuæ nullam

BIU Cujas

amplius significationem edere possit, adeoque nec exercere dominium per alium, solo autem animo possidendi possessio non retineatur (§. 742. *part. 2. Jur. nat.*); ideo necesse est possessionem amitti. Quod hic ex ipsa notione possessionis demonstratur, quemadmodum in Jure naturæ fieri debet (§. 2. *part. 1. Jur. nat.*); a posteriori abunde constat, ut nemo sit, qui de eo dubitet.

§. 703.

De jure possideudi per mortem amisso.

Quando homo moritur, jus possidendi omne amittit. Amittit enim dominium, quod habuit in rebus suis, quamprimum moritur (§. 701.), adeoque dominus esse desinit (§. 121. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum jus possidendi non competat nisi domino (§. 157. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque cum dominio amittatur; quando homo moritur, jus possidendi omne amittit.

Quod possessionem amittat mortuus, facile patet a posteriori: non vero æque obvium est, quod jus possidendi amittat, cum possessio possit amitti, salvo hoc jure. Quamobrem superfluum videri non debet, quod hic demonstretur, jus possidendi a mortuo amitti, ut pateat, possessionem bonorum defuncti non contrariari juri ipsius, etiamsi ipse non disposuerit de translatione dominii sui in eventum mortis: de qua dispositione suo loco agemus.

§. 704.

De jure ad rem & obligatione, ex qua istud oritur.

Quamprimum homo moritur, amittit omne jus ad rem, seu ad id, ad quod faciendum vel dandum alii ipsi obligantur, nec ipse amplius ad quid præstandum aliis obligatur. Etenim quamprimum homo moritur, jus omne amittit, qualecunque tandem illud fuerit (§. 700.). Quamobrem cum jus ad rem sit jus quoddam, utpote certa juris species (§. 781. *part. 3. Jur. nat.*); quamprimum homo moritur, jus quoque omne ad rem, seu ad id, ad quod dandum, vel faciendum alii ipsi obligantur, amittit. *Quod erat unum.*

Similiter quando quis moritur, omnis ejus cessat obligatio (§. 700.). Quoniam itaque obligatio ista, qua quis tenetur alteri ad aliquid præstandum, est obligatio; hæc quoque cessare debet, consequenter nec homo mortuus amplius ad quid præstandum aliis obligatur. *Quod erat alterum.*

Monuimus jam ante (*not.* §. 700.), ex eo, quod jus amittatur, inferri non posse, quod idem extinguatur, nec ex eo, quod obligatio cesset, inferri posse, quod omne jus ejus tollatur, quod ex ista obligatione alteri oritur. Quamobrem etsi mortuus amittat jus ad rem; non tamen propterea idem extinguitur, nec alii ab obligatione sua, ex qua oritur, liberantur. Et quamvis mortuus ad quid præstandum aliis non amplius obligetur, non tamen propterea extinguitur jus illorum, quibus quid præstandum. Nimirum jus, quod mortuus amittit, transire potest in alium, in quo tanquam in subjecto subsistat, & similiter obligatio, quam amittit mortuus, transire potest in aliud subjectum, cui inhæreat.

§. 705.

De translatione dominii & juris in alium in eventum mortis.

Homo non modo dominium rei suæ, verum etiam jus quodcunque aliud in re, vel ad rem in eventum mortis in alium transferre potest, nisi personale fuerit. Etenim dominus dominium & jus quodcunque aliud suum in alterum transferre potest, quomodo seu quacunque lege voluerit (§. 11. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem etiam non modo dominium rei suæ, verum etiam jus quodcunque aliud in re, vel ad rem in alium transferre potest. Enimvero si jus personale fuerit, morte ejus exspirat (§. 542. *part. 3. Jur. nat.*), consequenter in nullum alium in eventum mortis transferre potest, qui eodem fruitur. Homo itaque & dominium rei suæ, & jus quodcunque aliud in re, vel ad rem in eventum mortis in alium transferre potest, nisi personale fuerit.

Ita in eventum mortis in te transferre possum dominium prædii mei, ut scilicet tu ejus fias dominus, quamprimum me mori contingat. Aut ususfructus tibi ad dies vitæ in re mea concessus jus

BIU Cujas

jus personale est (§. 1420. *part.* 5. *Jur. nat.*). Eundem itaque in eventum mortis in alium transferre nequis. Similiter si tibi promisi quotannis centum, quamdiu in Academia vixeris, & determinate quidem in annos quinque, quos in academia consumere debes, tu vero anno primo moreris; jus ad centum thaleros quotannis percipiendum pro residuo tempore non potes transferre in alium, nec valet pactum, quo convenitur, ut, si ante elapsum quinquennium te mori contingat, pro tempore residuo alius percipiat, quod a te adhuc percipi poterat, nisi mortuus fuisses.

§. 706.

Jus transmissibile appellamus, quod amissum ab eo, qui habuit, in alium abit: *non transmissibile* vero, quod amissum ab eo, qui habuit, in alium abire nequit. Quando itaque contingit, eum mori, qui jus habuit, in casu priori *jus morte ejus in alium transmitti* dicitur: immo dicimus etiam, *morientem jus suum transmittere in alium.* *De Jure transmissibili & non transmissibili.*

Nimirum jus non modo amitti potest morte, sed aliis etiam de causis, veluti si quis jure suo se abdicat, quod transmissibile est in alium: quale quid obtinet in regnis successoriis usufructuariis, de quibus suo loco.

§. 707.

Quoniam jus personale ita ad personam, cui competit, restringitur, ut ab ea in aliam transferri nequeat (§. 539. *part.* 3: *Jur. nat.*), adeoque morte ejus extinguatur (§. 542. *part.* 3. *Jur. nat.*); id quoque ab eo, qui habet, in alium abire nequit, consequenter cum jus transmissibile non sit, quod amissum ab eo, qui habuit, in alium non abit (§. 706.), *jus personale morte sua in alium transmitti non potest.* *An jus personale sit transmissibile.*

Non est, quod dicas, posse usumfructum in aliquo prædio tibi ac liberis tuis constitui, ita ut, te mortuo, vel jus tuum abdicante, ususfructus competat liberis tuis, consequenter tum jus tuum, quod amittis, & quod personale fuerat (§. 1420. *p.* 5. *Jur. nat.*), abire in liberos tuos, consequenter in hos transmitti (§. 706.). Etenim tum jus personale constitutum est pro pluribus personis, qui certo ordine eodem frui debent, adeoque personale jus est respectu omnium istarum personarum, quæ suo ordine in id succedere debent, consequenter tum omnes istæ personæ simul sumtæ considerantur tanquam una persona moralis, & quod de jure personali demonstratur, de personis omnibus simul sumtis intelligendum. Non igitur jus personale ab una persona transmittitur in alteram, quatenus personale est; sed quia successive hoc jure frui debent personæ plures diversæ certo ordine sibi invicem succedentes. Transmittitur adeo ab una persona in aliam, quatenus pro pluribus personis sub certa transmissionis lege constitutum, consequenter tanquam jus successive pluribus personis debitum. Neque enim repugnat, ut jus personale, quod tibi confertur, quando a te amittitur, conferatur personæ alii. Et quemadmodum hoc fieri potest, quando a te fuit amissum, ita etiam quando tibi confertur, aliis quoque conferri potest sub ea conditione, quando a te amissum fuerit. Certum tamen semper manet, jus personale non egredi personam ejus, pro quo constitutum, consequenter cum ipsa persona extingui, ut adeo, si pro pluribus personis successive fuerit constitutum, id omnibus mortuis extinguatur, nec in aliam quandam transmittatur.

§. 708.

Si quis dominium rei suæ, aut jus quoddam aliud in re, vel ad rem in alium transtulit in eventum mortis; jus in alterum morte sua transmittit. Etenim quando quis moritur, cum dominium & jus quodcunque aliud in re (§. 701.), tum etiam jus quodcunque ad rem amittit (§. 704.). Quoniam tamen dominium, ut jus aliud in re, vel etiam ad rem in eventum mortis transtulit in alium *per hypoth.* cum hoc facere potuerit (§. 703.), quamprimum moritur, jus istud in eum abit, in quem in eventum mortis fuit translatum. Quamobrem cum jus morte in alium transmittatur, quando ab eo, qui habuit, amissum in alium abit (§. 706.); si quis dominium rei suæ, aut jus quoddam aliud in re, vel ad rem in alium transtulit in eventum mortis, jus in alterum morte sua transmittit. *De transmissione juris in eventum mortis translati in alium.*

Si

BIU Cujas

Si quis dominium transfert in eventum mortis, is non ante vult eum fieri dominum, nisi quando fuerit mortuus, atque adeo dominium in eum actu transire nequit, nisi post mortem illius. Quando transferens moritur, dominium amittit: quoniam vero in alterum transire debet, voluntate ejus, qui antea habuerat, in eundem statim abit. Atque hoc modo morte transferentis transmittitur in ipsum. Idem eodem modo intelligitur de jure quocunque alio in eventum mortis translato in alium. Quodsi alicui ususfructus constituatur in eventum mortis; tunc morte constituentis transmittitur jus, quod personale esse incipit in eo, in quem transmittitur, non vero personale fuerat in constituente. Absit itaque, ut existimes, in hoc casu jus personale in alium transmitti. Aliud enim est transmittere jus, quod personale erat, aliud vero quod personale evadit, dum transmittitur.

§. 709.

Quando jus a moriente amissum non extinguatur.

Quoniam dominium, aut jus aliud in re vel ad rem morte sua transmittit in alium, qui in eventum mortis id in ipsum transtulit (§. 708.), dum autem moritur, ipse jus istud amittit (§. 701. 704.); *si quis dominium, aut jus aliud in re, vel ad rem in eventum mortis in alium transfert, quando moritur, jus, quod amittit, non extinguitur.*

Patet adeo, ex eo, quod moriens amittat jus omne, minime inferri posse, quod idem extinguatur, cum transmissibile ubi fuerit, ab eo amissum adhuc supersit & in alio subjecto subsistat.

§. 710.

De transmissione juris alteri a morte tua debiti.

In genere jus post mortem ejus, cujus fuerat, alteri debitum morte ipsius in eum transmittitur, cui debetur. Ostenditur eodem prorsus modo, quo antea demonstravimus, jus in eum transmitti ab illo, qui jus in eventum mortis in eum transtulit.

Jura defuncti deberi etiam posse aliis, etiamsi in eventum mortis expressa illius voluntate non fuerint translata, patebit suo loco.

§. 711.

Quod a te amissum non extinguatur.

Quoniam in genere jus post mortem ejus, cujus fuerat, alteri debitum, morte ipsius in eum transmittitur, cui debetur (§. 710.), amittitur autem ab eo, qui moritur (§. 701. 704.); ideo patet, *jus a morte tua alteri debitum, dum a te amittitur, non extingui.*

Unde denuo patet, ex eo, quod moriens jus omne amittat, inferri minime posse, quod extinguatur.

§. 712.

De jure ad bona defuncti.

Si defunctus tibi obligatus erat ad aliquid dandum; tibi competit jus ad res ab ipso relictas, ut ex iis consequaris, quantum tibi debetur. Etenim si quis tibi obligetur ad aliquid dandum, ejus obligatio, quamprimum moritur, cessat (§. 701.), ut adeo ab eo consequi non possis, quod tibi debetur. Enimvero si quod tibi debetur a debitore tuo consequi non possis, loco ejus eidem auferre licet ex rebus ipsius rem aliam, quæ tantundem valet (§. 1112. *part. 3. Jur. nat.*), consequenter tibi competit jus ad res debitoris tui, ut inde consequaris, quantum tibi debetur. Quamobrem si defunctus tibi obligatus fuerat ad aliquid dandum, tibi competit jus ad res ab ipso relictas, ut ex iis consequaris, quantum tibi debetur.

Homo mortuus non est subjectum dominii & obligationum capax. Quemadmodum dominium exercere nequit; ita nec alteri quicquam præstare potest. Quamvis autem homo mortuus solvere

BIU Cujas

vere non possit, quod vivus debebat, nec opus sit, ut solutione liberetur, quem mors ab obligatione sua liberavit; non tamen propterea quod sibi debetur amittit creditor, cum expletione juris consequi possit, quod suum fieri debebat. Naturaliter habet jus ad eas res, quæ sunt in dominio debitoris creditor, quia expletio juris naturaliter licita (§. 1114. *part.* 5. *Jur. natur.*). Licet adeo mortuus dominium amiserit, non tamen ideo extinctum est jus creditoris ad res ab eo relictas, quod quidem rebus non inhæret, quemadmodum jus in re, iisdem tamen adhæret, quatenus earum pretium impendi potest in debitum extinguendum.

§. 713.

Quoniam si defunctus tibi obligatus erat ad aliquid dandum, tibi competit jus ad res ab ipso relictas, ut ex iis consequaris, quantum tibi debetur (§. 712.); *si defunctus res nullas relinquit, aut res ab eo relictæ tantundem non valent, quantum tibi debetur, debitum extinguitur, seu interit, sive totum, sive pars ejus, & tu jus tuum amittis, ad id scilicet, quod debebatur, vel tuum fieri debebat.* *Quando morte debitoris debitum tollatur.*

Obligationem debitoris mors perimit (§. 701.), sed salvo tuo jure ad res, quæ erant in dominio defuncti (§. 712.), utpote quibus id inseparabiliter adhæret, sine iis autem per se subsistere nequit. Quodsi adeo res nullæ adsint, quibus adhærere debebat, nec ipsum subsistere potest, consequenter nec mortui obligatio eodem salvo tolli potuit. Cum ea igitur una perimitur jus tuum ad res defuncti. Et quia id, quod tibi debetur, nonnisi beneficio hujus juris consequi potes; cum eodem una interit jus tuum ad id, quod debebatur, vel tuum fieri debebat. Quamdiu homo vivit, etsi solvendo non sit, obligatio tamen ejus non perimitur, nec jus tuum ad id, quod tibi debetur, amittis. Quodsi enim ad meliorem fortunam perveniat, ut, qui solvendo non erat, cum solvere deberet, nunc sit solvendo, adhuc solvere tenetur. Quando vero homo moritur, cum tunc obligatio ejus cesset (§. 701.), jus tuum ad id, quod debetur, sustineri nequit nisi jure ad res, quæ ipsius fuerant. Hæ igitur si nullæ sint, jus quoque tuum ad id, quod tuum fieri debebat, subsistere nequit. Quæ hactenus demonstravimus, ex ipsis rerum notionibus consequuntur, ut ad sustinendum jus creditoris mortuo debitore nulla fictione opus sit, nec assumenda sint principia precaria, per quæ idem evincatur. Principiis vero jam demonstratis utemur, quando de successione in bonis defuncti acturi sumus.

§. 714.

Si jus defuncti morte ipsius in alium transmittitur; qui fuerunt debitores defuncti, hujus nunc sunt debitores. Etenim si jus defuncti morte ipsius in alium transmittitur, jus, quod erat defuncto ad id, quod ipsi debebatur, nunc est ejus, in quem fuit transmissum. Quamobrem cum is exigere posset debitum a debitore suo; nunc idem facere potest is, in quem defuncti jus transmissum fuit. Quoniam itaque jus exigendi debitum nascitur ex obligatione præstandi (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*); debitor eidem ad præstandum, quod debet, consequenter ad solvendum obligatus est (§. 659. *part.* 5. *Jur. nat.*). Qui adeo erat debitor defuncti, nunc est debitor ejus, in quem defunctus morte sua jus suum transmisit (§. 96. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Debitor defuncti cujusnam fiat debitor a morte illius.*

Si omne jus, quod homo amittit, quando moritur, extingueretur, una cum eo periret obligatio debitoris, sine qua jus ad id, quod debetur, subsistere nequit, consequenter debitor morte creditoris liberaretur. Enimvero quoniam jus, quod habuerat defunctus qua creditor ad id, quod ipsi debebatur, non extinguitur, quando transmittitur vel in eum, in quem in eventum mortis fuerat translatum (§. 709.), vel in eum, cui alia quacunque de causa post mortem illius debetur (§. 711.); obligatio quoque debitoris defuncti morte creditoris tolli nequit, neque adeo debitor hujus morte liberari potest. Equidem ex iis, quæ hactenus demonstravimus, tantummodo sequitur, morte creditoris non liberari debitorem, quando jus ipsius transmittitur in alium; nondum tamen constat, an nullus prorsus detur casus, in quo morte creditoris liberetur debitor, quia nondum patet, utrum detur aliquis casus, nec ne, in quo jus defuncti in neminem transmittitur. Sed de eo demum dispiciendum erit, quando de successione in bonis defuncti acturi sumus.

§. 715.

BIU Cujas

§. 715.

Officium laudis mortuis debitum.

Laudem alteri, quam meretur, etiam post mortem tribuere debemus, ac operam dare, ut famam, quam meretur, consequatur, aut ut ea conservetur, quam consecutus est. Tantum enim laudis alteri tribuere debemus, quantum meretur (§. 648. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam facta ex virtutibus intellectualibus ac moralibus profecta laudem pariunt (§. 551. *part.* 1. *Jur. nat.*) ac laude dignum probant (§. 552. *part.* 1. *Jur. nat.*), ac in eorundem commemoratione laus consistat (§. 541. *part.* 1. *Jur. nat.*); post mortem quoque alteri laus adhuc tribui potest, cumque quæ quis vivus fecit morte non reddantur infecta, laudem quoque post mortem adhuc meretur, quam quis vivus merebatur. Quamobrem alteri quoque post mortem laudem tribuere debemus, quam meretur. *Quod erat unum.*

Similiter operam dare debemus, ut qui merentur famam consequantur (§. 650. *p.* 1. *Jur. nat.*). Cum fama consistat in communi hominum sermone de virtutibus intellectualibus & moralibus alterius (§. 553. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter de factis, per quæ nobis illæ innotescunt; fama supersse potest, homine licet mortuo, & mortuus adhuc consequi eam potest, quam vivus quidem meruerat, sed consecutus non fuerat. Quamobrem operam quoque dare debemus, ut famam, quam merentur, consequantur etiam mortui, aut, si eam vivi jam consecuti fuerunt, ut conservetur. *Quod erat alterum.*

Facta hominum infecta fieri nequeunt, adeoque semper verum manet, te hoc feciſſe, consequenter te instructum fuisse iis virtutibus intellectualibus ac moralibus, ex quibus facta ista profecta fuerunt. Quamdiu igitur eorum memoria conservatur, adhuc subsistere intelliguntur, ut, qui mortuus est, virtutibus istis conspicuus inter nos quasi adhuc vitam degat. Cessant officia cetera, quibus commoda alterius quomodocunque promovemus, quamprimum quis moritur, quod per se patet: at laudis officium etiam mortuo debetur. Illa nimirum mors efficit impossibilia, hoc minime. Sane si fieri posset, quod tamen fieri non posse manifestum est, ut illa quoque officia mortuo præstare possemus; obligatio præstandi minime cessaret, quin potius omnia officia, quæ vivo debemus, mortuis quoque deberemus. Quamobrem non est, quod miremur, nos mortuis eandem laudem ac eandem curam circa famam ipsorum debere, quam vivis debebamus, quamdiu scilicet factorum memoria supersest. Hac enim evanescente, officium quoque laudis efficitur impossibiles.

§. 716.

Quod bonum bono referri alicui possit in aliis.

Bonum bono referre possumus alteri etiam in iis, quos amat. Qui enim alterum amat, is eundem considerat tanquam seipsum (§. 659. *Psych. empir.*). Quodsi ergo bonum aliquod in hunc conferas, perinde est ac si idem in ipsum contulisses. Quamobrem cum bonum bono referatur, si quis tibi causa boni existit, cui tu causa boni extitisti, quia extitisti, seu, quod perinde est, si in te bonum aliquod conferat, quia tu in ipsum prior contulisti (§. 797. *part.* 1. *Jur. nat.*); bonum uuique bono referre possumus alteri etiam in iis, quos amat.

Convenit hoc non modo notioni amoris, vi cujus ex alterius felicitate voluptatem percipimus (§. 633. *Psych. empir.*) atque voluntatem alterius, consequenter quod ipsi bonum est (§. 558. *Psych. empir*), appetimus (§. 650. *Psych. empir.*); verum etiam notionibus communibus, cum nil frequentius sit, quam ut dicamus, nos beneficium alteri, quem amamus, præstitum eodem loco habituros, ac si nobis ipsis præstitum fuisset.

§. 717.

Idem porro expenditur.

Quoniam amicos amamus (§. 625. *part.* 1. *Jur. nat.*), bonum vero bono referri nobis potest etiam in iis, quos amamus (§. 716.); *bonum bono nobis referri potest in amicis nostris.*

Quodsi

BIU Cujas

Quodsi hinc inferas, bonum bono nobis referri, si cuique alteri benefaciat is, quem nos beneficio affecimus, quia nos ipsi benefecimus, cum omnes homines amare debeamus tanquam nosmetipsos (§. 619. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter ipsis amicos esse (§. 625. *p.* 1. *Jur. nat.*); id pro absurdo habendum non est, etsi vulgo non agnoscatur. Quoniam enim officio amoris universalis parum satisfaciunt homines, ideo nec sibi præstitum esse beneficium putant, quando præstatur alii cuicunque, multo minus existimant, gratiam sibi rependi posse in alio quocunque homine, etiamsi quis profiteatur, se benefacere aliis, propterea quod nos ipsi benefecimus. Hoc tamen non obstante beneficia nobis præstita motivum esse debent beneficiorum in alios quoscunque conferendorum.

§. 718.

De obligatione bonum bono referendi in aliis.

Bonum bono alteri referre debemus in iis, quos amat, veluti in amicis. Etenim bonum bono referre debemus (§. 806. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum bonum bono alteri referre possimus etiam in iis, quos amat (§. 716.), veluti in amicis (§. 717.); bonum quoque bono alteri referri debemus in iis, quos amat, veluti in amicis.

Obligatio bonum bono referendi minime restringitur ad personam ejus, qui bene nobis fecit. Quin potius abunde liquet, siquidem modum, quo obligatio ista inducitur, perpendere velimus (*not.* §. 806. *part.* 1. *Jur. nat.*), nos bonum bono alteri referre debere quocunque modo, consequenter cum referri possit etiam in aliis, referre quoque in aliis debere. Nec obstat, quod modo (*not.* §. 717.) concesserimus, bonum bono referri posse alteri in homine quocunque: naturaliter enim omnino hæc obligatio oritur eodem prorsus modo, quo eam induci alias ostendimus (*not.* §. 806. *p.* 1. *Jur. nat.*). Et quamvis amor universalis jam contineat obligationem juvandi alium quemcunque ope nostra indigentem, ut consequatur animi, corporis ac fortunæ bona, quantum in potestate nostra est (§. 612. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec hoc obstat, ut alia adhuc de causa obligemur ad idem, ad quod antea jam eramus obligati: hoc enim modo fortior efficitur obligatio, ita ut turpius sit contra eam quicquam committere.

§. 719.

De eadem obligatione respectu mortuorum.

Bonum bono referre debemus mortuis in iis, quos vivi amarunt. Etenim bonum bono alteri referre debemus in iis, quos amarunt (§. 718.). Quamobrem cum hoc fieri possit, etiamsi alter, cui bonum referri debet bono, jam fuerit mortuus; mortе ipsius obligatio hæc non extinguitur. Bonum igitur bono referre etiam mortuis debemus in iis, quos vivi amarunt.

Obligatio tamdiu subsistit, quamdiu eidem satisfieri potest. Enimvero sive vivas, sive mortuus fueris, bonum bono tibi referri potest in iis, quos amas, vel amasti vivus. Obligatio igitur bonum bono referendi in iis, quos vivus amasti, te mortuo adhuc subsistit. Mors non delet memoriam boni, quod a defuncto in te profectum est. Quoniam itaque id ipsum motivum est bonum bono eidem referendi (§. 797. *part.* 1. *Jur. nat.*); motivum hoc faciendi mortuo benefactore adhuc superest, consequenter voluntas tua obligationi præsenti satisfaciendi eodem modo determinari potest, quo determinatur, si adhuc ille in vivis esset (§. 889. *Psych. empir.*). Mors adeo benefactoris in adimplendo hoc officio nil quicquam immutat.

§. 720.

De grato animo erga benefactorem.

Qui habet animum bonum bono referendi, gratus est erga benefactorem. Etenim qui animum habet bonum bono referendi, is vult alteri existere causa boni, qnia ipse sibi extitit (§. 797. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter animum habet bonum in alterum conferendi quia alter prior in se contulit, adeoque beneficium tribuendi ei, a quo accepit, propterea quod sibi beneficium tribuit (§. 3. 17. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quuniam itaque animum habet beneficium reddetdi (§. 32. *part.* 4. *Jur. nat.*), qui vero animum habet beneficium reddendi, erga benefactorem gratus est (§. 20. 43. *part.* 4. *Jur. nat.*); qui habet animum bonum bono referendi, erga benefactorem gratus est.

Reddere beneficium & bonum bono referre, fere unum idemque sunt. Quodsi actum exter-

BIU Cujas

num spectes, nulla prorsus intercedit differentia, cum utrobique bonum conferatur in eum, qui prior contulit, seu officium quoddam humanitatis præstatur ei, qui prior nobis præstitit. Motivum quoque, si actus internos spectes, utrobique idem est, nempe bonum ab altero in nos collatum, seu beneficium ab altero in nos profectum: ast finis differt. Quando enim beneficium reddimus, id fit ea intentione, ut declaremus, nos memores esse beneficii accepti; quando vero bonum bono referimus, id potissimum significare intendimus, quod nolimus gratis in nos collatum esse beneficium, sed præstitum nobis officium alio officio compensare velimus, quantum nobis datur. Quamvis enim beneficium gratis præstetur (§. 19. *p.* 4. *Jur. nat.*), ut adeo pro eo, quod nobis præstatur, nihil vicissim recipiat benefactor (§. 18. *part.* 4. *Jur. nat.*), neque hic ex conventione nascatur aliqua obligatio ad aliquid pro eo, quod nobis præstitum, vicissim præstandi, cum ipsiusmodi conventio a beneficio absit, quod per se patet: nihilominus beneficiarius sese obligatum agnoscit ad beneficium vicissim præstandum, siquidem occasio sese obtulerit, non secus ac si promittendo benefactori perfecte sese ad id obligasset (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*). Reddit adeo beneficium bonum bono referre cupiens tanquam debitum. Non abhorrent ea, quæ hic dicuntur, a notionibus communibus. Quando enim benefactori bonum bono referimus, dicere solemus, nos ad multo majus eidem esse obligatos, quam quod eidem præstamus.

§. 721.

De officio gratitudinis erga mortuos.

Erga benefactores mortuos grati esse debemus. Etenim etiam mortuis bonum bono referre debemus in iis, quos amaverunt (§. 719.). Enimvero qui habet animum bonum bono referendi, is gratus est erga benefactorem (§. 720.). Erga benefactores itaque mortuos grati esse debemus.

Gratus animus duo continet, nimirum memoriam beneficiorum acceptorum & voluntatem vicem reddendi. Benefactore licet mortuo, & memoriam beneficiorum acceptorum servare, & voluntatem vicem reddendi habere possumus, cum bonum bono referri possit in iis, quos amavit mortuus. Animo igitur grato adhuc locus esse potest, benefactore licet mortuo. Eccur ergo eodem mortuo non subsistere debet obligatio nos gratos benefactori præbendi?

§. 722.

Quomodo mortuis gratia agantur.

Benefactoribus mortuis gratias agere possumus, beneficia nobis tributa narrando & prædicando. Per se patet, mortem benefactoris in nobis non delere memoriam beneficiorum acceptorum. Quamobrem illo licet mortuo beneficia nobis tributa aliis adhuc narrare ac prædicare valemus, quando occasio de iis dicendi sese offert. Quamobrem cum gratum animum significemus erga mortuum, quando beneficiorum acceptorum adhuc nos memores esse eaque agnoscere declaramus (§. 31. *part.* 4. *Jur. nat.*), gratias vero benefactori agit, qui verbis significat gratum animum (§. 44. *part.* 4. *Jur. nat.*); benefactori mortuo gratias agere possumus beneficia nobis tributa narrando & prædicando.

Gratitudo consistit in dilectione benefactoris ob beneficia in nos collata (§. 31. *p.* 4. *Jur. nat.*). Quamobrem cum dilectio consistat in constante ac perpetua voluntate felicitatem alterius promovendi (§. 617. *part.* 1, *Jur. nat.*); gratitudo duo involvit, nimirum memoriam beneficiorum acceptorum & voluntatem benefactoris felicitatem promovendi, siquidem a nobis fieri possit, cujus voluntatis motivum sunt beneficia nobis tributa. Mortui felicitatem promovere non amplius datur, adeoque voluntas non subsistit, nisi quatenus eidem bonum bono referri, aut, si mavis, gratia rependi potest in aliis, quos amavit (§. 719.): quod tamen memores adhuc simus beneficiorum in nos collatorum eademque agnoscamus, verbis declarare possumus. Ad gratiarum adeo actionem, benefactore mortuo sufficit narrare ac prædicare beneficia accepta. Uberius de modo gratias agendi dicemus suo tempore in Philosophia morali.

§. 723.

De obligatione gratias agendi.

Benefactoribus mortuis gratias agere adhuc debemus. Beneficiarius enim obligatur ad gratias benefactori agendas (§. 45. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quamobrem cum benefactoribus mortuis

BIU Cujas

mortuis gratias agere possimus beneficia nobis tributa narrando & prædicando (§. 722.); quin benefactoribus mortuis gratias agere adhuc debeamus, dubitandum non est.

Non abhorret hoc a notionibus communibus. Quando enim beneficium petentes declarare volumus, nos fore erga dantem gratos, dicere solemus, quod accepti memores simus futuri idemque prædicaturi, quamdiu vixerimus. Duratio igitur animi grati non restringitur ad ætatem benefactoris, sed beneficiarii, propterea quod probe noverimus, memoriam beneficiorum acceptorum & propensam in benefactorem voluntatem adhuc subsistere in nobis posse, etiamsi benefactor dudum mortuus fuerit, & nos ad significandum animum gratum adhuc obligatos agnoscimus etiam post fata ipsius. Immo nemo non gratum in benefactorem animum in dubium vocaret, si quis asseveraret, se memoriam beneficiorum acceptorum non depositurum, quamdiu benefactor vixerit.

§. 724.

Si benefactoribus mortuis bonum bono referimus in iis, quos vivi amarunt; declarare debemus id fieri ob beneficia in nos collata ab illis. Etenim non minus obligamur ad gratias agendum benefactoribus mortuis (§. 723.), quam ad bonum bono iisdem referendum in iis, quos vivi amarunt (§. 719.). Quamobrem cum benefactoribus mortuis gratias agamus beneficia in nos collata narrando & prædicando (§. 722.), bonum vero bono referatur alteri propter beneficia in nos collata (§. 797. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter occasio mortuis gratias agendi offeratur, quando iisdem bonum bono referri datur in iis, quos vivi amarunt; quando benefactoribus mortuis bonum bono referimus in iis, quos vivi amarunt, utique declarare debemus id fieri ob beneficia in nos collata.

Quid observandum, si gratia rependitur mortuis in iis, quos amarunt.

Grati esse debemus erga benefactores mortuos (§. 721.). Gratos autem nos iisdem præbemus, cum quatenus memoriam beneficiorum nobis præstitorum nos habere declaramus, tum quatenus propensam remunerandi voluntatem significamus. Utrumque quando fieri potest, omnes omnino animi grati partes adimplere debemus. Nos memores esse beneficiorum ab altero nobis datorum significamus ea narrando ac prædicando; propensam vero remunerandi voluntatem declaramus ipso facto, dum bonum bono referimus in eo, quem amavit vivus. Quodsi ergo ex asse satisfacere velis officio gratitudinis erga benefactores mortuos, quando hoc faciendi occasio sese offert; utique necesse est, ut, dum bonum bono iisdem refers in iis, quos vivi amarunt, id fieri significes propter beneficia in te collata. Neque obstat adesse rationes, cur etiam alteri benefaceres, etiamsi nulla istiusmodi beneficia ab alio in te fuissent collata: cum enim unius actus plura esse possint motiva, siquidem hæc indicari necesse sit, omnia simul indicari possunt.

§. 725.

Famæ ac laudi mortuorum detrahere non debemus. Etenim laudem alteri, quam meretur, etiam post mortem tribuere debemus ac operam dare, ut famam, quam meretur, consequatur, aut ut ea conservetur, quam consecutus est (§. 715.), consequenter laudem ac famam alterius diminuere non licet (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum famæ ac laudi alterius detrahat, qui eam diminuere conatur (§. 870. *part.* 1. *Jur. nat.*), famæ ac laudi mortuorum detrahere non debemus.

Detrahere famæ ac laudi mortuorum illicitum.

Non est quod excipias, mortuo noceri amplius non posse, consequenter parum referre, quicquid de eo dicatur. Nullam inde molestiam percipere mortuum, si vel ea narrentur, quæ famæ ipsius adversa sunt. Sufficit nimirum noceri famæ, quam integram conservari interest eorum, quibus ob benefacta defuncti beneficia præstanda, & qui alio quocunque modo famam illius participant. Neque ratio prohibitionis de non detrahendo famæ ac laudi alterius est nocumentum vel molestia animi inde proveniens, quamvis in philosophia morali inter motiva referri talia possint, cur ab actu hoc vitioso sit abstinendum; sed quod contrarietur officio de cura famæ alienæ (§. 650. *part.* 1. *Jur. nat.*).

BIU Cujas

§. 726.

De non propalandis factis famæ mortuorum adversis. Quoniam laudi mortuorum detrahere non debemus (§. 725.), facta autem ex virtutibus intellectualibus & moralibus profecta laudem pariunt (§. 551. *p.* 1. *Jur. nat.*); consequenter his contraria eam diminuunt, si ad illa accedant; *facta mortuorum virtutibus intellectualibus & moralibus adversa aliis parum nota propalanda non sunt, nec, quæ oblivioni jam tradita, eorum memoriæ renovanda.*

Recte hinc vulgo dicitur, de mortuis nil nisi bene: quod non ita intelligendum est, quasi de iis dicenda sint veritati adversa, sed ut minus recte, vel male facta reticeantur, quæ autem recte ac bene facta sunt commemorentur. Veritati nimirum semper litandum: id quod in casu præsenti fit, si tantummodo commemorentur recte ac bene facta, nulla facta mentione eorum, quæ male aut minus recte facta sunt.

§. 727.

De male factis mortuorum notoriis. *Si male facta mortui notoria sunt, ea dicere licet ad instruendum alios.* Quodsi enim facta notoria sunt, eorum memoriam delere non possumus, nec a nobis dependet, ut aliis nota non sint. Quamobrem cum exempla mala sequi minime debeamus (§. 931. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter dehortari etiam alios, ne sequantur; si de male factis mortuorum notoriis occasio dicendi sese offerat ad instruendum alios, quin salvo officio de non detrahendo iisdem de fama sua (§. 725.) illa dicere liceat dubitandum non est.

Sane in codice etiam sacro commemorantur mala facta eorum, quorum virtutes laudantur, quia ad instruendum alios faciunt. Et hoc nomine etiam excusantur Historici quod prava quoque facta posteritati mandent, & qui exempla vitiorum in usum moralem describunt. Sane quos pœnitet male factorum, ubi resipiscunt, ipsimet volunt, ut alii ex ipsorum factis sapere discant. Et hoc convenit charitati, ut, qui quam noxia sint vitia expertus fuit, alios exemplo suo hoc doceat, ut sibi tempestive caveant. Quanta enim sit exemplorum vis in hominibus emendandis, alibi dudum demonstravimus.

§. 728.

De excusandis male factis a mortuis. *Male aut minus recte facta mortuorum excusanda, quantum datur.* Etenim famæ ac laudi mortuorum detrahere non debemus (§. 725.), consequenter eam non diminuere (§. 870. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam per se patet male aut minus recte facta de fama ac laude alicujus detrahere, aut minus detrahere, quatenus excusationem merentur; male aut minus recte facta mortuorum excusanda, quantum datur.

Historicorum ideo est ea etiam narrare, quæ ad excusationem facti faciunt: alias enim peccant, utpote ipsimet de fama ac laude eorum detrahentes, quorum facta narrant. Quando dicitur, omnia in bonam partem esse interpretanda, non aliud significatur, quam ut facta excusentur, quantum datur: excusatio enim ultra veritatem, aut in casu dubio ultra verisimilitudinem non extendenda. Ipsa autem demonstratio loquitur, quod, quæ hic de mortuis dicuntur, ea etiam de vivis intelligenda sint. Atque tum tanto magis ad excusandum sumus obligati, si quæ adversus nos commissa sunt, ab iisdem excusentur adductis rationibus, ob quas ea excusationem merentur. Merito igitur reprehendi solet, si quis contrario modo omnia in malam partem interpretetur, nec excusationem admittere velit, etiamsi rationes sufficientes in medium afferantur.

§. 729.

Quamdiu officium laudis debeatur mortuis. *Officium laudis debetur mortuis, quamdiu factorum memoria manet.* Etenim officium laudis debetur mortuis ob facta ex virtutibus intellectualibus & moralibus profecta (§. 551. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem tamdiu fieri potest, ut laus, quam merentur, iis

BIU Cujas

iis tribuatur, quamdiu horum factorum memoria manet. Quoniam itaque obligatio præstandi officii non ante expirat, quam quando impossibile est, ut eidem satisfiat (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); officium laudis utique debetur mortuis, quamdiu factorum manet memoria.

Obligatio quæ a lege naturæ venit, necessaria & immutabilis est (§. 142. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque per se nunquam desinere potest. Enimvero extenditur ad impossibile adeoque eidem nullus amplius locus esse potest (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quamprimum contingit, ut eidem satisfieri non possit. Quodsi memoria factorum perpetuo duraret, officium quoque laudis propterea debitum semper maneret. Sed quoniam ætas illam delet, laudis quoque officium perpetuum esse nequit. Facile autem patet, memoriam non deleri debere nostra culpa, cum ad eam vitandam obligemur (§. 299. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamdiu factorum memoria manet, moraliter adhuc vivit, &, si ex factis ejus aliquod adhuc commodum in nos redundat, perinde est, ac si nobis quid faceret, suoque facto nos sibi obligaret ad grati animi officium præstandum. Enimvero quando factorum memoria deletur, moraliter quoque moritur, qui physice dudum erat mortuus, tumque omne prorsus jus, quod ad officia laudis habebat, amittit, ut perinde sit ac si nunquam inter homines extitisset, & natura nunquam jus quoddam eidem tribuisset.

§. 730.

Mortuis injuria fieri nequit; peccari tamen in eos potest. Quoniam enim mortuus jus omne amittit (§. 700.), nullum quoque jus perfectum ipsi competit, consequenter nec quisquam jus ejus violare potest. Quamobrem cum injuriam alteri faciat, qui contra jus perfectum quid facit (§. 859. *part.* 1. *Jur. nat.*); mortuo injuria fieri nequit. *Quod erat primum.* *An mortuis injuria fieri & in eos peccari possit.*

Enimvero quoniam obligamur naturaliter ad laudem meritam mortuis tribuendam, & famam eorum servandam (§. 715.), tum etiam ad nos gratos iisdem præbendum (§. 721.) & ad gratias agendum (§. 723.) immo ad gratiam rependendam in aliis (§. 724.), & ad omittendum quæ hisce contrariantur (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*); si mortuis laudem meritam non tribuimus, nec eorum famæ studemus, neque gratos nos iisdem præbemus, aut hisce prorsus contraria facimus, actiones nostræ tam negativæ, quam positivæ legi naturæ contrariantur. Quamobrem cum is peccet, cujus actio legi naturæ contraria (§. 440. *part.* 1. *Jur. nat.*); omissio officiorum mortuis debitorum atque actio iisdem contraria peccatum est. Quoniam vero in eum peccamus, cui officium naturaliter debitum denegamus, aut quod eidem contrariatur facimus; in mortuos peccari posse patet. *Quod erat alterum.*

Patet adeo, quantum fallantur, qui sibi persuadent, in mortuos quidvis sibi licere, propterea quod se impune hoc facere posse vident, ita ut mortuo insultare leoni haud raro sibi gloriosum existiment. Æque tamen turpe est, deesse officio erga mortuos, quam erga vivos. Atque ipsi naturæ humanæ quasi insita est turpitudinis hujus notitia, cum qui a partium studio procul remoti sunt reprehendant unanimiter eum, qui contra officium mortuo debitum quid facit, immo reprehendant viri boni non sine indignatione. Mortui quoad ea officia, quæ ipsis adhuc post fata præstari possunt, ac debentur, æquiparantur vivis, ut adeo perinde sit, sive desis officio erga vivos, sive erga mortuos, aut contra id quicquam committas.

§ 731.

Mortuis infamiam adspergere non licet, nec eos ignominia afficere licet. Nemo enim alteri infamiam adspergere (§. 866. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec ignominia alterum afficere quisquam debet (§. 829. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum ex ipsa notione ignominiæ ac infamiæ pateat, mortuis quoque infamiam adspergi eosque ignominia affici posse (§. 811. 862. *part.* 1. *Jur. nat.*); nec mortuis infamiam adspergere, nec eos ignominia afficere licet (*not.* §. 729.). *De infamia mortuis adspersa & ignominia, qua afficiuntur.*

Ex antea demonstratis satis patet, quæ quoad honorem aliis debemus naturaliter, mortuis quoque deberi, & quæ naturaliter quoad eundem prohibita sunt, ea nec in mortuos licere. Quamobrem

BIU Cujas

ebrem opus non est, ut de hisce prolixius dicamus, cum quæ de hisce demonstrata sunt in parte prima Juris naturæ ad mortuos facile applicentur: eos enim spectare debemus tanquam vivos, quatenus officia ad honorem spectantia iisdem adhuc debentur, & illis contraria prohibentur (*not.* §. 729.). Quicquid hac in parte lege naturali præcipitur, vel prohibetur, respectu vivorum & mortuorum unum prorsus idemque est. Eadem enim lege consulitur honori ac famæ tam vivorum, quam mortuorum.

§. 732.

An mortuus injuriari possit.

Mortuus injuria specialiter dicta affici, seu injuriari potest. Etenim ex notione infamiæ ac ignominiæ patet, quod mortuus ignominia affici, ac infamia eidem adspergi possit (§. 811. 862. *part.* 1. *Jur. nat.*). Cum famam alterius lædat, qui eidem infamiam adspergit, honorem vero lædat, qui ignominiam facere conatur (§. 867. *part.* 1. *Jur. nat.*), læsio autem honoris ac famæ sit injuria specialiter dicta (§. 874. *part.* 1. *Jur. nat.*); mortuus quoque injuria specialiter dicta affici, seu injuriari potest.

Injuria dividitur in realem & verbalem, quarum illa factis, hæc verbis committitur (§. 875. *part.* 1. *Jur. nat.*). Verbis injuriam fieri posse etiam mortuis, palam est. Enimvero erunt forsitan, qui dubitaturi sunt, num etiam injuria realis committi possit adversus mortuos, utpote qui in rerum natura non amplius existunt. Hos igitur perpendere velim, injuriandi animo corpus quoque mortui verberari aut fustibus cædi posse, perinde ac vivi: neque enim in injuria inferenda spectatur dolor, quem sentit injuriatus, sed læsio honoris, aut famæ, quæ facto intenditur. Similiter quemadmodum injuria realis est, si quis alterius domum ut debitoris possidet (*not.* §. *cit.*); quidni etiam si mortui domum ut debitoris possidere velit, injuria realis esse debet? Dantur etiam facta injuriosa alia in mortuos, etsi rariora, aut saltem non adeo manifesta, quæ adhuc locum habent, etiamsi corpus defuncti dudum fuerit corruptum. Exempli loco esto, si quis animo injuriandi, quem prodere vult, injuriam realem inferat liberis defuncti, aut si quis eodem animo aures asininas appingit imagini defuncti.

§. 733.

De removendis corporibus mortuis.

Corpora mortuorum ex iis locis, in quibus vivi degunt, removenda. Corpus mortuum putredine corrumpitur, atque fœtore suo non modo molestiam creat, verum etiam verendum est, ne sanitati viventium nocumentum adferat. Quoniam itaque operam dare debemus, ut omnem molestiam quantumlibet exiguam evitemus (§. 451. *part.* 1. *Jur. nat.*) & ut sanitatem conservemus, quantum datur (§. 393. *part.* 1. *Jur. nat.*), ac utrumque aliis quoque debeamus (§. 608. *part.* 1. *Jur. nat.*); corpora mortuorum ex iis locis removenda sunt, in quibus vivi degunt.

De jure sepulturæ cum jam nobis sit agendum, gradatim progrediendum est: alias enim fieri non poterit, ut hoc jus evincamus. *Grotius* de J. B. & P. lib. 2. c. 19. §. 1. hoc jus ad jus gentium voluntarium refert, quod scilicet ex voluntate humana ortum habet; hos tamen gentium mores communes naturali rationi consentaneos agnoscit. Quodsi vero naturalis detur ratio, cur mortui sint sepeliendi; in eam hic inquirendum, non vero ad tacitam gentium voluntatem provocandum. Naturalis illa ratio si inducat necessitatem moralem mortuos sepeliendi; ad mortuos sepeliendos naturaliter obligamur, consequenter jus sepulturæ erit juris naturalis, minime autem juris Gentium voluntarii. Patet itaque jus sepulturæ a *Grotio* non satis fuisse expensum; sed idem altius repetendum esse. Quid igitur principiis juris naturæ hic conveniat, a nobis demonstrandum. In præsenti propositione ostendimus, rationem a corporis mortui natura desumtam inducere necessitatem moralem, adeoque obligationem mortuos ex iis locis removendi, in quibus viventes degunt; nondum autem definimus modum, quo removendi sunt, sed in eum ulterius jam erit inquirendum. Ista autem obligatio nos tenet non minus quoad cadavera brutorum, quam quoad corpora humana mortua, quemadmodum ex demonstratione abunde liquet, quippe quæ tota subsistit, etiamsi in locum corporum humanorum mortuorum cadavera brutorum substituas. Et hæc forsan ratio est, cur quædam gentes, præsertim barbaræ, in modo removendi a viventibus corpora mortuorum & cadavera brutorum nullam differentiam admiserint, sed idem sibi licere in corpora hominum mortuorum, quod in cadavera brutorum licet, existimati fuerint. Hoc præjudicium ut tollatur, sequentem addimus propositionem.

§. 734.

BIU Cujas

§. 734.

Corpora mortuorum hominum cadaveribus brutorum non æquiparanda sunt. Etenim mortuis hominibus debentur adhuc certa officia (§. 715.), ita ut etiam injuria specialiter dicta iisdem inferri possit (§. 732.), in ipsorum etiam corporibus (*not. §. cit.*). Quoniam vero ex demonstratis facile patet, eadem non valere de brutis mortuis; homines mortui & bruta mortua in eundem censum venire minime possunt, adeoque nec corpora mortuorum hominum cadaveribus brutorum æquiparanda sunt. *De corporibus humanis mortuis brutorum cadaveribus non æquiparandis.*

Negari equidem non potest, corpora mortua hominum & cadavera brutorum physice non differre a se invicem, ac eodem modo corrumpi. Ast inde minime sequitur, quod nec moralis quædam differentia intercedat: quin potius contrarium patet per antea demonstrata & iisdem innixam demonstrationem præsentem. Quando igitur inquirutur in modum removendi a se corpora mortua humana; ad differentiam istam utique animum advertere debemus, nec a modo, quo cadavera brutorum removemus, argumentari licet ad modum removendi corpora mortua hominum. In illo nimirum tantummodo rationem nostri habemus; in hoc vero ratio quoque habenda est hominum mortuorum, ne quid committatur, quod officio erga ipsos repugnat.

§. 735.

Quoniam cadaveribus brutorum minime æquiparanda sunt *corpora hominum mortuorum* (§. 734.); ea *non eodem modo e conspectu nostro removenda, quo cadavera brutorum removeri solent*, consequenter cum cadavera brutorum canibus ac feris abjiciantur, & sub sole putrescant, *corpora hominum mortua canibus ac feris non abjicienda, nec patiendum, ut sub sole putrescant.* *Quid inde sequatur.*

Constat gentes barbaras mortuos volucribus ac feris devorandos abjecisse; sed hæ fuerunt, quæ inter corpora hominum mortuorum & cadavera brutorum nullam differentiam agnoverunt, ad physicas tantummodo rationes, quæ in omnium oculos statim incurrunt, animum advertentes, non vero ad rationes morales in sensum non incurrentes illum attendentes. Nemo facile erit, qui existimaturus est, nihil in eo committi, quod sit a ratione alienum, si corpora humana mortua feris devoranda abjiciantur, consequenter morem illarum gentium, quæ hoc fecerunt, reprehendi minime posse: qui enim ita sentit, cum præjudicio a prima ætate contracto non occœcatum possideat animum, quemadmodum gentes barbaræ, quarum is mos fuit, omni amore in alios vacuum habere debet animum, quoniam alias æquo animo non laturus, ut is, quem vivus dilexerat, post fata brutis æquiparetur.

§. 736.

Si is, quem amamus, moritur; morte ipsius amor in nobis minime extinguitur, sed tantummodo effectu suo orbatur. Amor enim est dispositio animæ ad percipiendam voluptatem ex alterius felicitate (§. 633. *Psych. empir.*), consequenter ex eo, quod ipse voluptatem percipit (§. 636. *Psych. empir.*). Quando quis moritur, impossibile quidem efficitur, ut voluptatem mortuo creemus, ac tædium ab eo avertamus qui effectus amoris est (§. 652. *Psych. empir.*), non tamen propterea tollitur illa dispositio animæ, in qua amor consistit, quippe cum mors alterius minime obstet, quo minus velimus, ut adhuc in vivis esset, ac ipsi voluptatem creandi occasio sese nobis offerret. Amor itaque morte illius, quem amamus, non extinguitur. *Quod erat unum.* *An amor, quo alterum prosequimur, morte ipsius extinguatur.*

Enimvero quoniam fieri non potest, ut mortuo voluptatem creemus, vel tædium ab eo avertamus, in quo effectus amoris consistit *per demonstrata*; si is, quem amamus, moritur, amor, etsi minime extinguatur *per demonstrata*, effectu tamen suo orbatur. *Quod erat alterum.*

Amoris effectus ab ipso amore probe distinguendus. Non semper nobis datur, ut ei, quem amamus, voluptatem creare, vel tædium aliquod seu molestiam ab eo avertere actu studeamus: hoc tamen non obstante amor subsistit. Absonum sane foret, si quis durationem amoris restrin-

BIU Cujas

ſtringere vellet ad actum, quo voluptatem alteri creare, vel tædium ab eo avertere ſtudemus. Nec, quod hic dicitur de amore, ſingulare quid eſt; ſed quod omni virtuti tam intellectuali, quam morali, immo in genere omni habitui convenit. Neque hoc abhorret ab experientia. Amamus ſane eos, qui dudum mortui ſunt, & quos vivos impenſe amavimus, ita ut, quando occaſio offertur, qua ipſis voluptatem creare, ſeu officia grata præſtare poteramus, ſi adhuc in vivis eſſent, optemus: utinam adhuc in vivis eſſent! ac amori miſceatur aliquid triſtitiæ, quod voti noſtri minime compotes fieri queamus. Immo quis eſt, qui neſciat, quomodo amore proſequamur imagines eorum, quos vivi amavimus, mortuos amantes in ipſorum imaginibus. Cumque amor oriatur ex eo, quod nobis placet in altero (§. 649. *Pſych. empir.*): amorem erga eum, qui dudum mortuus eſt, naſci in nobis experimur, quando placent facta, quorum memoria ſupereſt. Quodſi ergo amor erga dudum mortuum naſci poteſt, quidni ſubſiſtere poſſit erga eum, quem vivum jam amavimus, quando moritur? Sane res etiam inanimatas amare poſſumus atque ſolemus (§. 654. *Pſych. emp.*). Quidni igitur etiam mortuum, quem quoad animam adhuc ſuperſtitem novimus, corpore licet corrupto (§. 744. *Pſych. rat.*), & quem adeo ſpectare poſſumus tanquam procul abſentem, tamdiu tamen adhuc viventem, quamdiu memoria ejus nobis ſupereſt?

§. 737.

De durationе amoris univerſalis omnium hominum.

Quia morte ejus, quem amamus, amor non extinguitur (§. 736.), hominem autem quemcunque amare debemus tanquam noſmetipſos (§. 619. *part.* 1. *Jur. nat.*), *univerſalis* quoque *amor*, *quo homines in univerſum omnes proſequi debemus*, *extingui in nobis minime debet*, *quamdiu memoria ipſorum nobis ſupereſt*, *quando mortui fuerunt*.

Conſtat olim pleraſque gentes amorem illum univerſalem, lege naturæ nobis præceptum (§. 619. *p.* 1. *Jur. nat.*), non agnoviſſe, ſed ad eos ſolos reſtrinxiſſe, qui nobiſcum in eadem ſocietate civili vivunt: quæ perverſa opinio ipſorum etiam Judæorum animos occupaverat, a Chriſto autem vehementer improbata fuit. Quid ergo mirum, ſi non agnoverint, amorem illum ſubſiſtere debere in nobis, etiamſi homines fuerint mortui, quamdiu memoria eorum adhuc ſupereſt. Multo minus autem mirari debemus, ſi gentes barbaras hoc non agnoviſſe deprehendimus, conſequenter feciſſe, quod quomodocunque eidem adverſatur, vel parum convenit.

§. 738.

De obligatione edendi ſigna amoris erga mortuos.

Quoniam etiam homines mortuos quoſcunque amare debemus tanquam noſmetipſos, quamdiu memoria eorum ſupereſt (§. 737.); *ſi qua ſeſe offerat occaſio quomodocunque edendi ſigna amoris erga mortuum*, *ea edere debemus*.

Non deeſſe ſigna, quibus palam facimus amorem erga mortuum, dubitandum non eſt. Sane dantur actus externi, quibus amorem in res inanimatas ſignificamus, etſi revera amor effectu proprio deſtituatur (§. 655 *Pſych. emp.*). Quamvis adeo amor erga mortuum effectu deſtituatur (§. 736.); hoc tamen minime obſtat, quo minus actibus quibuſdam externis eundem ſignificemus. Pertinet huc pretium affectionis, quod ſtatuimus imagini defuncti, vel rei ab eo nobis, cum viveret, donatæ, aut quæ quondam fuerat ipſius, nunc vero quocunque titulo ad nos pervenit. Sane pretium iſtud tanquam licitum defenditur amore, quo defunctum adhuc proſequi fas eſt (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quodſi amor defuncti foret illicitus, aut abſurdus; pretium quoque affectionis, de quo nobis ſermo eſt, illicitum, aut abſurdum dici deberet, ac minimum pro ſtulto habendus eſſet, qui pretium iſtiuſmodi rei a defuncto profectæ ſtatueret: id quod tamen nemo facile dixerit.

§. 739.

De ſigno amoris in venerando corpore mortui edendo.

Quia ſigna amoris erga mortuum edere debemus, quando occaſio quæcunque nobis offertur (§. 738.); *ſi fieri poſſit*, *ut in modo*, *quo corpus mortui e conſpectu noſtro removemus*, *ſignum quoddam amoris erga ipſum edamus*, *id edere utique debemus*.

Atque adeo vel hinc patet, non prorſus indifferens eſſe, quocunque modo corpus mortui e conſpectu noſtro removeatur: ſi quis enim detur, qui ſigna amoris erga mortuum adhuc continet, is utique præferendus erit ceteris, qui ſignis iſtiuſmodi deſtituuntur.

§. 740.

BIU Cujas

§. 740.

De dictis ad inimicos extendendis.

Quoniam amor universalis lege naturali ad ipsos etiam inimicos extenditur (§. 632. *part.* 1. *Jur. nat.*), idem vero in nobis extingui minime debet, quamdiu mortuorum memoria nobis superest (§. 737.), ejusque signa edere tenemur quacunque occasione oblata (§. 738.), etiam in eligendo modo, quo corpora mortuorum e conspectu nostro removentur (§. 739.); *inimicos* etiam *mortuos amare debemus, quamdiu eorum memoria nobis supereſt, ejusque signa edere tenemur, quacunque occasione oblata, quaid fieri potest, etiam in eligendo modo, quo corpora mortuorum e conspectu nostro removentur. Idem etiam valet de iis, qui indifferenti in nos sunt animo.*

Officium amoris universalis, quod homo homini debet, ab amicitia & inimicitia prorsus independens est, cum in natura hominis unice fundatum sit, nullo habito respectu ad eorum amicitiam, vel inimicitiam. Quæcunque igitur ex amore universali fluunt, ea non minus ad inimicos, quam amicos pertinent, vel etiam eos, qui indifferenti in nos sunt animo. Immo ex eadem ratione in amore universali ac iis, quæ inde fluunt, non attenditur, qualis quid sit, utrum bonus, an malus. Quamvis enim facta prava a nobis improbentur, non tamen propterea cessant officia, quæ ipsi tanquam homini debentur. Hæc inprimis probe notanda sunt in præsenti, ubi de jure sepulturæ agendum, ne hoc jus arctioribus limitibus constringatur, quam par est, & ut intelligatur cur hoc jus a veteribus nonnullis vocetur jus humanitatis.

§. 741.

Cuinam moriens benefaciat.

Mortuus est benefactor ejus, in quem morte sua dominium rerum suarum & jura ad rem, vel in re sibi competentia transmittit. Qui enim dominium rerum suarum & jura ad rem vel in re sibi competentia transmittit, is bona sua gratis dare eidem intelligitur (§. 448. 451. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum hic actus mere beneficus sit (§. 3. 4. 18. *part.* 4. *Jur. nat.*), qui in præsens absolvitur, quod per se patet; istiusmodi autem actus beneficium sit (§. 17. *part.* 4. *Jur. nat.*); qui morte sua dominium rerum suarum & jura ad rem, vel in re sibi competentia in alterum transmittit, maximum in eum beneficium confert, quod conferre potest. Benefactor alterius est, qui beneficium dat (§. 20. *part.* 4. *Jur. nat.*). Mortuus igitur est benefactor ejus, in quem morte sua dominium rerum suarum & jura ad rem, vel in re sibi competentia transmittit.

Non semper hoc agnoscitur, cum multi sibi persuadeant, quasi bona defuncti accipiant tanquam debita, non tanquam beneficium, nec mortuo deberi gratias, cum non amplius existat. In utroque autem oppido falluntur; quid in priori errori tribuendum sit, suo loco clarius elucescet, quando de successione ab intestato acturi sumus: mortuis autem gratias agi ac rependi posse, ex antea demonstratis abunde patet.

§. 742.

De grato animo ejus in quem defunctus bona sua transmittit.

Quoniam mortuus est benefactor ejus, in quem morte sua omnia bona sua transmittit (§. 741.), erga benefactorem vero etiam mortuum grati esse debemus (§. 721.) eidemque gratias agere (§. 723.); *in quem bona sua defunctus morte sua transmittit, is erga defunctum gratus esse ac eidem gratias agere debet.*

Maximum omnino beneficium est, quod ab alio accipere possumus, si dat, quicquid habet, ut nihil prorsus sibi retineat. Hoc autem obtinet, si defunctus omne jus suum, aut, si mavis, omnia bona sua in nos transmittit. Quamobrem etiam eidem ad gratias agendas præ aliis beneficiariis nos obligatos existimare debemus. Si qua adhuc dubitatio suboriri potest, quæ a modo æstimandi beneficia dependet; ea tum expendenda, quando in philosophia morali modum beneficia æstimandi explicaverimus. Multa omnino hic consideranda veniunt, de quibus dici paucis non potest.

BIU Cujas

§. 743.

Quod ille hunc amare debeat.

Quoniam mortuus est benefactor ejus, in quem morte sua dominium rerum suarum & jus omne reliquum transmittit (§. 741.), beneficiarius vero benefactorem amare debet (§. 39. *part.* 4. *Jur. nat.*), & amare potest etiam mortuum (§. 736.); *is, in quem defunctus dominium rerum suarum & jus omne reliquum transmittit, defunctum amare debet*, consequenter *signa amoris erga eum edere, si qua edendi occasio se offert* (§. 738.), *etiam in modo, quo corpus mortui e conspectu nostro removendum, siquidem fieri possit* (§. 739.).

Quicquid de amore in genere valet, id etiam valet de amore beneficiarii erga benefactorem, adeoque & de amore ejus, in quem defunctus morte sua omnia bona sua transmittit.

§. 744.

Sepeliri & humari quid sit.

Mortuus sepeliri dicitur, qui quoquo modo conditur; in specie autem *humari*, qui humo contegitur. *Qui adeo humatur, is sepelitur; at non omnis, qui sepelitur, humatur.*

Differentiam hanc inter sepulturam & humationem tradit diserte *Plinius* Histor. nat. lib. 7. c. 54. ac ideo *Cicero* de modo, quo mortui a viventibus removendi (§. 733.) dicturus humationem & sepulturam conjungit. Quoniam autem non alius fere modus sepeliendi apud nos usu receptus est, quam humatio; ideo sepeliri dicuntur termino generali, qui humantur, quasi humari & sepeliri prorsus unum idemque sint.

§. 745.

De mortuo in se sepulto.

Quoniam sepeliuntur mortui, si quocunque modo conduntur (§. 744.); qui vero mortuos comedunt, eos in seipsis condunt; *qui mortuos comedunt, eos in seipsis sepeliunt.*

Constat olim gentes quasdam mortuos suos comedisse & *Moschion* existimat, humationi causam dedisse gigantum feritatem mandendi homines. Vid. *Grotius* t. 2. c. 19. §. 2. Si significatum vocabuli *sepelire* generalem retinere volueris, quemadmodum fas est, ubi nulla necessitas nos cogit ab eodem recedere; dicendum utique mortuos comedere esse quendam sepeliendi modum, saltem imperfectum, quatenus non totum corpus mortuum, sed caro saltem comedi potest. Non tamen ideo sequitur, hunc sepeliendi modum legi naturæ esse consentaneum.

§. 746.

Sepultura & sepulchrum.

Sepultura dicitur actus, quo mortui a vivis remoti conduntur. *Sepulchrum* vero locus est, in quo corpus mortuum conditur, vel ossa cremati cum cineribus conduntur.

Quodsi ergo mortui comedantur, ossibus ac ceteris, quæ non comeduntur, in loco quodam conditis; sepulchrum erit partim corpus ejus, qui comedit, partim locus, in quo ossa cum ceteris reliquiis condita fuerunt. Duplex nimirum hic actus est, quo mortuus conditur, ut e conspectu viventium tollatur, & duplex etiam locus, in quo conditur. Quodsi vero ossa tanquam res nullius usus abjiciantur, & reliquiæ, quæ non comeduntur, canibus ac feris projiciantur; actus, quo mortui a vivis removentur, erit mixtus, aut, si mavis, compositus ex sepultura & alio, qui sub ea comprehendi nequit, quemadmodum obtinet, si mortui cremati ossa cum cineribus demum conduntur.

§. 747.

BIU Cujas

§. 747.

Monumentum in genere dicitur, quicquid memoriam rei præteritæ conservat, aut posteritati mandat. Unde *Monumentum mortui* seu *ejus causa factum* dicitur res, quæ mortui memoriam posteritati mandat. *Epitaphium* vero est inscriptio supra sepulchrum, seu in monumento in laudem, vel memoriam mortui facta. *Monumentum & Epitaphium quid sit.*

Quando monumento additur inscriptio, sub vocabulo epitaphii una comprehendi solet. Monumentum tamen multo latius patet. Ita monumentum fit, si ad memoriam posteritatis scriptor celebris laudes alterius in scriptis suis propagat.

§. 748.

Exequiæ vocantur actus solennis, quo corpus mortui effertur in eum locum, ubi conspectui vivorum subducendum, veluti ad sepulchrum, si mortui sepeliuntur, vel ad rogum, si comburi solent. *Funus* vero dicitur pompa exequiarum, *Donato* interprete, ut adeo ad funus referantur actus omnes, qui corporis sepeliendi causa fiunt. *Exequiæ & funus quid sint.*

Schardius in Lexico: Funus, inquit, generalius est, quam exequiæ. Est enim tota pompa tam domestica, quam extrinseca: Exequiæ vero tantum in via, dum funus procedit. Item: Exequiæ sunt funeris celebratio, dum corpus effertur, sicuti funus pompa exequiarum.

§. 749.

Funus imaginarium vocatur, quod ducitur cadavere absente Græcis, *Cenotaphion* vocatum. *Legitimum* vero dicitur *funus*, quando cadaver, seu corpus defuncti adest. *Funus* adeo *imaginarium ducitur*, sepultura jam clam sine ulla pompa facta. *De funere imaginario & legitimo.*

Funera imaginaria etiam inter nos frequentantur non una de causa. Apparet vero, ea esse antiquissima, cum apud Græcos jam usu fuerint recepta.

§. 750.

Mortuos mandere non licet, nisi in extrema necessitate. Etenim carne cadaverum humanorum vesci, si homines non eo fine fuerunt trucidati, ut in pabulum cedant, non contrariatur juri naturali communi, contrariatur tamen legi naturali perfectivæ (§. 388. *part.* 1. *Jur. nat.*), atque vesci licet, si desit cibi alterius copia (§. 390. *part.* 1. *Jur. nat.*). Mortuos igitur mandere non licet, nisi si desit cibi alterius copia, ut vel fame sit pereundum, vel carne cadaverum humanorum corpus pascendum nostrum, adeoque non licet mandere, nisi in extrema necessitate. *Quando mortuos mandere non liceat.*

Extra casum necessitatis extremæ nemo facile appetet carnem cadaveris humani, nisi a prima infantia hoc cibo fuerit pastus, ut adeo superfluum videri possit talia hic demonstrari, nisi instituti ratio urgeret, ut de more mortuos in vivis sepeliendi olim usitato apud barbaras quasdam gentes hic quoque diceremus.

§. 751.

Mortuos mandere non est modus sepeliendi aptus. Etenim is esse debet modus sepeliendi mortuos, ut non modo illi, in quos defunctus morte sua transmittit omnia bona sua (§. 743.), verum etiam alii, qui eundem amarunt & promiscue homines quicunque signa amoris erga defunctum in eodem edere possint (§. 739. 737.), & quo corpus humanum mortuum a cadaveribus brutorum distinguitur (§. 734. 735.). Enim- *An mortuos mandere sit aptus sepeliendi modus.*

BIU Cujas

vero si mortuorum carne corpora vivorum pascuntur, officium istud amoris cessat, cumque dubitandum non sit, quin carne etiam cadaverum aliorum vescantur, qui a carne cadaverum humanorum non abhorrent, cadavera hominum & brutorum eodem loco habentur. Mortuos adeo mandere non est aptus sepeliendi modus.

Non igitur mirum, quod nonnisi gentes feræ ac barbaræ eundem probarint; ab eodem vero abhorreant non modo cultiores, verum etiam barbaræ, quæ ferinis moribus destituuntur. Vesci carne cadaverum humanorum ferinis moribus utique accensendum: etenim feræ, sive quadrupedes fuerint, sive volucres, quæ carne pascuntur, inter cadavera brutorum ac hominum non distinguunt. Perinde igitur est, sive corpus humanum mortuum carnibus ac feris abjiciatur, sive homines mortuos mandent. Quamobrem cum illud facere non debeamus (§. 735.); nec hoc nobis permissum censeri potest. Neque est, quod dubitemus, morem mandendi mortuos conjunctum fuisse cum more abjiciendi cadavera eorum canibus ac feris, propterea quod nec mortuos totos mandere potuerunt, ut adeo reliquiæ fuerint abjiciendæ, nec omnium promiscue mortuorum caro commodum pabulum corporis humani præbet, ut cadaver totum tanquam inutile fuerit abjiciendum. Neque enim existimandum est, homines feros ac barbaros, qui cadavera hominum ac brutorum eodem loco habuerunt, peculiarem curam adhibuisse in condendis reliquiis cadaverum, vel integris cadaveribus, quæ in pabulum cedere non potuerunt.

§. 752.

Quomodo mortuis honor deferatur.

Honor mortuis defertur, quando facto quodam declaramus, nos facta ipsorum ex virtutibus intellectualibus ac moralibus profecta agnoscere. Etenim facta ex virtutibus intellectualibus & moralibus profecta honore dignum probant (§. 552. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum alteri honorem deferamus, si nostrum de iis judicium actibus externis significamus (§. 538. *part.* 3. *Jur. nat.*); honor mortuis defertur, quando facto quodam declaramus, nos facta ipsorum ex virtutibus intellectualibus ac moralibus profecta agnoscere.

Ex. gr. Honorem mortuis deferre licet in ipsorum imaginibus, quas in conspectu nostro locamus memoriæ causa, quas osculamur, ornamus ac pretio affectionis tanquam rem pretiosissimam æstimamus, nec sine voluptate intuemur, & alio quovis modo possibili colimus. In alia facta non inquirimus, quibus etiam mortuis honorem deferre valemus. Sufficit enim vel unico declarasse, delationem honoris, quæ mortuis fieri debet, non esse impossibilem.

§. 753.

Quod sit deferendus.

Honorem etiam mortuis, quem merentur, deferre debemus. Unusquisque alteri honorem exhibere debet, quem meretur (§. 648. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum impossibile non sit, ut etiam post fata ipso facto declaremus, nos facta mortui ex virtutibus intellectualibus ac moralibus profecta agnoscere (*not.* §. 752.), quando vero hoc fit, honor mortuo defertur (§. 752.), quem meretur (§. 552. *part.* 1. *Jur. nat.*); honorem etiam mortuis, quem merentur, deferre debemus.

Vide quæ supra de obligatione naturali annotavimus (*not.* §. 729.) dum ostendimus, quamdiu officium laudis debeatur mortuis.

§. 754.

De honore in exequiis delato mortuis.

Honorem mortuis deferimus, si exequias comitemur. Quando enim exequiæ celebrantur, corpus mortui ad sepulchrum, vel, ubi mos est cremandi mortuos, ad rogum defertur (§. 748.). Qui adeo exequias comitantur, mortuum ad sepulchrum, vel rogum, seu eum locum comitantur, ubi conspectui vivorum subducendus, consequenter ipso facto significant, quod bene de eo existiment. Quamobrem cum in actibus externis, quibus existimatio significatur, honor consistat (§. 538. *part.* 1. *Jur. nat.*); quin honorem mortuis deferamus, si exequias comitemur, dubitandum non est.

Non

BIU Cujas

Non est, quod objicias, fieri posse, ut quis exequias comitetur, etiamsi male de defuncto existimet. Sufficit enim, nos exequias comitari posse, quia bene existimamus de defuncto. Cum non aliud hic demonstrare intendamus, quam quod comitando exequias mortuo honor deferri possit. Si quis hoc facit in eorum gratiam, qui funus faciunt, vel amicorum aut agnatorum causa, quos habet, defunctus; sane nec hi aliud intendunt, quam ut mortuo honor deferatur, quorum adeo judicio ac voluntate stamus. Fieri omnino potest, ut etiam vivis exhibeatur honor, quem non merentur, sive animo sincero, sive simulato; id tamen ipsum actum, quo exhibetur, non efficit ineptum ad honorem tribuendum. Neque abhorret a notionibus communibus, quod, quando ad exequias cohonestandas convenitur, id honori mortui imputetur. Quando enim ad eundum exequias invitamus, dicere solemus, rogari eos, qui invitantur, ut ultimum honorem exhibeant defuncto.

§. 755.

Quoniam honorem mortuis deferimus, si exequias comitemur (§. 754.), honorem vero etiam mortuis deferre debemus, quem merentur (§. 753.), ob facta scilicet ex virtutibus intellectualibus & moralibus profecta (§. 552. *part.* 1. *Jur. nat.*); *si ab iis, qui funus faciunt, vel amicis defuncti ad comitandum exequias invitamur, ac defunctus hunc honorem meretur; exequias comitari debemus, nisi justa causa impediamur.* *An invitati exequias comitari debeamus.*

Nemo adeo malus est, ut nihil prorsus in eo deprehendatur boni, & propterea in casu dubio hoc præsumitur. Quamobrem cum illud bonum, qualecunque & quantulumcunque sit, etiam agnoscere debeamus, & quod illud agnoscamus verbis ac factis declarare, quando occasio offertur, si quidem honorem alteri debitum denegare nolimus (§. 648. 538. *p.* 1. *Jur. nat.*), in casu autem dubio standum sit præsumtione; non facile dabitur casus, in quo comitatum exequiarum invitati, nec alias impediti licite denegemus, quasi defunctus indignus prorsus sit, cujus exequias præsentia nostra cohonestemus.

§. 756.

Quia honorem mortuis deferimus, si exequias comitemur (§. 754.), honorem vero etiam mortuis deferre debemus, quem merentur (§. 753.), ob facta scilicet ex virtutibus tam intellectualibus, quam moralibus profecta (§. 552. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter etiam ob beneficia nobis præstita, & amicitiam, quam nobiscum coluerunt; *mortuos exequiis spoliare non debemus, sed eas potius celebrare.* *De exequiis mortuo debitis.*

Quemadmodum hominibus omnibus non idem debetur honor; ita etiam exequiæ non celebrantur eadem pompa. Non tamen æquum est, ut quis exequiis spoliet, & instar cadaveris brutorum cadaver ipsius ad sepulchrum deferatur.

§. 757.

Quoniam exequiis nemo spoliari debet (§. 756.), exequiæ autem celebrantur, quando corpus defuncti non sine omni solennitate ad sepulchrum defertur (§. 748.); *cadaver humanum non absque omni solennitate ad sepulchrum deferendum.* *Idem porro expenditur.*

Non tamen hinc inferendum, quasi eadem solennitate mortui omnes ad sepulchrum sint efferendi: sunt enim tam in statu naturali, quam in civili rationes sufficientes diversitatis solennitatum. In statu naturali, quemadmodum in omni alio casu, ita etiam hic veritati unice litatur: in statu autem civili multum, immo plurimum dandum est opinioni, quemadmodum suo loco patebit. Exequiæ ducuntur honoris causa: non autem omnibus idem debetur honor, cum unicuique debeatur is, quem meretur (§. 648. *part.* 1. *Jur. nat.*). Honor autem verus, cui in statu naturali locus unice est, plurimum differt a civili: quam differentiam suo loco exposituri sumus. Ceterum cum homini jus sit ad omnes actus, quibus honorem alteri deferre, adeoque quanti eum faciat declarare potest (§. 159. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*); ab arbitrio quoque hominum dependet, quas honorandi mortui causa solennitates in efferendis mortuis ad sepulchrum introducere velint.

§. 758.

BIU Cujas

§. 758.

De comitatu exequiarum.

Comitatus exequiarum ad funus pertinet. Quoniam enim exequiæ consistunt in modo solenni, quo mortui ad sepulchrum, vel ubi eos cremare mos est, ad rogum deferuntur (§. 748.); comitatus exequiarum ad earundem pompam referendus. Quamobrem cum in pompa exequiarum consistat funus (§. *cit.*); comitatus earundem ad funus pertinet.

Obscurum ac difficile videri poterat, quomodo ea, quæ sunt exequiarum, ab illis distinguenda sint, quæ ad funus pertinent. Tenendum itaque est in exequiis potissimum spectari actum elationis, quatenus distinguitur ab eo, quo cadavera brutorum e conspectu nostro removentur (§. 735.), ut ex eo appareat, nos inter homines mortuos & brutorum cadavera distinguere, & quatenus amoris universalis erga homines in universum omnes indicium est (§. 737. 739.). Quæ vero actui elationis ad utrumque significandum apto præterea accedunt, ad pompam exequiarum faciunt, adeoque ad funus pertinent. Pertinent huc vestes, quibus mortui induuntur & loculo immittuntur, ipse etiam loculus & ejus ornamenta, ac alia istiusmodi pro diversis gentium moribus diversa, veluti pulsus campanarum funebris & ita porro. Unde facile patet funus multo latius patere, quam exequias, quæ in se spectatæ pompa omni destituuntur.

§. 759.

Honor humanitatis quid sit.

Honor humanitatis dicitur, qui homini defertur quatenus homo est, consequenter in *actibus consistit, quibus significamus, nos agnoscere, quod alter sit homo.*

Equidem cum honor consistat in actibus, quibus nostrum de perfectione alterius judicium significamus (§. 538. *p.* 1. *Jur. nat.*) & facta ex virtutibus intellectualibus ac moralibus profecta hominem honore dignum probent (§. 552. *p.* 1. *Jur. nat.*), dubitari poterat, num homini ea sola de causa honor aliquis deferri possit, quia homo est: attamen hoc fieri utique posse non amplius dubitabit, qui rem penitius inspicere voluerit. Datur enim perfectio naturalis hominis, qua is distinguitur a rebus omnibus aliis, quam agnoscere ac ipso facto, quod eam agnoscamus, significare utique possumus. Actus autem, quibus hoc significatur, ad honorem utique referendi, qui talis est, qualem humanitas exigit, diversus utique ab eo, qui alia de causa exhibendus, nec ipse idem est in omni casu. Commendat lex naturæ hominem homini, ut eundem tanquam seipsum (§. 632. *p.* 1. *Jur. nat.*), consequenter tanquam amore nostro dignum. Quamobrem si actibus externis declaramus, nos hominem qua hominem amore nostro dignum existimare, tum ipsi honorem exhibemus, qui humanitati deferri potest. Nec honor, qui humanitati exhibetur, repugnat notionibus communibus. Reprehendimus enim eos, qui homines alios brutorum loco habent, immo abjectius de iisdem, quam de brutis existimant, manifesto indicio, humanitatis admitti contemtum. Qui vero contemtum humanitatis admittit, is etiam honorem admittere tenetur, qui homini propter humanitatem, seu ideo, quod homo est, defertur (§. 787. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 760.

Quod sit præceptus lege naturali.

Humanitatis honorem unicuique exhibere debemus. Etenim natura homines omnes æquales sunt (§. 81. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque unumquemlibet spectare debemus tanquam æque hominem. Homines omnes amare debemus tanquam nosmetipsos (§. 632. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque eos considerare debemus tanquam amore nostro dignos. Homines denique perfectione naturali superant res creatas omnes, quod per se patet, adeoque agnoscere debemus, eos esse præstantissimos omnium creaturarum. Quoniam itaque obligamur ad actionum rectitudinem (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ad eandem vero etiam requiruntur actus externi internis consentanei (§. 80. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*); actibus quoque externis significare debemus, quod homines alios quoscunque spectemus tanquam æque homines, amore nostro dignos & omnium creaturarum præstantissimos. Quamobrem cum in his actibus consistat honor humanitatis (§. 759.); humanitatis honorem unicuique exhibere debemus.

BIU Cujas

In honore, qui humanitati debetur, non spectantur nisi ea, quæ ad humanitatem spectant, seu homini, qua homini competunt. Ne autem eundem violemus, quotiescunque nobis cum altero negotium est, probe perpendendum nobis cum eo esse negotium, quem natura nobis æqualem fecit (§. 81. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque eadem tribuit jura, quæ nobis (§. 78. *part.* 1. *Jur. nat.*), ita ut nemini prærogativa ulla competat (§. 94. *part.* 1. *Jur. nat.*), & quem amore nostro dignum declarat (§. 632. *p.* 1. *Jur. nat.*). Dum lex naturæ præcipit, ut quod jure connato tibi fieri vis, id alteri cuicunque facias (§. 102. *p.* 1. *Jur. nat.*), & ex adverso prohibet, quod jure connato tibi fieri non vis, ne facias alteri (§. 101. *part.* 1. *Jur. nat.*); honorem utique urget, qui humanitati debetur. Quibus paradoxa videntur, quæ de honore humanitati debito hic dicuntur; ex distinctis notionibus de re quacunque statuere nondum didicerunt, sed confusis notionibus intenti actus externos, quibus honoris exhibitionem sibi repræsentant, ad alienum casum transferunt, immo honorem imaginarium cum vero confundunt. Ceterum haud invitus largior, honorem, qui humanitati debetur, inter ea esse referendum, ad quæ pauciſſimi animum attendunt, etsi negari non possit, neglectum hujus officii actus humanos contaminare, quando ipsis cum aliis negotium est.

§. 761.

Quoniam honorem humanitatis unicuique exhibere debemus (§. 760.), adeoque externis actibus significare, quod agnoscamus alios esse homines (§. 759.), honor vero etiam mortuis, quem merentur, deferendus (§. 753.); *in modo, quo corpora mortuorum e conspectu nostro removemus, honorem humanitatis mortuis deferre debemus.*

De honore humanitatis mortuis deferendum in removendis cadaveribus ipsorum.

Hinc sequitur, quod supra jam ostendimus, non eodem modo cadavera humana e conspectu nostro removenda esse, quo cadavera brutorum remeventur (§. 735.). Sane gentes, quæ hoc fecere, vel hodienum faciunt, dignitatem naturæ humanæ non prospiciunt, ac seipsos ad brutorum consortium deprimunt. Agnovit dubio procul honorem hunc, qui mortuis promiscue exhibetur, dum sepeliuntur, *Cicero*, agnoverunt *Quintilianus* & *Lactantius*, qui sepulturæ officium humanitatem vocant, notante *Grotio* l. 2. c. 19. §. 1. Immo huc inprimis facit, quod apud eundem *Spartianus* tales esse sine reverentia humanitatis affirmet, qui mortuorum corpora sepeliri vetant in odium illorum. Quamdiu nimirum negare non potes, alterum esse hominem; tamdiu quoque honorem, aut si mavis reverentiam humanitatis eidem denegare non potes.

§. 762.

Funus defuncto parare ac exequias ducere eodem modo licet, sive cadaver cremetur, sive humetur, aut in crypta recondatur. Quando enim exequiæ ducuntur, cadaver defuncti non sine solennitate effertur ad eum locum, in quo e conspectu viventium removendum, & funus paratur, dum ea fiunt, quæ ad pompam exequiarum faciunt (§. 748.). Quodsi cadaver cremandum, ad rogum effertur; si vero humandum, aut in crypta recondendum, ad sepulchrum. Quamobrem facile patet, nil prorsus obstare, quo minus eodem modo ad rogum & ad sepulchrum efferatur, & eadem pompa in utroque casu. Funus adeo defuncto parare ac exequias ducere eodem modo licet, sive cadaver cremetur, sive humetur, aut in crypta recondatur.

De æquipollentia cadavera cremandi & sepeliendi.

Apud nos corpora humantur, quædam etiam in crypta reconduntur. Ponamus, ea rogo esse imponenda, ut crementur quamprimum ad eum locum delata sunt, ubi sepeliendi. Ecquis non videt, hoc fieri posse, etiamsi ea omnia facta fierint, quæ facta fuerunt, antequam ad sepulcrum deferretur cadaver. Nemo igitur dubitare potest, quin in funere parando ac exequiis ducendis nihil prorsus immutandum sit, sive cadaver sit rogo imponendum, sive humandum, aut in crypta recondendum. Funus igitur atque exequias si spectes, quoad utrumque modum mortuos e conspectu vivorum removendi nulla prorsus datur differentia.

§. 763.

Ratio eorum, quæ funeris causa fiunt.

Eorum, quæ funeris causa fiunt, ratio desumenda est ab officiis erga mortuos. Quoniam enim funus continet actus omnes, qui corporis sepeliendi, aut in genere a vi-

venti-

BIU Cujas

ventibus removendi causa fiunt (§. 748.); in parando funere satisfaciendum est officiis erga mortuos, quæ in modo cadavera humana a viventibus removendi observanda sunt (§. 735. 739. 743. 753. 754.). Quæ igitur funeris causa fiunt, cur fiant potius, quam non fiant, ex officiis istis intelligi debet. Quamobrem cum id, per quod intelligitur, cur quid potius fiat, quam non fiat, sit ratio ejusdem (§. 56. *Ontol.*); eorum, quæ funeris causa fiunt, ratio desumenda est ab officiis erga mortuos.

Si nulla essent hominis erga defunctos officia, temerarium foret parare funus & exequias celebrare, nec jure naturæ id approbari poterat, quod omnem actum temerarium damnat (§. 278. *part. 3. Jur. nat.*), ac perinde foret, quocunque modo mortui a vivis removerentur, cum modus eadem removendi præter rationem physicam non haberet aliam, nimirum ne, dum corrumpuntur, fœtore suo viventibus molestiam creent, nec sanitati nocumentum adferant. Ob hanc rationem physicam cum lex naturæ præcipiat remotionem cadaverum humanorum ex iis locis, in quibus vivi degunt (§. 733.); siquidem nulla prorsus essent erga mortuos officia: eadem nobis jus daret ad quemlibet actum, quo removeri possunt (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam vero ipsa urget officia quædam erga mortuos; ideo nec jus dat nisi ad modum removendi cadavera humana a viventibus, in quo officiis istis satisfieri potest, illum vero damnat, qui iisdem adversatur. Exequiæ igitur ac funus cum pertineant ad modum, quo cadavera humana a viventibus removenda; quæ exequiarum ac funeris causa fiunt, eorum utique ratio aliunde desumenda non est, quam ab officiis erga mortuos. Hic quidem agitur de eo, quod naturalis ratio suggerit: quæ enim religio suadet, aut jubet, ea non sunt hujus fori, attamen non contraria illis, ut, quæ ejus nomine accedunt, cum istis consistere possint, eademque firment, immo mediantibus principiis juris naturæ, quæ jam evincuntur, demonstrantur. Sane dignitatem hominis, qua nititur honor humanitatis in ipso quoque modo, quo cadavera humana e conspectu nostro tolluntur, mortuis deferendus (§. 761.), religio christiana magis conspicuam facit, & amorem illum universalem, qui in præsenti casu non negligendus (§. 739.), magis firmat. Ast ea, quæ ex principiis theologicis demonstranda sunt, Theologis discutienda relinquimus, immo relinquere debemus, ne extra oleas evagemur.

§. 764.

An cadaverum mortuorum cremare liceat.

Cadavera humana cremare ac cineres cum ossibus, si quæ supersint, condere ductis exequiis ac funere jure naturali permissum; non tamen æque commodum est ac eadem humo condere. Etenim si cadavera crementur, nulla viventibus molestia creatur, nullum sanitati periculum imminet a fœtore, quando corrumpuntur, quod per se patet. Quamobrem cum ea de causa mortuorum corpora ex iis locis, in quibus degunt, sint removenda (§. 733.); cadaverum crematione obligationi huic naturali satisfit. Enimvero lex naturæ quoque urget certa officia defuncto præstanda in modo, quo a viventibus cadaver ejus removetur, *per antea demonstrata*, adeoque dat jus ad eum modum, quo officiis istis satisfieri potest (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum defuncto funus parari ac exequiæ duci possint, si cadaver ipsius rogo impositum cremetur (§. 762.), & eorum, quæ funeris causa fiunt, ratio desumenda sit ab officiis erga mortuos (§. 763.); lex naturæ quoque dat jus ad cadavera humana cremanda & cineres cum ossibus, si quæ supersint, condendum, funere ac exequiis ductis, consequenter jure naturali hoc permissum (§. 165. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quod erat unum.*

Enimvero cum non modo magna lignorum quantitas requiratur ad corpus defuncti cremandum, cineres vero cum ossibus, si quæ supersunt eodem modo condendi, quo corpus prouti est condi potest, ac præterea multum temporis spatium requiratur, antequam comburetur, cum cadaver facillime condatur; modus cadavera humana cremandi ac cineres demum cum ossibus, si quæ supersunt, condendi non æque commodus est, ac modus eadem humandi. *Quod erat alterum.*

Constat olim apud plerosque Græcos mortuos crematos fuisse. Nostrum igitur esse duximus, ut ostenderemus, morem hunc minime adversari juri naturæ. Sumtuosus vero est in iis præsertim locis, ubi lignorum magna copia non suppetit, ac fere impossibilis efficitur, ubi lignorum magna penuria est, ut ea præter necessitatem consumenda non sint. Quamvis adeo legi naturæ per se non adversetur mos cremandi cadavera humana; non tamen propterea promiscue

BIU Cujas

scue eundem ubivis permittit, ut adeo dici nequeat eum universaliter jure naturæ approbari. Si quibus mos iste horridus videatur, id quidem inde est, quod incendiorum idea animo obversetur & apud nos in pœnam maximorum delictorum cadavera decollatorum comburi soleant.

§. 765.

De mortuorum humatione.

Mortuos humare jure naturæ permissum & modus hic eos e conspectu viventium removendi omnium commodissimus. Cum mortui humantur, corpora eorum humo teguntur (§. 744.). Quando itaque in putrefactionem abeunt, nullo fœtore inficitur aer, qui vel molestiam creare viventibus, vel eorum sanitati insidiari possit, quemadmodum diuturna experientia dudum comprobatum est. Atque adeo satisfieri potest hoc modo obligationi mortuos removendi ex iis locis, ubi sunt vivi (§. 733.). Præterea quoque exequiæ ac funus duci possunt mortuis humandis eodem modo, quo duci possunt, si cremantur (§. 762.), consequenter & in humandis mortuis satisfacere datur officiis erga eosdem (§. 763.). Quoniam itaque lex naturæ dat nobis jus ad eos actus, sine quibus obligationi naturali satisfacere nos non possumus (§. 159.), consequenter si plures fuerint, quibus eidem satisfieri potest, ad singulos; nobis utique etiam jus dat ad mortuos ductis exequiis ac funere humandos. Jure adeo naturæ permissum humare mortuos (§. 165. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) *Quod erat unum.*

Humatio mortuorum minus sumtuosa est, quam crematio, nec ceteris incommodis obnoxia, quæ crematio secum trahit: id quod per se satis patet. Est igitur modus magis commodus mortuos e conspectu viventium tollendi, quam crematio. Enimvero quoniam cadavera humana feris ac volucribus non abjicienda, nec permittendum, ut sub sole putrescant (§. 735.), neque etiam eos mandere licet, ut intra viscera nostra condantur (§. 750. 751.); non alius modus supereſt mortuos e conspectu vivorum tollendi, ut sint contra feras ac volucres tuti, quam ut vel crementur, vel humentur, aut, quod perinde est, in crypta quadam recondantur. Mortuos itaque humare est modus omnium commodissimus eos a conspectu viventium removendi. *Quod erat alterum.*

Non est quod excipias, posse quoque cadavera in fluminibus submergi. Præterquam enim quod non ubivis locorum flumina vicina sint, in quibus hoc fieri possit, me tacente abunde patet, quanta sese offerant incommoda, si facere velis, ut ideo nulla unquam gens extiterit, quæ cadavera humana fluminibus commiserit. Quodsi ergo sub dio non relinquenda, necesse omnino est, ut vel crementur, vel humo teguntur, aut, quod perinde est, in crypta quadam recondantur. Neque est, quod objicias, posse eadem muris includi: facile enim patet, hunc morem universaliter recipi minime posse. Manet igitur ratum, non dari nisi duos modos mortuos e numero viventium tollendi, quos probat jus naturæ, nimirum ut cadavera vel crementur, vel humo teguntur, modum vero posteriorem ubivis locorum ac tempore omni esse commodissimum. Ponamus ex. grat. magnam stragem dari in prælio. Facile aliquot millia hominum humo teguntur, non autem eadem facilitate tot cadavera cremantur. Idem patet, si pestilentia cæteroquin stragem det.

§. 766.

Quo jure mortui humandi.

Jure naturæ peefectivo mortui sunt humandi. Etenim humare mortuos non modo jure naturæ permissum; verum etiam hic mos omnium commodissimus mortuos e conspectu vivorum tollendi (§. 765.). Quamobrem cum lex naturæ nos obliget ad id, quod altero melius, eidem præferendum (§. 192. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), sitque hæc lex naturæ perfectiva (§. 193. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), jure naturæ perfectivo mortui sunt humandi.

Atque adeo patet, jure naturæ non tantummodo permissum esse, ut mortuos humemus; sed nos etiam ad eosdem humandos obligari, etsi dici simpliciter nequeat peccare eos, qui cremant mortuos, cum cremare quoque sit permissum, quamvis nulla prorsus adsit obligatio, ut morem istum præferamus æque licitis aliis.

BIU Cujas

§. 767.

An sepultura mortuis debita. Quoniam jure naturæ perfectivo mortui sunt humandi (§. 766.), consequenter ad eosdem humandos obligamur (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), id vero alteri debetur, ad quod faciendum eidem sumus obligati (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *humatio mortuis debetur*, cumque actus, quo humantur mortui, sepultura sit (§. 744.), *sepultura mortuis debetur*.

Sepulturam spectari debere tanquam debitam, sunt qui dubitant. Unde ipse *Grotius* eandem ad jus gentium voluntarium refert, quasi mos sepeliendi mortuos a sola hominum voluntate veniat. Contrarium tamen ex iis, quæ hactenus demonstrata sunt, patere puto. Cum nostro ævo apud plerasque gentes mortui humentur, quando de sepultura loquimur, humationem intelligimus: fit ita quod etiam mos cremandi mortuos significatu latiori sub hoc termino contineatur (§. 744.), quam jure naturæ permissam esse, etsi non debitam simpliciter, antea demonstravimus (§. 764.).

§. 768.

An detur jus sepulturæ. Quoniam ad mortuos humandos jure naturæ perfectivo obligamur (§. 766.), ex obligatione autem nascitur jus mortuis ad id, quod facere ipsis tenemur (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*); *mortuis competit jus ad sepulturam*.

Atque adeo liquet, jus sepulturæ esse jus naturale, seu quod homini natura competit, adeoque posita essentia & natura hominis ponitur, consequenter connatum est (§. 28. *part.* 1. *Jur. nat.*), ac ideo illi auferri nequit (§. 64. *part.* 1. *Jur. natur.*). An vero auferri possit in pœnam, suo loco disquirendum.

§. 769.

Fundamentum juris sepulturæ. *Jus sepulturæ humanitati debetur, seu homini ideo competit, quia homo est.* Quando enim homo sepelitur, vel prouti est cadaver conditur, vel idem crematur & cineres cum ossibus, si quæ supersunt, conduntur (§. 764.). Non igitur instar cadaverum brutorum sub dio relinquitur, ut sub sole putrescat ac feris & volucribus in pabulum cedat. Sepultura igitur distinguitur a brutis, & eadem significatur, quod agnoscamus, mortuum fuisse æque hominem, ac nos sumus, consequenter humanitatis honorem ei exhibemus (§. 759.). Quoniam itaque hominibus mortuis debetur sepultura (§. 767.); jus sepulturæ homini ideo competit, quia homo est, adeoque humanitati debetur.

Ideo nimirum homo mortuus sepeliendus, quia homo est, ne cum brutis, quæ feris ac volucribus abjiciuntur & sub sole putrescunt, in eundem censum referatur. Quamobrem nunc multo clarius patet, cur sepulturæ jus vocetur jus humanitatis. Quoniam homines mortuos sepeliendo honorem humanitati deferimus (§. 759.); in humanitatem injurii sunt, qui mortuos sepultura privant, nisi fiat in justam pœnam eorum, qui sese sepultura indignos reddiderunt, in statu scilicet civili, de quo suo loco.

§. 770.

Quinam sint sepeliendi. Quoniam jus sepulturæ debetur humanitati, seu homini ideo competit, quia homo est (§. 769.); *homines omnes sunt sepeliendi, sive fuerint amici, sive inimici, sive indifferenti in nos animo, & cujuscunque tandem fuerint conditionis*, consequenter *neminem sepultura privare debemus* (§. 64. *part.* 1. *Jur. nat.*).

Ostendimus paulo ante, neminem exequiis esse spoliandum (§. 756.). Exequiæ igitur ducendæ sunt, quando sepeliendus. Quamvis vero exequias comitando honorem mortuis deferamus (§. 754.),

BIU Cujas

(§. 754.), honorem vero mortuis, quem merentur, denegare non debemus (§. 753.); exequiæ tamen duci possunt etiam sine comitatu, utpote qui ad funus, adeoque ad pompam exequiarum pertinet (§. 758.). Humanitati debentur exequiæ (§. 757. 748.), quemadmodum sepultura (§. 769.); pompa vero earundem non in humanitate, sed in officiis aliis erga mortuos ratsonem sufficientem habet (§. 763.), adeoque eqm exequiis non inseparabiliter cohæret. Hæc igitur etsi absit, non tamen in humanitatem peccatur, consequenter necesse non est, ut omnibus hominibus non sine pompa ducantur exequiæ, nec sine ea sepeliantur. Immo quoad eandem in sepeliendis mortuis ac exequiis ducendis diversitatem locum habere posse immo debere, ex iis, quæ de officiis erga mortuos in anterioribus demonstrata sunt, intelligitur.

§. 771.

Quoniam jus sepulturæ humanitati debetur (§. 769.); *officium sepeliendi non tam homini, quam humanitati*, hoc est, *non tam personæ, quam naturæ humanæ præstatur*. *Cuinam proprie præstetur officium sepulturæ.*

Atque adeo *Senecæ* de Benef. l. 5. cap. 20. & *Quintilianus* Decl. 6. sepulturæ officium vocant humanitatem publicam, quæ scilicet universis debetur, sive fuerint pauperes, sive divites, sive plebeji, aut rustici, sive nobiles, cum natura humana conveniat singulis. Præstatur adeo mortuo a vivis tanquam naturæ consorti, ne velut probro afficiatur post mortem, si cadaver nudum destituatur. Dignitatem humanæ naturæ non perspiciunt, qui humanitatis honorem, quem diximus (§. 759.), non capiunt.

§. 772.

Quoniam jus sepulturæ omni homini competit, quia homo est (§. 769.), jus autem universale est, quod homini cuilibet competit, quia homo est (§. 13. *part.* 1. *Jur. nat.*); *jus sepulturæ jus universale est*. *Jus sepulturæ quale sit.*

Recte itaque dicitur *jus generis humani*, cumque naturæ humanæ cohæreat qua tali (§. 771.), generis humani proprium est, nec ad jus naturæ commune, hominum scilicet ac brutorum, sed ad jus hominum proprium pertinet (§. 162. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 773.

Cœmeterium dicitur locus, ubi corpora mortuorum promiscue humari solent, vel ubi sunt sepulchra. Vocatur etiam *Sepulchretum*. *Cœmeterium vel sepulchretum quid sit.*

Cœmeterium Latine dormitorium sonat, adeoque locum denotat, in quo dormitur vi originis. Scriptores adeo christiani locum publicum, in quo humantur corpora mortuorum, cœmeterium dicere maluerunt, quam sepulchretum, quia propter resurrectionem mortuorum mortem cum somno compararunt, ut adeo mortui in sepulchris quasi dormiant, donec in die extremo voce divina resuscitabuntur.

§. 774.

Naturaliter mortuum sepelire licet, ubi placuerit: introductis autem dominiis, nemo mortuum inferre potest nisi in locum proprium; in locum autem alienum mortuus inferri nequit, nisi consentiente domino. Mortuos enim sepelire debemus (§. 767.). Quamobrem cum sepeliantur, ubi humo injecta conduntur (§. 744.); officium hoc humanitatis mortuo præstatur, ubicunque sepelitur. Naturaliter adeo mortuum sepelire licet, ubi licuerit. *Quod erat primum*. *Ubi mortui sint sepeliendi.*

Enimvero cum de usu loci disponat, qui mortuum eidem infert, utpote sepulturæ eundem destinans, hoc vero jus ad dominium pertineat (§. 136. *part.* 2. *Jur. nat.*), quo dominus ceteros omnes excludit (§. 120. *part.* 2. *Jur. nat.*); nemo quoque dominiis introductis mortuum inferre potest in locum alienum, adeoque nemo eum inferre potest nisi in proprium. *Quod erat secundum*.

Quoniam tamen quilibet jus quoddam suum in alterum transferre potest voluntate

BIU Cujas

sua (§. 12. *part.* 3. *Jur. nat.*); alteri quoque permittere potest, ut in locum suum inferat mortuum. Cum tamen hoc suapte sponte facere non possit inscio ac inconsulto domino, *per demonstrata;* in locum alienum mortuum inferre non licet, nisi consentiente domino. *Quod erat tertium.*

Romanis locus dicebatur religiosus, in quem mortuus illatus fuerat l. 6. ff. de rer. div. Et *Cicerone* l. 11. de Leg. referente, ea loca, in quæ mortuus illatus fuerat, neque arari, neque coli jus fuit. Notandum tamen, quod *Celsus* monet l. 2. §. 2. de relig. non totum locum, qui sepulturæ destinabatur, religiosum factum fuisse, sed quatenus corpus humatum est. Quod vero Romani noluerint, locum sepulturæ destinatum alii adhuc usui destinari tanquam rem promiscui usus; id factum videtur ex reverentia humanitatis, mortuis in sepultura præstanda (§. 761.).

§. 775.

An cœmeteria dentur in statu naturali.

Quoniam naturaliter mortuos sepelire licet, ubicunque libuerit, introductis tamen dominiis in loco nonnisi proprio (§. 774.); cœmeterium vero locus est, qui sepulturæ mortuorum promiscue destinatur, & in quo adeo plura sunt sepulchra (§. 773.); *in statu naturali*, quo solo jure naturæ utuntur homines (§. 124. *part.* 1. *Jur. nat.*), *nulla dantur cœmeteria.*

Immo nec necesse est, ut sint cœmeteria, seu sepulchreta in statu civili, siquidem commode fieri possit, ut locum quendam in agro privato sepulturæ destinet unusquisque. Sed de eo plura dicenda erunt suo loco. Quamvis vero naturaliter mortuum humare licet, ubicunque placuerit (§. 774.); per se tamen patet, si qua loco insit ratio, quæ honori humanitatis in sepultura mortuo deferendo adversatur, eum ibidem humari non debere. Ita si quis locus destinatus sit cadaveribus brutorum; cadaver humanum ibidem humare officio sepeliendi utique contrariatur.

§. 776.

De sepulchro ut sepulchreto communi.

Dominiis introductis pluribus sepulchrum, vel sepulchretum aliquod commune esse potest. Etenim introductis dominiis non repugnat, ut plures in re indivisa dominium conjunctim habeant, adeoque communionem positivam introducant (§. 126. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum de usu rei disponere, adeoque eam sepulturæ destinare sit actus dominii (§. 135. 136. *part.* 2. *Jur. nat.*), actus vero dominii consensu omnium eorum, qui in communione sunt, efficiatur validus (§. 131. *part.* 3. *Jur. nat.*); plures locum communem unanimi consensu sepulturæ destinare possunt. Quamobrem cum locus, in quo mortuus sepelitur, sit sepulchrum (§. 746.), & locus, ubi plura sunt sepulchra sepulchretum (§. 273.); dominiis introductis sepulchrum, vel sepulchretum aliquod pluribus commune esse potest.

Sepulchrum & sepulchretum commune utique differunt. Etenim commune est sepulchrum, si eidem sepulchro plura cadavera inferuntur; aut sepulchretum commune est, si in eodem fundo plura cadavera humantur, sed unumquodque in loco peculiari, ita ut unicuique sit suum sepulchrum.

§. 777.

De officio erga seipsum respectu mortuorum.

Operam dare debemus, ut exemplis bonis defunctorum nos addamus; mala vero ne sequamur. Etenim defunctis etiam laudem, quam merentur, tribuere debemus (715.), consequenter in facta eorum, quæ ex virtutibus intellectualibus & moralibus profecta, adeoque & in ipsas virtutes intellectuales & morales, quibus præditi fuerunt, inquirere (§. 551. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum singularia sub notionibus universalibus comprehensa, quatenus ea, quæ notioni universali insunt, intuenda exhibent, exempla sint (§. 250. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), eaque bona, quibus virtutes intelle-

BIU Cujas

tellectuales ac morales docemur & ad eas incitamur (§. 929. *part.* 1. *Jur. nat.*); bona mortuorum exempla cognoscere ac nobis proponere debemus. Enimvero exemplis bonis etiam nos addere debemus (§. 931. *part.* 1. *Jur. nat.*). Operam igitur dare tenemur, ut exemplis bonis defunctorum nos addamus. *Quod erat unum.*

Exempla mala contraria sunt bonis (§. 929. *part.* 1. *Jur. nat.*). Enimvero si ad hoc faciendum obligaris, ad contrarium non faciendum simul obligaris (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam itaque operam dare debemus, ut exemplis bonis defunctorum nos addamus, *per demonstrata n.* 1. operam quoque dare debemus, ne mala eorum exempla sequamur. *Quod erat alterum.*

Fluit idem ex generali quoque obligatione cognoscendi alios, quoad animam, corpus atque statum illorum externum (§. 194. *p.* 1. *Jur. nat.*). Nimirum inquirere debemus, quænam sint perfectiones ac imperfectiones animæ & corporis statusque externi aliorum, & quemnam usum facultatum suarum faciant in illis promovendis, his vero arcendis, itemque in non usum & abusum earundem, quo illarum jacturam faciunt, in hasce vero incidunt (§. 193. *p.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum hoc etiam fieri possit, etiamsi alter fuerit defunctus; obligatio ista etiam subsistit respectu mortuorum. Quoniam vero hac cognitione non aliud intenditur, aut intendi debet, quam ut ex alieno exemplo discas, quæ facienda, quæ vitanda sint; exemplis bonis defunctorum te addere, mala vero minime sequi debes. Quantum possit cognitio aliorum in cognoscendo seipso, alibi jam monuimus (*not.* §. 193. *part.* 1. *Jur. nat.*), & quantum adjumenti adferat ad virtutis studium, abunde demonstravimus alias (§. 260. 265. *& seqq. part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Officium vero hoc erga nosmetipsos arcto admodum vinculo connexum est cum laudis officio, quod mortuis debetur, ut ab eo divelli minime possit, quemadmodum ex propositionis præsentis demonstratione liquet.

§. 778.

De imitatione mortuorum.

Quoniam operam dare debemus, ut exemplis bonis defunctorum nos addamus (§. 777.), consequenter ea faciamus, quæ recte ac bene ab ipsis facta sunt (§. 929. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque ad eadem facienda nos incitant, quæ a defunctis recte ac bene facta sunt (§. *cit.*); *exempla bona defunctorum nos excitare debent ad ea facienda, quæ ab ipsis recte ac bene facta sunt*, consequenter cum alterum imitetur, qui actionem suam ad alterius actionem conformat (§. 204. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), *defunctos in iis, quæ recte ac bene fecerunt, imitari debemus.*

Hoc pacto mortui prosunt vivis, cumque ad exempla bona aliis præbenda obligemur (§. 930. *part.* 1. *Jur. nat.*), ex sepulchro quasi nos adhortari dicendus est defunctus, ut simus imitatores ipsius.

§. 779.

In quibus mortuos imitari non liceat & de usu exemplorum malorum.

Similiter quoniam operam dare debemus, ne mala defunctorum exempla sequamur (§. 777.), consequenter ne ea faciamus, quæ minus recte ac male ab ipsis facta sunt (§. 929. *part.* 1. *Jur. nat.*), eadem vero per se ad vitia perpetranda incitant (§. *cit.*); *cavere debemus, ne exempla defunctorum nos incitent ad ea facienda, quæ ab ipsis minus recte ac male facta sunt*, consequenter cum alterum imitetur, qui actionem suam ad alterius actionem conformat (§. 204. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), *defunctos in iis, quæ minus recte ac male fecerunt, imitari non debemus, sed omni potius studio talia vitare.* Idem etiam ostendi poterat hoc modo. Exempla bona defunctorum nos incitare debent ad ea facienda, quæ ab ipsis recte ac bene facta sunt, ac in his eos imitari debemus (§. 778.). Quoniam itaque, si ad hoc faciendum obligaris, ad contrarium non faciendum obligaris (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*); *cavere* utique *debes, ne exempla defunctorum te incitent ad ea facienda, quæ, ab ipsis minus recte ac male facta sunt, nec in his eos imitari debes, sed omni studio in id eniti, ut talia vites.*

Hoc etiam pacto mortui prosunt vivis, cumque ad exempla mala non prodenda obligemur (§. 930. *part.* 1. *Jur. nat.*), ex sepulchro quasi nos dehortari dicendus est defunctus ab iis, quæ ipse minus recte ac male fecit.

§. 780.

BIU Cujas

§. 780.

De memoria bene ac recte a defuncto factorum conservanda.

Opera nobis danda est, ut memoria eorum, quæ recte ac bene fecit defunctus, conservetur. Etenim defunctum imitari debemus in iis, quæ bene ac recte fecit, & facta hæc nos incitare debent ad talia facienda (§. 778.). Per se patet, hoc fieri minime posse, nisi memores simus factorum istorum. Quamobrem opera nobis danda est, ut memoria eorum, quæ recte ac bene fecit defunctus, conservetur.

Debemus hoc officium mortuis propter nosmetipsos, ut adeo officium erga mortuos simul contineat officium erga nosmetipsos. Nimirum continet officium laudis ac famæ conservandæ, quod mortuis debemus (§. 715.), ac officium emendationis nostræ ac profectus in bono (§. 778.), immo officium quoque eidem inest erga alios, quatenus etiam aliis perinde ac nobis mortuorum exempla prodesse possunt (§. 637. *part. 1. Jur. natur.*), Officia erga nosmetipsos atque alios, tam vivos, quam defunctos, indivulso quodam nexu inter se cohærent, ita ut, si actionum rectitudinem curæ cordique habeas, non possis satisfacere uni, nisi simul satisfiat alteri.

§. 781.

De memoria defuncti conservanda.

Quoniam opera nobis danda est, ut memoria eorum, quæ recte ac bene fecit defunctus, conservetur (§. 780.), si vero facta notoria sunt, ut, quando defuncti meminimus, etiam ista memoriam nostram subeant, quod hic vel a posteriori tanquam satis cognitum sumere licet; *si facta defuncti recta atque bona notoria sint, opera saltem danda est, ut memoria defuncti conservetur.*

Ex. grat. Si quis multa beneficia accepit a defuncto, quoties meminit defuncti, toties etiam recordatur beneficiorum ab eo acceptorum. Quodsi ergo saltem det operam, ut memoria defuncti conservetur; verendum non est, ne memoria beneficiorum ab eo acceptorum deleatur. Ubi memoriam defuncti conservare studemus, tum ut eidem officium laudis debitum tribuamus (§. 715.), tum ut eundem imitemur in iis, quæ laudem merentur (§. 778.); nec verendum est, ne, dum defuncti meminimus, animum a factis ejusdem avertamus, quæ una occurrunt, atque adeo horum in nobis memoriam successu temporis deleamus, sublato nexu inter ideas personæ & factorum, sine quo una alteram resuscitare nequit (§. 117. *Psych. empir.*). Ita qui imaginem benefactoris sibi comparavit, quia ejus meminisse dulce est; conspecta imagine recordabitur beneficiorum acceptorum, nec adeo facile erit, ut nexum inter ideas personæ benefactoris ac beneficiorum ab eo acceptorum dissolvat.

§. 782.

Facta illustria quænam sint.

Factum illustre dicitur, quod eminentem, aut minime vulgarem gradum virtutis cujusdam intellectualis, aut moralis supponit. Quoniam facta a virtutibus intellectualibus & moralibus profecta laudem pariunt (§. 551. *part. 1. Jur. nat.*), adeoque magnitudo laudis a gradu virtutis intellectualis, aut moralis dependet, unde proficiscitur, *facta* vero *illustria* eminentem, aut minime vulgarem gradum virtutis cujusdam intellectualis supponunt, *vi def.* eadem quoque *laudem insignem ac minime vulgarem pariunt.*

Hinc *Cicero* conjungit factum illustre ac gloriosum. Illustre exemplum eleemosynæ est illius viduæ, quæ unicum obolum, quem habebat, dedit. Neque enim in facto illustri attenditur dignitas personæ; sed saltem gradus virtutis, qui eximius esse potest etiam in persona vilioris conditionis.

§. 783.

De usu factorum illustrium.

Quoniam *facta illustria* eminentem ac minime vulgarem gradum virtutis cujusdam intellectualis, aut moralis supponunt (§. 782.), eadem *docent, ad quem gradum virtutes*

BIU Cujas

tutes intellectuales ac morales recto facultatum humanarum usu perduci possint, consequenter *nobis incitamento sunt, ne in aliquo inferiori subsistamus, quasi ulterius progredi non detur*, adeoque *ad profectum in bono faciunt*.

Nihil frequentius est, quam ut de infirmitate humana conquerantur homines, ac propterea sibi persuadeant, ad hunc vel illum virtutis sive intellectualis, sive moralis gradum hominem pervenire non posse, sed supra vires humanas eundem positum esse. Erroris adeo sui non rectius convincuntur, quam per facta aliorum illustria. Et quamvis non omnibus eundem virtutis cujusdam sive intellectualis, sive moralis gradum attingere detur, nihil tamen intentatum relinquere debemus (§. 197. *part.* 1, *Jur. nat.*). Quinam vero usus sit philosophiæ moralis verioris in factis illustribus rite expendendis, suo constabit tempore, quando eandem pertractaverimus.

§. 784.

Quoniam facta illustria insignem ac minime vulgarem laudem pariunt (§. 782.), laudem vero alteri, quam meretur, etiam post mortem tribuere debemus (§. 715.), commemorando scilicet ejus facta (§. 541. *part.* 1. *Jur. nat.*); *facta illustria imprimis defunctorum post eorum obitum commemorare debemus*. *De factis illustribus defunctorum.*

Præcipuam laudem quis meretur propter facta illustria (§. 782.), cum ob eadem inter eos, qui eadem virtute sive intellectuali, sive morali præditi sunt, emineat, consequenter plus laudis mereatur ceteris. Ad virtutes intellectuales referuntur etiam artes cujuscunque generis, consequenter etiam opificia & artes manuariæ vilissimæ. In quacunque igitur harum si quis excellit, quod facta ipsius probant, inter homines ejusdem conditionis eminet ac laudem meretur non infimam, quod personam suam tueri noverit. Mors homines, quos natura æquales (§. 81. *part.* 1. *Jur. nat.*), fortuna inæquales fecerat, iterum æquales efficit (§. 700.). Post fata igitur non amplius quæritur, quinam quis fuerit, sed quomodo in hoc mundi theatro personam suam gesserit. Rex, qui male imperavit, nullam post fata laudem meretur; ast mendico, qui omni mendici officia adimplevit, adeoque personam suam rite gessit, sua debetur laus. Nullius laudi imputari potest, qualem personam in hoc mundi theatro gerendam ipsi tribuit inevitabile fatum: sed quando laudandus, quæritur quomodo personam gesserit. Post fata laudatur *Lazarus* in extrema egestate ac miseria Deum amans, eidem confidens, in voluntate ejus acquiescens, nec divini epuloni delitias invidens; ast non laudatur *Sardanapalus*, non laudatur *Nero*, qui imperantis munera ac officia minime executi sunt.

§. 785.

Operam dare debemus, ut factum illustrium memoria post obitum hominum conservetur. Etenim facta illustria merentur laudem insignem ac minime vulgarem (782.), & ad profectum in bono faciunt (§. 783.). Quamobrem cum non modo mortuis eam tribuere laudem debeamus, quam merentur (§. 715.), verum etiam in his eos imitari, quæ ab ipsis recte ac bene facta sunt (§. 778.), adeoque quam maxime in factis illustribus (§. 782.); operam omnino dare debemus, ut factorum illustrium memoria post obitum hominum conservetur. *De factorum illustrium memoria conservanda.*

Mors homines omnes æquales facit; sed facta, quæ infecta fieri nequeunt, & mortuos comitantur, inæquales faciunt. Quodsi ergo remotis iis, quæ fortunæ tribuenda, post fata homines consideres; fieri omnino potest, ut homo infimæ sortis præferendus sit aliis in summa fortuna natis, vel cum viverent constitutis. Facta illustria cum etiam esse possint hominum infimæ sortis, ea post fata eosdem supra alios extollunt, quos vivos fortuna in summum fastigium evexerat. Sive itaque officium laudis, quod mortuis debetur (§. 715.), sive officium imitamenti, quod tibi ipsi debes (§. 778.), spectes; alio omnino loco habendi sunt mortui, quam vivi.

§. 786.

BIU Cujas

§. 786.

De præstantia virtutis unius præ altera.

Virtus una tam intellectualis, quam moralis præstat altera, prouti ad felicitatem hominum majus adfert adjumentum, aut majorem ipsis præbet utilitatem. Quoniam enim custodia legis naturalis, adeoque beneficio virtutis (§. 321. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), felicitatem consequimur (§. 396. *par.* 1. *Phil. pract. univ.*), & conservamus (§. 397. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec sine virtute felices esse possumus (§. 400. *part.* 1. *Jur. nat.*); virtutes intellectuales ac morales sunt media felicitatem consequendi & conservandi (§. 937. *Ontol.*). Ast nemo non negabit, præstare medium istud altero, quod majus adjumentum adfert ad finem consequendum, quam quod minus. Quamobrem virtus una tam intellectualis, quam moralis præstat altera, prouti ad felicitatem hominum majus adfert adjumentum. *Quod erat unum.*

Porro virtus consistit in habitu actiones suas legi naturali conformiter dirigendi (§. 321. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) consequenter cum jus naturæ utilitati hominum consulat (§. 263. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quamvis non ex utilitate solummodo constitutum sit ab hominibus jus (§. 266. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), virtus quoque tam intellectualis, quam moralis spectari potest ac debet tanquam medium utilitatem hominum promovendi (937. *Ontol.*). Unde porro ut ante patet, virtutem tam intellectualem, quam moralem unam præstare altera, prouti hominibus majorem præbet utilitatem. *Quod erat alterum.*

Utilitas hic accipitur in ea latitudine, quam vocabulo tribuimus (§. 262. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque non restringendus est vocabuli significatus, quemadmodum in contractibus fit, ad eam utilitatem, quæ in pecunia consistit, vel pecunia æstimari potest (§. 717. *part.* 4. *Jur. nat.*). Hoc ideo monendum fuit, ne quis forsitan existimet, nos virtuti pretium ex quæstu statuere velle, dum eam alteri præstare affirmamus, quæ majorem altera hominibus utilitatem præbet. Sane jus naturæ in significatu latiori, qui a communi usu loquendi minime abhorret, etiam utile dici potest, quatenus ad felicitatem hominis omne affert adjumentum. Et ipse Apostolus in significatu hoc latiori pietatem ad omnia utilem dicit. Sed prolixum nimis foret, nec præsentis loci est, ut de utilitate virtutis disertius hic dicamus. Talia enim pertinent ad philosophiam moralem, sive Ethicam. Sufficit hic tantummodo adhuc notasse, quod facta ex eadem virtute profecta nunc pluribus, nunc paucioribus utilia esse possint: quod in præsenti attendi meretur.

§. 787.

De præstantia factorum illustrium & diversitate hinc orientis laudis.

Quoniam virtutum tam intellectualium, quam moralium una præstat altera (§. 786.), facta vero illustria ex eminente gradu virtutis cujusdam moralis vel intellectualis proficiscuntur (782.); *factorum* quoque *illustrium unum præstat altero*, consequenter cum facta quidem illustria mereantur laudem insignem ac minime vulgarem (§. *cit.*), unicuique tamen sit tribuenda laus, quam meretur (§. 648. *part.* 1. *Jur. nat.*), *factorum illustrium laudes pro præstantia eorundem differre debent.*

Jus naturæ requirit veritatem in laude, quatenus nos obligat ad actionum rectitudinem (§. 189. 80. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); nec sine ea satisfieri potest officio de laude merita unicuique tribuenda. Laus consistit non in nuda factorum recensione, sed in oratione, qua nostrum de perfectione alterius judicium significamus (§. 541. *part.* 1. *Jur. nat.*). Facta igitur illustria quando præbent materiam laudis, eorum quoque præstantia perinde ac gradus virtutis, quem supponunt, indicari debet, consequenter ea commemoranda sunt, quæ ad præstantiam facti evincendam faciunt.

§. 788.

De conservatione memoriæ factorum illustrium præstantium.

Quia factorum illustrium alia aliis præstant (§. 787.), operam vero dare debemus, ut factorum illustrium memoria post obitum conservetur (783.); *conservandæ memoriæ factorum illustrium præstantium potior esse debet cura.*

Con-

BIU Cujas

Conservatio memoriæ factorum illustrium duas habet rationes, quarum una respicit agentem, altera alios. Illa est laudis meritæ attributio, hæc vero profectus in bono. Quodsi utramque rationem perpendere libuerit, non amplius obscurum videbitur, cur factorum illustrium præstantium memoriæ conservandæ potior quædam esse debeat cura. Non vanitati servit jus naturæ, atque ideo laudem quoque unius, profectum in bono quoad alios intendit, qui, quo major est, eo magis quoque eandem urget.

§. 789.

De differentia factorum respectu aliorum.

Facta alia multis prosunt, alia paucioribus: alia præsentem tantummodo utilitatem promovent, alia vero futuræ quoque consulunt. Sumimus hæc tanquam a posteriori nota, modo animum attendere velis ad ea, quæ quotidie fiunt. E. gr. Qui artem aliquam & opificium exercet, quamvis in arte sua, vel opificio excellat, nonnisi tamen paucis prodesse potest, ac quæ facit, ea ad præsentem tantummodo utilitatem nonnullorum spectant. Qui munere ecclesiastico cum eminente laude fungitur, pluribus prodest, sed tantummodo in præsens, quamdiu nimirum vivit. Ast *Euclides*, qui elementa Matheseos puræ scripsit & in iis genuinam demonstrandi rationem conspicuam fecit, plurimis insigniter prodest, & opus ipsius ejusdem utilitatis manet in futura quævis secula, nimirum non modo utile illis, qui ad Matheseos cognitionem adspirant, quocunque fine; verum etiam omnibus, qui accuratam demonstrandi methodum curæ cordique habent, sine qua in nullo cognitionis genere veritatem intimius inspicere datur.

De hac factorum humanotum differentia disertius dicendum in philosophia morali, ubi praxis debitæ laudis ac gratiæ rependendæ officii explicanda. Ad eam vero animum attendere debemus, si officiis erga mortuos satisfacere velimus. Deprehenditur vero etiam in iis factis, quæ futuræ utilitati consulunt, multiplex adhuc differentia, non solum quoad magnitudinem utilitatis & quod ea ad plures, vel pauciores diffundatur, verum etiam quoad durationem ejusdem & quod ea humanum genus minus carere possit, quam alia. Neque ullum superesse potest dubium, quin ad omnem istam differentiam animum adverti opus sit, siquidem officia laudis ac gratiæ rependendæ mortuis rite exequi velimus. Qui animo comprehendit ea, quæ ad actionum humanarum rectitudinem requiruntur, ei nihil supererit obscuritatis, vel difficultatis.

§. 790.

De monumento sepulchrali.

Monumentum sepulchrale vocamus monumentum mortui, quo ejus corpus, vel ossa, aut, si corpora cremari mos est, cineres continentur. Quamobrem cum locus, in quo corpus mortui conditur, vel si cadavera humana cremari mos est, cineres ac ossa, si quæ reliqua fuerint, conduntur, sepulchrum sit (§. 746.); *monumentum sepulchrale sepulchrum continet*. Ideo monumentum sepulchrale sepulchrum dici solet, quamvis cum sepulchrum esse possit etiam sine monumento, & frequentius sine monumento sit, monumentum sepulchrale ab ipso sepulchro rectius distinguitur.

Sepulchrale dici solet, quicquid ad sepulchrum pertinet. Monumentum itaque, quod ad sepulchrum pertinet, recte dicitur sepulchrale. Ex. gr. Ponamus structuram fieri supra terram & ei includi loculum, in quo jacet corpus defuncti, extus vero accedere ornatum architectonicum cum statuis & imagine defuncti, nec non tabula, in qua conspicitur inscriptio in honorem ac memoriam defuncti facta: erit hoc opus monumentum sepulchrale, quia ipsum corpus defuncti in eodem continetur. Quodsi vero sepulchrum eadem structura fieret eodem prorsus, quo ante modo, cum auferri possit sepulchro salvo, quod sub humo est; monumentum sepulchrale dici non poterit, si accurate loqui velis. Quodsi ad hæc animum attendas, quæ modo dicta sunt, monumentum sepulchrale ab alio monumento mortui facile distingues, etiamsi extrinsecus non appareat differentia, nisi quatenus tabulæ affixæ eidem inscriptio docet, corpus defuncti intra hanc structuram conditum fuisse, vel traditione hujus rei notitia propagetur.

BIU Cujas

§. 791.

De cenotaphio. *Cenotaphium* dicitur monumentum mortui, quo ejus corpus vel ossa, aut, si cadavera cremari mos est, cineres non continentur. Quoniam istiusmodi monumentum strui etiam potest alio in loco, quam ubi corpus defuncti, aut, si cadavera cremari mos, cineres ac ossa, si quæ supersunt, conduntur; *cenotaphum alicui extrui potest, ubi is sepultus non est.*

Differentiam Cenotaphii a monumento sepulchrali, quod diximus (§. 790.), tradit *Florentinus* l. 42. ff. de relig. Cenotaphium vi originis sonat sepulchrum inane. Dicitur etiam subinde tumulus inanis, nec non sepulchrum honorarium, a nonnullis etiam imaginarium, quod a sepulchrali monumento non differat nisi in eo, quod illud corpus defuncti contineat, hoc minime. Ita *Svetonius* in Claudio c. 1. refert, exercitum *Druso* tumulum honorarium excitasse, cui nimirum cenotaphium extructum fuerat in Germania, cum corpus ejus Romam devectum esset.

§. 792.

Ubi & quando extrui possit. Quoniam cenotaphium non continet corpus vel ossa defuncti (§. 791.); *cenotaphium alicui extrui potest in loco quocunque, etiam a sepulchro remotissimo, & quocunque tempore ab obitu ejus elapso*, immo *eidem in pluribus locis cenotaphia excitari possunt.*

Eadem differentia inter cenotaphia & monumenta sepulchralia intercedit, quæ inter funus imaginarium & legitimum (§. 749.). Sane funus imaginarium ducere licet quocunque in loco etiam ubi quis non fuerit mortuus, & quocunque ab obitu die. Nec repugnat, ut alicui funus imaginarium ducatur in patria, qui mortuus est in loco peregrino, ibidemque sepultus, & ducto funere excitetur cenotaphium, aut, si dicere mavis, sepulchrum imaginarium struatur.

§. 793.

De oratione funebri. *Oratio funebris* dicitur, quæ habetur in funere in laudem ac memoriam defuncti. Dicitur hodie etiam in significatu strictiori *Parentatio*, quia in eadem gratia agi quoque solet iis, qui exequias comitantur eorum nomine qui easdem mortuo celebrant, vel nomine cognatorum. Quoniam facta ex virtutibus intellectualibus ac moralibus profecta laudem pariunt (§. 551. *part.* 1. *Jur. nat.*), ac facta illustria laudem insignem ac minime vulgarem (§. 782.), alterumque laudans suum de perfectione alterius, adeoque de virtutibus tam intellectualibus, quam moralibus judicium verbis significat (§. 541. 550. *part.* 1. *Jur. nat.*); *in oratione funebri commemoranda sunt facta ex virtutibus intellectualibus ac moralibus profecta, ac prædicandæ virtutes, ex quibus ista profecta.* Quoniam vero oratio funebris etiam habetur in memoriam defuncti; *in eadem* quoque *commemoranda sunt fata defuncti.* Cum denique mortuos in bono imitari debeamus (§. 778.); *orationi funebri inserenda quoque sunt, quæ ad imitationem eorundem faciunt.*

Mores Romanorum in funerandis mortuis diversi fuerunt a nostris, qui nec ubivis iidem sunt. Peragebatur illarum moribus sacrificium, quod humanum appellat *Festus*, & hoc sacrificium *Justorum* nomine veniebat. Unde funus ducere & justa facere conjungit *Ulpianus* t. 2. ff. de in jus voc. Qui parentibus vita defunctis justa persolvebat, sacrificando nimirum ipsorum manibus, parentare dicebatur. Postea tamen vocabulum latiorem significatum accepit, ut parentare etiam diceretur, qui avorum, majorum aliorumque manibus sacrificaret. Inconstantia tamen loquendi nec apud Romanos fixum ac determinatum satis admisit significatum illarum vocum, quibus usi sunt ad significandum diversos actus in humatione mortuorum fieri solitos. Verba igitur Romanorum ad mores nostros humandi mortuos propter aliquam analogiam, vel quatenus alii actus in locum aliorum successerunt, tantummodo aptari possunt. In Jure naturæ ad nullos

BIU Cujas

nullos prorsus gentium mores respicimus: sed ea saltem tradimus, quæ ex officiis erga mortuos eodem jure præscriptis demonstrari possunt: unde judicium deinde fieri debet de moribus humandi mortuos gentibus usitatis. Necesse igitur est, cum nova fingere vocabula non liceat, vocabulis apud Romanos in præsenti negotio usurpatis tribuere significatum ad denotandum eos actus, quos Jus naturæ approbat, propter analogiam quandam, seu convenientiam, eumque fixum, quem solum admittit methodus nostra. Quodsi ergo orationem funebrem appellare velis parentationem, aut hanc ab illa distinguere, tuo per nos abundabis sensu. Si quis vero circa vocabula litem nobis intendere velit, eam nostram non facimus. Nobis sufficit, quod vocabulis utamur in eo significatu, quem ipsis tribuimus, ut a quocunque intelligi possimus. Ad orationem autem funebrem vi Juris naturæ alia non requiruntur, quam ea, de quibus oratori dicendum esse ostendimus. Principia hic tradimus generalia, quæ æternæ sunt veritatis, ac ubivis valent, aut valere debent, & quamvis ea hic insuper habeamus, quæ a religione veniunt, hæc tamen, quatenus vera sunt, vel tanquam vera sumuntur, iis non repugnant, aut repugnare non debent.

§. 794.

Ceremoniæ funebres dicuntur, quæ in funeratione adhibentur. Quoniam ceremoniæ sunt signa eorum, quorum in executione propositi alicujus meminisse debemus (§. 442. *part. 2. Phil. pract. univ.*); *ceremoniæ funebres nobis in memoriam revocare debent ea, quorum meminisse debemus, quando funus ducitur ac mortui corpus humo conditur, seu quando mortuus sepelitur, vel memoriæ imprimere ea quorum posthac meminisse debemus.* *Ceremoniæ funebres.*

Retinemus vocabuli significatum, quem in genere eidem tribuimus loco citato, eumque laxiorem, cum ceremoniæ alias dicti tantummodo fuerunt ritus sacri: unde in significatu hoc laxiori ceremoniæ distinguendæ sunt in sacras atque profanas. Apud christianos ceremoniæ funebres a religione ortum recte ducunt, non tamen apud omnes in principiis quamvis consentientes eædem sunt. Immo inter Protestantes alii ceremonias funebres damnant & ad superstitionem referunt, quibus alii sine offendiculo utuntur. Præcipitantur autem judicia, quod non ex notione distincta ceremoniarum, qua vel destituuntur, vel ad quam animum non attendunt, de iisdem judicent. Quodsi vero ea tibi perspecta fuerint, quæ de ceremoniis prolixe demonstravimus (§. 443. *p. 2. Phil. pract. univ.*), in iis trutinandis haud facile a vero aberrabis, modo scilicet non sis ignarus principiorum religionis, si in iisdem rationem habeant (§. 56. *Ontol.*). Ex. gr. In patria mea, quæ Uratislavia est, quando funus ducitur, arcæ, cui corpus defuncti inclusum, præferuntur candelæ cereæ accensæ in altitudinem elatæ. Constat christianos credere, quod animæ pie defunctorum cum Deo agant, apud quem nullæ sunt tenebræ, ac cognitione ipsius intuitiva frui, seu videre Deum, qui est. Hujus status animæ post mortem meminisse debemus, non una de causa in quam jam inquirere non vacat, quando mortuum ad sepulchrum efferri videmus ac perpetuis quasi tenebris immergi. Quidni igitur liceat sine superstitione & absque temeritate præferre mortuo, dum funus eidem ducitur, ducuntur exequiæ, candelas cereas accensas ad significandum statum ejus post mortem, quem pie defunctum præsumimus, in usum eorum, qui exequias comitantur aut spectatorum numero sunt? Et quidni candelas istas in altum extollere liceat, ut ab omnibus spectari possint? Quodsi excipias ceremoniam destitui hoc effectu; id tribuendum est culpæ hominum, qui usum, quem habere debent, facere negligunt, minime autem hinc inferre potes, ipsam ceremoniam esse temerariam, aut ineptam, aut ridiculam, aut superstitiosam. Meminisse status futuri, quoties videmus mortuum ad sepulchrum efferri, nemo christianorum reprehendet, cum ad profectum in pietate faciat ejus memoria, quavis adeo occasione renovanda. Ad eam renovandam cum faciat ceremonia, de qua diximus; ecquis jure eandem reprehendere poterit? Tum demum ceremonia superstitiosa dici potest, si erronea de Deo opinione nitatur (§. 1255. *p. 1. Jur. nat.*): id quod de præsenti dici minime potest. Non potest dici temeraria, cum sine, qui recte intenditur, non destituatur (§. 277. *part. 3. Jur. nat.*): nec dici potest inepta, cum ex ipso negotio, in quo adhibetur, possit reddi ratio, cur candelis accensis & in altum elatis ad significandum statum defuncti post mortem utamur (§. 483. *p. 2. Phil. pract. univ.*): multo minus autem ridicula dici potest, quasi adhibeantur candelæ accensæ ad monstrandum mortuo viam, qua sit eundum, cum nemo sanus de eo vel per somnium cogitaverit. Unicum hoc exemplum satis clare docet, quomodo ceremoniæ in funere ac sepultura passim obviæ sub incudem sint revocandæ.

BIU Cujas

§. 795.

Quibus-nam monumenta sepulchralia & cenotaphia extrui possint.

Quorum facta illustria præstantia multis profuerunt, ac inprimis posterorum quoque utilitatem promovent; iis monumenta sepulchralia ac cenotaphia extruere licet. Curæ nobis esse debet, ut factorum illustrium præstantium memoria conservetur (§. 788.), illorum præsertim, quæ posterorum utilitatem promovent, ac mortuis honorem, quem merentur, deferre debemus (§. 753.). Quamobrem cum per monumenta mortuorum memoria posteris commendetur (§. 747.), ac inter monumonta ista emineant sepulchralia ac cenotaphia (§. 790. 791.), quæ non cuivis extrui posse per se patet, mortuis vero deferatur honor, quando facto quodam declaramus, nos facta ipsorum ex virtutibus intellectualibus ac moralibus profecta agnoscere (§. 752.); monumenta sepulchralia ac cenotaphia sunt media apta non modo conservandi memoriam factorum illustrium præstantium, quæ multis profuerunt, ac inprimis posterorum quoque utilitatem promovent, verum etiam honorem meritum iis deferendi, qui adeo præclare de aliis meriti sunt. Quoniam itaque lex naturæ dat nobis jus ad istiusmodi actus, sine quibus obligationi nostræ naturali satisfacere non possumus (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); nobis etiam dat jus ad exstruendum monumenta sepulchralia & cenotaphia iis, quorum facta illustria præstantia multis profuerunt, ac inprimis posterorum quoque utilitatem promovent.

Monumenta mortuorum plurimum differre posse, nemo est qui nesciat. Sunt quædam sumtuosa & magnifica, ad quæ referenda monumenta sepulchralia & cenotaphia. Hæc omnino decent eos, quorum facta illustria præstantia sunt, quique de multis optime meriti sunt, ac ipsorum posterorum etiam post obitum utilitatem promovent. Hi sunt, quorum præclara in Remp. aut humanum genus extant merita. Sed quæ statui civili conveniunt, hoc loco doceri nondum possunt, ubi ultra ea non progredimur, quæ in statu naturali locum habent. Facile autem patet ad monumenta sepulchralia & cenotaphia excitanda nos minime obligari, cum alia etiam dentur monumenta, quibus memoriæ ac honori eorum consulimus, quorum merita in alios eminent. Naturaliter saltem nobis competit jus monumenta sepulchralia & cenotaphia excitandi, siquidem commodum ac utile visum fuerit. Atque adeo nobis demonstrandum fuit, quonam in casu jus istud competat, ne quid fiat, quod jure naturali parum convenit, & ne vanitati tribuantur, quæ jure fiunt. Quemadmodum vix res ulla datur, qua non abuti possis; ita nec monumenta sepulchralia & cenotaphia ab abusu sunt remota. Quodsi vero ea perpendere libuerit, quæ hic demonstrantur, usus ab abusu facile discernetur. Non datur monumentum præstantius, quod in gratiam mortui extrui potest, quam monumentum sepulchrale ac cenotaphium, quod istud æmulatur. Atque adeo intelligitur, istiusmodi monumentum nonnisi iis extruendum esse, qui ab aliis hominibus ejusdem conditionis ob eminentia merita sunt distinguendi. Nisi enim rariora manerent, utique vilescerent, nec amplius eum habere possent usum, quem habere debent.

§. 796.

Cur addenda sint epitaphia.

Quoniam monumenta sepulchralia & cenotaphia iis extruenda, qui factis illustribus ac multis, ipsis etiam posteris, adhuc utilibus eminent (§. 795.), monumentis vero istis factorum illorum memoria conservanda (747.); *monumentis sepulchralibus ac cenotaphiis addenda est tabula, in qua facta mortui illustria extantia breviter indicanda.* Quamobrem cum inscriptio in monumentis in laudem ac memoriam defuncti facta sit epitaphium (§. 747.); *monumenta sepulchralia ac cenotaphia epitaphiis destitui non debent.*

Facile patet, breves esse debere istiusmodi inscriptiones: sed paucis multa dici possunt etiam per sola epitheta. Immo si in historicorum monumentis conservatur memoria factorum, subinde nomen solum sufficere videtur una cum iis, quæ personam ab aliis distinguunt (§. 781.), cum facta tum æquiparentur notoriis.

§. 797.

BIU Cujas

§. 797.

De jure erigendi monumenta & epitaphia.

Monumenta & epitaphia excitare licet iis, qui multa bene ac recte fecerunt, seu qui laudem merentur præ aliis. Etenim eorum, quæ bene ac recte fecit defunctus, memoria ut conservetur, opera nobis danda (§. 780.), eumque imitari debemus (§. 778.). Quoniam itaque monumenta & epitaphia memoriam eorum, quæ quis bene recte fecit, conservant (§. 747.), eaque ad imitamentum nos excitare potest (§. 204. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), lex autem naturæ dat nobis jus ad ea, sine quibus obligationi nostræ naturali satisfacere non possumus (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); eadem quoque dat nobis jus ad excitandum monumenta & epitaphia iis, qui multa bene ac recte fecerunt, consequenter excitare licet (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Ostenditur etiam hoc modo. Unicuique etiam post fata tribuere debemus laudem, quam meretur (§. 715.). Quamobrem cum monumenta & epitaphia faciant ad laudem defunctorum (§. 747.); inde porro ut ante patet, monumenta & epitaphia iis excitandi jus nobis esse, qui multa bene ac recte fecerunt.

Monumenta & epitaphia excitare iis, qui multa bene ac recte fecerunt, seu laudem merentur præ aliis, non obligamur, sed tantummodo jure facere possumus. Quamobrem non opus est, ut promiscue omnibus, qui laudem aliquam merentur, monumentum aliquod, vel epitaphium excitetur; sed si jure nostro uti velimus, quemadmodum debemus, iis potissimum excitare debemus, quorum sunt multa bene ac recte facta, seu qui insignem aliquam laudem merentur. Ita præstando mortuis officium simul non desumus officio erga nosmetipsos atque alios vivos, quibus exempla mortuorum sunt incitamentum ad imitamentum (§. 778.). Facile adeo patet, quandonam monumenta & epitaphia mortuis excitari consultum sit, si juxta mortuos etiam vivorum rationem habeamus.

§. 798.

Idem porro expenditur

Benefactoribus suis monumenta & epitaphia excitare licet. Etenim benefactoribus etiam post fata animum gratum exhibere debemus (§. 721.), adeoque etiam eundem non modo verbis, sed & facto declarare. Quamobrem cum facto declaremus animum gratum in benefactores, si monumenta & epitaphia in signum animi grati iisdem excitemus, lex vero naturæ det nobis jus ad ea, sine quibus obligationi nostræ satisfacere non possumus (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); benefactoribus nostris monumenta & epitaphia excitandi jus nobis competit, adeoque iisdem excitare licet.

Non opus est, ut promiscue benefactoribus excitemus monumenta, vel epitaphia, cum alii adhuc dentur modi, quibus animum gratum in eos etiam post fata declarare valemus: immo nec semper fieri potest, ut in signum animi grati id faciamus. Modus significandi animum gratum per monumenta & epitaphia est maxime illustris, adeoque pro extraordinario habendus, ut adeo insignia supponat beneficia in nos a defuncto collata. Quando vero hoc modo animum gratum in defunctum præstare volueris; necesse est ut monumento inscribatur aut epitaphio inferatur, monumentum hoc, vel epitaphium fuisse excitatum in signum animi grati, subscripto nomine tuo.

§. 799.

Quibusnam potissimum monumenta vel epitaphia excitanda.

Quoniam parentes sunt benefactores maximi liberorum suorum, quod hic sumimus, alibi demonstrabimus, mortuus vero est benefactor ejus, in quem morte sua dominium rerum suarum & jura ad rem, vel in re sibi competentia transmittit (§. 741.), benefactoribus autem suis monumenta & epitaphia excitare licet (§. 798.); *liberi parentibus & ii, in quos morte sua dominium rerum suarum & jura ad rem, vel in re sibi competentia transmittit defunctus*, hoc est, *hæredes ejus, ipsi monumentum, aut epitaphium erigere possunt.*

Dico

BIU Cujas

Dico erigere posse, non vero erigere debere. Ratio patet tum ex iis, quæ ad propositionem præcedentem (*not.* §. 798.), tum quæ ad anteriores (*not.* §. 795. 796.) annotata sunt. Dum vero monumentum vel epitaphium extruimus in signum animi grati, eo ipso significamus animum bonum bono referendi, seu gratiam rependendi.

§. 880.

Cuinam oratio funebris haberi possit.

Oratio funebris omnibus haberi potest, qui laude aliqua ac imitatione digni sunt, aut singularia fata experti. Etenim alteri quoque post mortem laudem, quam meretur, tribuere debemus (§. 715.), & eos in bono imitari debemus (§. 778.). Ac nemo est, qui nesciat, quod fata singularia, quæ quis expertus est, non uno modo faciant ad profectum in bono: prouti suo tempore ex Philosophia morali clarius elucescet. Quamobrem cum in oratione funebri commemoranda sint facta, quæ ex virtutibus intellectualibus ac moralibus profecta (§. 793., adeoque defuncto laus, quam meretur, tribuatur (§. 541. *part.* 1. *Jur. nat.*), eaque recenseantur, in quibus ipsum imitari debemus (§. 778.), ac præterea fata singularia, quæ per omnem præsertim vitam suam expertus est (§. 793.); oratio funebris haberi potest omnibus, qui laude aliqua ac imitatione digni sunt, aut singularia fata experti.

In Jure naturæ omnia referuntur ad officia. In oratione itaque funebri spectanda sunt, quæ pertinent ad officium erga defunctum & ad officia erga vivos respectu defuncti. Defunctis debetur officium laudis (§. 715.); vivorum est imitari defunctos (§. 778.), cumque fatorum alienorum, præsertim singularium, seu non quotidie obviorum notitia multis modis prodesse nobis possit, fata defunctorum singularia contemplari & ad eum usum transferre eorundem notitiam, quem suo tempore passim in Philosophia morali tradituri sumus. Ratio igitur orationis funebris habendæ est meritum laudis ac imitamenti fatorumque singularitas. Quodsi adeo defunctus nulla laude dignus, nec ea sint ejus facta, quæ imitari debemus, neque fata, quæ expertus est, singulare quid habeant; cessat ratio orationis funebris, de qua in præsenti demonstratur, quid Juri naturæ circa eam conveniat, non quid moribus. Mores enim plurimum haud raro abire solent ab eo, quod Juri naturæ consentaneum, etsi eidem conformari deberent. Et quamvis moribus vivatur juxta illud pervulgatum: Si fueris Romæ Romano vivito more; ita tamen moribus vivendum, ne quid a nobis committatur, quod Juri naturæ seu officiis repugnet. Neque adeo hoc obstat, quo minus necesse sit, ut etiam in iis, in quibus mores dominantur, cognoscamus, quæ Juri naturæ consentanea sint. Nullus tamen dubito fore, ut, quæ de oratione funebri hic demonstrantur, modo satis ea perspexeris, quæ de officiis erga mortuos & respectu mortuorum erga nosmetipsos ac alios simul ostendimus, usui quoque sint oratoribus funebribus. Quamvis enim hic quoque standum sit moribus, iisdem tamen præceptis Juris naturæ eos temperare possunt ac debent, siquidem recte esse debet oratio funebris. Lex naturæ, quæ nos in genere ad actionum rectitudinem, seu ad recte agendum obligat (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), rectitudinem quoque exigit in oratione funebri, nec fert defectum rectitudinis, vel ex parte intellectus, vel voluntatis ac noluntatis, vel etiam locomotivæ facultatis. Quamobrem orator funebris observare utique tenetur, quæ de materia orationis præcipit lex naturæ, ne adsit defectus aliquis ex parte intellectus; observare quoque debet, quæ de officiis erga mortuos tam positivis, quam negativis demonstrata sunt, ne quid desiderari possit ex parte voluntatis. Jus adeo naturæ instruit intellectum, rectificat voluntatem ac noluntatem oratoris, ne mores ac præcepta artis oratoriæ eundem in transversum agant. Insunt hisce, quæ de oratione funebri modo diximus, principia generalia ad alia quævis negotia humana applicanda, ad quæ animum attendi utile est.

§. 881.

Quotuplices esse possint ceremoniæ funebres.

Ceremoniæ funebres tam ceremoniæ de præsenti, quam de futuro esse possunt. Etenim ceremoniæ funebres nobis in memoriam revocare debent ea, quorum meminisse debemus, quando funus ducitur ac corpus mortui humo conditur, vel memoriæ imprimere ea, quorum posthac meminisse debemus (§. 794.). Enimvero ceremonia de præsenti est, quæ nobis in memoriam revocat quidpiam, cujus nunc meminisse debemus, vel etiam in determinationem actus præsentis quomodocunque influit, de futuro autem ceremonia est, quæ nobis memoriæ infigit quidpiam, cujus posthac recordari debemus

BIU Cujas

bemus (§. 491. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Ceremoniæ itaque funebres tam ceremoniæ de præsenti, quam de futuro esse possunt.

Propositioni huic ideo hic locum facimus, ut ad funebres etiam ceremonias applicari possint, quæ de ceremoniis de præsenti ac de futuro alibi demonstravimus (§. 492. & seqq. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), ne opus sit eadem hic repeti, aut denuo in casu particulari demonstrari.

§. 802.

Ceremoniæ funebres aptæ ac convenientes esse debent. Quodsi enim in ceremoniis nihil desiderari debet quoad significatum earundem determinandum, aptæ ac convenientes esse debent (§. 488. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum lex naturæ urgeat ceremoniarum rectitudinem (§. 500. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), adeoque exigat, ne in imponendo significatu, qui ceremoniam facit (§. 481. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), quicquam desiderari possit ex parte intellectus, voluntatis ac noluntatis (§. 79. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ceremoniæ autem funebres sint ceremoniæ (§. 794.), nec in ceremoniis adeo funebribus quicquam quoad significatum earundem determinandum desiderari debeat; ceremoniæ utique funebres aptæ ac convenientes esse debent. *Quales esse debeant.*

Differentiam inter ceremoniam aptam & ineptam, convenientem ac inconvenientem alibi exposuimus (§. 483. 485. *part.* 3. *Phil. pract. univ.*), & quænam ad convenientiam ac aptitudinem requirantur, demonstravimus (§. 486. 487. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Ad ea igitur recurrendum, ubi ceremoniæ funebres instituendæ, vel abrogandæ, vel de iis, quæ usu receptæ sunt, judicium ferendum. Abiit itaque ut tibi persuadeas, nonnisi cum nominibus hic nobis rem esse.

§. 803.

Ceremoniæ funebres universales sunt, quæ in omni funeratione adhiberi possunt: aut *singulares*, quæ personam mortui in singulari respiciunt. Quoniam ceremoniæ nobis in memoriam revocare debent ea, quorum meminisse debemus, quando funus ducitur ac cadaver sepulchro infertur (§. 794.); *ceremoniæ universales significare nequeunt nisi ea, quæ de morte hominum in genere tenenda & quæ ad executionem officiorum erga mortuos atque erga nosmetipsos respectu mortuorum faciunt, particulares* vero *merita singularia ac fata defuncti significare possunt*. *De ceremoniis universalibus & singularibus.*

Indicare lubet fontes ceremoniarum funebrium, siquidem rationales, hoc est, aptæ ac convenientes esse debeant, quales probat Jus naturæ (§. 802.). Christiani longe alia de morte hominum tenent, quam quæ rationi obvia sunt. Eorum adeo ceremoniæ doctrinæ suæ conformes esse debent. Quoniam Deus in omnibus actionibus colendus (§. 1124. *part.* 1. *Jur. nat.*); ipsi etiam Juri naturæ convenit, ut colatur in exequiis & sepultura mortuorum. Christiani vero suo eundem colunt modo. Quamobrem in ceremoniis funebribus generalibus habenda quoque ratio est eorum, quorum cultus hujus gratia meminisse debemus & quæ in determinationem actionum ad eundem pertinentium influunt.

§. 804.

Quoniam ceremoniæ ea nobis in memoriam revocant, quæ de morte hominum tenenda & quæ ad executionem officiorum erga mortuos & erga nosmetipsos tespectu mortuorum faciunt (§. 803.), ceremoniarum vero institutio legi naturali conformis, si ad bene & recte agendum prosunt (§. 501. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), & lex naturalis nobis dat jus ad eas instituendas (§. 503. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), *quin jure naturali ceremoniæ funebres instituí possint, dubitandum non est*. *An naturaliter liceat ceremonias funebres instituere.*

Vulgo non agnoscitur, ceremonias legi naturæ subesse, sed pro indifferentibus habentur, quas lex ista prorsus intactas relinquit. Enimvero qui ita sentiunt amplitudinem Juris naturæ non prospiciunt, sed arctis nimium limitibus idem constringunt. Lex naturæ non modo nobis

BIU Cujas

bis dat jus ad ceremonias instituendas, verum etiam earundem institutionem regit. Inde est, quod non omnes probari possint, quod aliæ aliis sint præferendæ & quædam prorsus rejiciendæ, adeoque detur juris illius tam abusus, quam usus, quorum iste ceremoniam facit illicitam. Puto hoc abunde patere ex theoria generali, quam de ceremoniis tradidimus (§. 442. *& seqq. part. 2. Phil. pract. univ.*), & ex hisce quoque liqueret, quæ de funebribus in specie nunc dicta sunt. Plurimum falluntur, qui sibi persuadent, ceremonias funebres esse superfluas ac homines mortuos absque omni ceremonia esse sepeliendos.

§. 805.

De naturali libertate quoad ceremonias.

In statu naturali unicuique jus est ceremoniis funebribus utendi, quibus uti libuerit. Etenim lex naturæ dat hominibus jus ad ceremonias funebres instituendum (§. 804.). Enimvero natura homo omnis liber est (§. 146. *part.* 1. *Jur. nat.*), & vi libertatis naturalis permittendum, ut unusquisque in determinandis actionibus suis suum sequatur judicium, quamdiu contra jus tuum nil facit (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cuilibet quoque permittendum est, ut, quando funus mortuo suo parat & exequias ducit, iis utatur ceremoniis, quibus uti voluerit. In statu itaque naturali unicuique jus est ceremoniis funebribus utendi, quibus uti libuerit.

Quoniam nemo hominum habet jus sine ulla restrictione faciendi, quod libet (§. 148. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec libertas tollit obligationem naturalem (§. 159. *part.* 1. *Jur. nat.*); nec in statu naturali jus ceremoniarum funebrium eousque extendi potest, ut eæ sine omni discrimine recte adhibeantur. Cum enim jus naturæ ceremoniarum quoque institutionem regat (§. 804.); in statu quoque naturali unicuique perpendendum, quid hoc jure fieri debeat, vel conveniat. Ceremoniæ igitur ineptæ, inconvenientes, absurdæ ac superstitiosæ non minus repeehenduntur, quam in statu civili. Horum statuum diversitas nihil variat in judicio de ceremoniis ferendo. In statu tamen naturali permittendum, ut alter in electione ac usu ceremoniarum suo stet judicio (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec is rationem reddere ulli tenetur, cur hisce ceremoniis uti velit, si vel maxime sint improbandæ (§. 158. *p.* 1. *Jur. nat.*), quemadmodum ipse quoque liberum unicuique relinquere debet, ut de ceremoniis, quibus uti eidem libuit, judicent, quemadmodum unicuique visum fuerit, modo judicium non sit cum injuria erga utentem conjunctum (§. 156. 886. *p.* 1. *Jur. nat.*). Quemadmodum libertas naturalis actiones hominis subducit voluntati alterius (§. 152. *part.* 1. *Jur. nat.*), non vero legi naturæ (§. 166. *p.* 1. *Jur. nat.*); ita quoque jus ceremoniarum funebrium unicuique in statu naturali competens id tantummodo operatur, ne in iis stare quis teneatur voluntate alterius, ac ab aliis permittendum sit, ut iis utatur, quibus uti voluerit, ceteris conscientiæ ejus relictis (§. 157. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 806.

Ceremoniis singularibus ubi nam sit locus.

Quoniam in statu naturali unicuique jus est ceremoniis funebribus utendi, quibus uti libuerit (§. 805.), ceremoniæ autem singulares personam mortui in specie respiciunt (§. 803.); *in statu naturali ceremoniis singularibus locus est.*

Si tibi liberum non est ceremoniis funebribus uti, quibus volueris; nec in eorum significatu respicere potes ad merita vel fata personæ defuncti; sed ut hoc fieri possit, necesse omnino est, ut in iis non dependeas a voluntate alterius, qua certæ ceremoniæ funebres præscriptæ sunt, pro lubitu tuo non immutandæ. Equidem non repugnat, ut in statu quoque civili libertas naturalis quoad ceremonias funebres vel prorsus non, vel non tota restringatur; vix tamen consultum est, ut hoc promiscue fiat. Quamobrem ceremoniis singularibus semper quidem locus est in statu naturali; non tamen hinc inferre licet, quod nullus prorsus locus eidem esse possit etiam in statu civili.

§. 807.

Ritus in genere & funebres in specie quid sint.

Rituum nomine in genere veniunt, quæ ab actu quodam abesse possunt, moribus tamen in eodem recepta sunt. Hinc *Ritus funebres* dicuntur, quæcunque moribus inducta sunt in sepeliendis mortuis, sine quibus tamen sepeliri possunt.

Ita

BIU Cujas

Ita ex. gr. comitatus exequiarum est ritus funebris, cum sine eo in sepulchrum honesto modo inferri possit mortuus. Similiter pulsus campanarum, dum funus & exequiæ ducuntur, est ritus funebris, cum sine isto funus ac exequiæ duci possint. Ad ritus etiam refertur oratio funebris, & quæ sunt hujus generis alia.

§. 808.

De discrimine rituum & ceremoniarum.

Quoniam ad ritus referendum, quicquid in sepeliendis mortuis introductum, sine quibus tamen sepeliri possunt (§. 807.), ceremoniæ autem funebres non alio fine adhibentur, quam ut nobis in memoriam revocent, quorum meminisse debemus quando funus ducitur ac corpus mortui humo conditur (§. 794.), adeoque ab hoc actu abesse possint; *ceremoniæ funebres moribus introductæ in numero rituum sunt*: quia tamen non omnia, quæ moribus in humandis mortuis introducta sunt, significatum quendam habent, quemadmodum ceremoniæ (§. *cit.*), *ritus* quoque *omnes non sunt ceremoniæ, sed ceremoniæ tantummodo sunt ritus significativi.*

Equidem vulgo ritus ac ceremoniæ non distinguuntur, sed promiscue tanquam synonyma usurpantur: in Jure tamen naturæ consultum est, ut a se invicem distinguantur, cum non eodem modo de ceremoniis, quemadmodum de ritibus alibi sit ratiocinandum. Immo ceremoniæ arctioribus limitibus constringuntur, quam ritus alii, in quibus arbitrium humanum liberius dominatur, cum hominum opinio actioni cuidam tribuere possit valorem, quem per se non habet. Ita ex. gr. honori mortui impuratur pulsus campanarum, in quo tamen per se honorem consistere non posse patet (§. 538. *p. 1. Jur. nat.*), opinio tamen pulsum campanarum efficere potest modum mortuo honorem deferendi.

§. 809.

Quales esse debeant ritus.

Ritus funebres non esse debent temerarii; sed officiis erga mortuos convenientes, aut etiam officiis erga nosmetipsos respectu mortuorum. Quoniam enim nil temere faciendum (§. 278. *part.* 3. *Jur. nat.*); nec ritus funebres temerarii esse debent. *Quod erat unum.*

Enimvero quod temere non fit, certo fine fieri debet (§. 277. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem etiam ritus funebres certo fine fieri debent. Quoniam ritus accedunt ad humationem mortuorum, a qua abesse possunt (§. 807.), eorum autem, quæ funeris causa fiunt, ratio desumenda est ab officiis erga mortuos (§. 763.), ritus funebres alio fine fieri non debent, quam ut officiis erga mortuos satisfaciamus, cumque defunctos imitari debeamus in iis, quæ recte ac bene fecerunt (§. 778.), quin præterea per ritus etiam intendi possit hic finis, dubitandum non est. Patet itaque ritus funebres officiis erga mortuos, aut etiam officiis erga nosmetipsos respectu mortuorum convenientes esse debere. *Quod erat alterum.*

Quodsi ergo ea perpendere velis, quæ de officiis erga mortuos in anterioribus demonstrata sunt; tum etiam ea, quæ de officiis erga nosmetipsos respectu mortuorum dicta; de ritibus haud difficulter judicium feres. Et quamvis jam antea (*not.* §. 808.), monuimus, in ritibus multum dari posse opinioni; necesse tamen est, ut hæc quoque ad officia ista referatur, siquidem jure naturæ permissum esse debet, ut eidem pareamus. Exemplo esse potest pulsus campanarum, quem, ut modo diximus, opinio fecit modum mortuo honorem deferendi.

§. 810.

An homines nudi sint sepeliendi.

Homines non sunt sepeliendi nudi, sed veste quadam induti aut linteo aliquo involuti. Etenim in sepultura, quam humanitati debemus (§. 771.), cadaver humanum distinguendum est a cadaveribus brutorum (§. 735.). Quamobrem cum cadavera brutorum abjiciantur, prouti sunt, immo pellis detrahatur, quæ vestimenti loco est; mortuos sepulchro inferre, quales in lucem editi sunt, non convenit, consequenter iisdem nudi sepeliendi non sunt. *Quod erat unum.*

BIU Cujas

Enimvero veſtimenta, quæ natura homini nulla dedit, ars parat, non modo adverſus injurias tempeſtatum corporis muniendi (§. 445 *part.* 1. *Jur. nat.*), verum partium obſcœnarum velandarum cauſa inventa ſunt. (§. 448. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum homines in eo a brutis diſtinguantur, quod veſtibus induti incedant, aut partes ſaltem obſcœnas velare ſoleant; cadaver humanum cadaveri brutorum æquiparari videtur, ſi nulla veſte indutum, aut ſaltem linteo aliquo non involutum ſepulchro immittatur. Quamobrem cum corpora hominum mortuorum cadaveribus brutorum non ſint æquiparanda; homines mortui veſte quadam induti, aut linteo aliquo involuti ſunt ſepeliendi. *Quod erat alterum.*

Ad honorem humanitatis, quem mortuis promiſcue exhibere debemus (§. 760.), pertinet, ne nudi, ſed ut veſte quadam induti, aut linteo aliquo involuti ſepeliantur. Conſiſtit enim honor humanitatis in actibus, quibus ſignificamus, quod alter ſit homo (§. 759.). Quamobrem cum id ſignificemus, quemadmodum ex demonſtratione intelligitur, ſi mortuum veſte quadam indutum, aut linteo quodam involutum in ſepulchrum inferimus, & honorem mortuis etiam in modo, quo eorum corpora e conſpectu noſtro removentur (§. 761.), conſequenter in in ſepultura (§. 746.), deferre debeamus; honorem humanitatis eidem utique exhibemus, ſi corpus ejus veſte quadam indutum, aut linteo aliquo involutum ſepulchro inferamus. Immo etiamſi moribus tantummodo tribuas, quod homines veſtibus induti incedant, aut ubi nudi incedere ſolent, partes ſaltem obſcœnas velent, ita ut nulla adſit naturalis ratio, cur hoc facere debeant; negari tamen minime poteſt, opinioni hominum convenire, ut per veſtes, aut ſaltem velamina partium obſcœnarum a brutis diſtinguantur. Quamobrem cum ad honorem humanitatis deferendum etiam ſufficiat opinio hominum communis & quicquid contra eam fit eidem adverſetur; admittendum utique erit, quamdiu ſtandum hac opinione, homines quoque mortuos nonniſi veſte quadam indutos, aut linteo quodam involutos in ſepulchrum inferri debere. Qui ad gentium barbararum mores provocare voluerit, is audiendus non eſt: neque enim ea, quæ Juri naturæ conſentanea ſunt, ex moribus gentium ſunt dijudicanda, ſed de his potius ex principiis Juris naturæ ſtatuendum. Quid de ſepultura militum in prælio occiſorum tenendum ſit, alio loco dicendum.

§. 811.

Quales veſtes mortuis conveniant.

Veſtium aut velaminum ratio, quibus cadavera humana induuntur, aut involvuntur, quales nimirum eſſe debeant, deſumenda eſt ab officiis erga mortuos. Per ſe patet, quod cadavera mortuorum veſtibus induantur, aut linteo quodam involvantur, id ad ea referri debere, quæ funeris cauſa fiunt. Enimvero eorum quæ funeris cauſa fiunt, ratio deſumenda eſt ab officiis erga mortuos (§. 763.). Ergo etiam veſtium & velaminum ratio, quibus cadavera humana induuntur, aut involvuntur, quales nimirum eſſe debeant, deſumenda eſt ab officiis erga mortuos.

Cum nihil temere ſit faciendum (§. 278. *p.* 3. *Jur. nat.*), certo quoque fine cadavera mortuorum veſte aliqua ſunt induenda, aut linteo quodam involvenda (§. 277. *part.* 3. *Jur. nat.*), qui alius eſſe nequit, niſi ut officio cuidam erga mortuos, vel officiis pluribus ſatisfacias, aut ſaltem animum iiſdem ſatisfaciendi ſignifices, cum obligationi naturali ſatisfacere utique teneamur (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Actus hominum liberos, qualeſcunque tandem ſint, regit lex naturæ, ad quam adeo tanquam ad normam ſunt exigendi. Quibus ſcrupuloſitas nimia videtur in iſtiuſmodi hominum actionibus attendere rationes morales, hi nondum capiunt, quæ de vita morali hominis perfecta alibi demonſtravimus (§. 9. *& ſeqq. part.* 2. *Phil. pract. univ.*).

§. 812.

An eadem veſte omnes induendi.

Quoniam ratio, cur his potius veſtibus induamus mortuos, quam aliis, aut linteo potius involvamus, quam veſtimento quodam induamus, deſumenda eſt ab officiis erga mortuos (§. 811.), ex anterioribus autem abunde patet, non unum eſſe officium, quod mortuis præſtandum, & quædam talia eſſe, ut promiſcue omnibus ſint præſtanda, quædam vero iſtiuſmodi, ut uni magis conveniant quæ ſecundum ea fiunt, quam alteri; ideo *neceſſe non eſt, ut cadavera humana linteo aliquo potius involvantur, quam veſte*

BIU Cujas

veste quadam induantur, nec ut eodem modo vestiantur omnia, sed pro diversitate circumstantiarum fieri debet, quod officiis in dato casu magis convenit.

Quæ de differentia officiorum erga mortuos sumimus, facile intelliget qui ad ea advertere voluerit. Ex. grat. Honor humanitatis officium est promiscue omnibus præstandum (§. 760.), officium animi grati nonnisi benefactoribus præstari potest (§. 721.), & quamvis laudem etiam mortuo præstare debeamus, quam meretur (§. 715.), cum tamen non omnes eandem mereantur, nec omnibus eadem tribui potest: officium vero commemorandi facta illustria non omnibus debetur (§. 782. 784.), & quoniam factorum illustrium laudes plurimum differre possunt (§. 787.), ob eadem non omnibus eadem laus debetur. Quodsi officium præstandi honorem humanitatis solum respicias, cum mors homines iterum æquales efficiat omnes, quemadmodum natura fecerat, ac mortui non opus habeant veste, nisi ad velandas partes corporis obscœnas, non vero ut eadem muniantur adversus injurias tempestatis; maxime omnino convenit, ut cadavera saltem linteo quodam involvantur, aut veste lintea induantur. Ex adverso si quis ob laudem, quam meretur, ab aliis hominibus sit distinguendus; quin vestitu quoque cadaveris id significari possit, dubitandum non est. Idem dicendum est, si eodem vestitu amorem, vel animum gratum erga defunctum significare velimus.

§. 813.

Si vestitu mortui significare velimus nostrum in eum amorem, vel animum gratum, aut merita ejusdem præclara; vestitus ad ceremonias funebres referendus. Etenim si vestitus est signum amoris, vel animi grati erga defunctum, aut præclarorum ejusdem meritorum, adeoque eodem hæc spectantibus insinuare volumus; erit is utique ceremonia (§. 442. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), cumque ea in funeratione adhibeatur, ceremonia funebris (§. 794.). *Quando vestitus mortuorum ad ceremoniam referendus.*

Facile patet, si hoc fiat non ea intentione, ut amor vel animus gratus in defunctum, vel ejus merita præclara significentur, nec intentio hæc spectantibus cadaver vestitum sit nota, sed tantummodo ut mori obsequamur; vestitum nudum saltem esse ritum, qui quidem reprehendi nequit, cum in genere spectatus ratione legitima minime destituatur, cui tamen non multum tribuendum, quamdiu significatus iste negligitur, qui tamen in dubio præsumitur, nisi adsint conjecturæ probabiles in contrarium. Vitia nimirum hominum, quemadmodum actiones ceteras hominum contaminant, non modo licitas, verum etiam debitas, ita quoque in determinationem vestitus influere possunt. Hinc etiam subinde vestitus cadaveris cujusdam humani recte reprehenditur.

§. 814.

Si vestitu mortui significare velimus nostrum in eum amorem vel animum gratum, aut ejusdem etiam merita; cadaver vestitum oculis spectatorum exponendum, aut loculus, in quo situm, antequam in sepulchrum demittitur, aperiendus, ut ab adstantibus spectari possit. Per se omnino patet, nullo modo fieri posse, ut ipsis mortuis significemus nostrum in eos amorem, vel animum gratum, aut quod eorum merita agnoscamus. Quamobrem si vestitu eorundem significare velimus nostrum in eos amorem, vel animum gratum, aut eorum merita, id significandum est aliis viventibus. Quoniam vero hoc fieri nequit, nisi cadaver vestitum videant, ideo omnino necesse est, ut vel oculis spectatorum exponatur, aut loculo saltem aperto, antequam in sepulchrum demittatur, adstantibus conspiciendum præbeatur. *Quando mortuorum corpora spectanda exponi debeant.*

Utrumque hinc inde usitatum est, ac posterius iis præsertim in locis commode fieri potest, ubi qui funus comitantur prope sepulchrum tamdiu stare solent, donec loculus in idem fuerit demissus.

BIU Cujas

§. 815.

Luctus quid sit. *Lugere* dicimur, quando actibus externis triſtitiam indicamus. Unde *Luctus* dicuntur actus externi, qui triſtitiam indigitant. Actus illi vel *naturales* ſunt, qui per eſſentiam ac naturam corporis humani triſtitiam comitari ſolent, veluti vultus, geſtus, vox & verba triſtia, ac fletus & ejulatus, vel *voluntarii*, quatenus quibuſdam actibus ſignificatum triſtitiæ imponimus, veluti ſi veſte lugemus.

Ita lugemus fata adverſa tam domeſtica, quam aliena, quando vultu triſti de iiſdem conquerimur. Quemadmodum vero triſtitia gradu differt, ita quoque luctus ſuos habet gradus & pro diverſitate eorundem variat. Et ſicuti actus externi, qui affectibus ſeu paſſionibus animi reſpondent, pro diverſitate ſubjectorum variant in eodem affectu; ita quoque non omnes eodem lugent modo. Conſtat autem experientia, nos lugere adhuc poſſe, etiamſi triſtitia jam ceſſet, quatenus actus externus imperari a nobis poteſt, cum triſtitia perinde ac ceteri affectus imperio animæ ſubſint. Sunt vero quidam actus externi ita comparati, ut aliis quoque affectibus conveniant, non triſtitiæ ſoli, ut adeo ex iis ſolis non intelligatur.

§. 816.

An mortuos lugere ſit prohibitum. *Mortuos amicos, benefactores ac eos, quorum inſignia in alios ſunt merita, lugere non prohibemur.* Quando amicis, benefactoribus ac iis privamur, qui bene de nobis merentur, nemo non agnoſcit ſtatum noſtrum reddi imperfectiorem, conſequenter jacturam eorundem ad mala fortunæ eſſe referendam (§. 565. 567. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum homini naturale ſit, ut ex repræſentatione mali præſentis triſtitia oriatur (§. 623. *Pſych. empir.*); naturale quoque eidem eſt, ut ob mortem amicorum, benefactorum ac eorum, qui bene de ipſo & aliis meriti ſunt, contriſtetur, conſequenter cum actus externi triſtitiam comitantes luctus ſint (§. 815.), ut mortem amicorum, benefactorum ac eorum, qui bene de ipſo ac aliis meriti ſunt, lugeat. Enimvero lex naturæ nos non obligat ad id, quod impoſſibile (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter nec obligare poteſt ad mortem amicorum, benefactorum atque eorum, quorum inſignia in alios ſunt merita non lugendum. Lugere igitur non eſt prohibitum.

Loquimur hic de luctu naturali, qui imperio animæ non magis ſubeſt, quam triſtitia, & adeo in quem non major vis nobis competit, quam in affectus, quos quidem moderari & ſedare poſſumus; ſed non extirpare. Quatenus tamen luctus ſubſiſtit, triſtitia ſedata, quoad actus tales, qui etiam a voluntate animæ dependent, jam major in eundem vis eſt. Aſt luctus voluntarius a noſtra voluntate prorſus dependet. Quamobrem nunc porro inquirendum nobis erit, quid liceat quoad eos actus, qui liberi ſunt. Ceterum dum affirmamus luctum eſſe homini naturalem, ſi amicus, benefactor ac aliquis de nobis atque aliis bene meritus moriatur; non negamus fieri poſſe, ut aliqui ob mortem eorundem non contriſtentur. Fieri enim poteſt, ut jacturam, quam faciunt, boni non perpendant, vel ut eandem alio modo ſtatim reſarciri poſſe ſibi perſuadeant, vel ut mortem alterius quocunque modo ſibi tanquam bonam repræſentent, veluti ſi fiant hæredes multorum bonorum, quorum poſſeſſionem dudum optarunt. In præſenti ſeponimus ea omnia, quæ vitii cujuſdam labe infecta ſunt, nec ſumimus niſi ea, quæ homini per eſſentiam & naturam ſuam inſunt, vel ineſſe poſſunt, nullo præcedente facultatum abuſu.

§. 817.

An luctus voluntarius ſit licitus. *Luctus voluntarius & quatenus talis etiam naturalis ob mortem amicorum, benefactorum & bene de nobis ac aliis meritorum licitus, ſeu jus lugendi nobis competit.* Nemo in dubium revocare poteſt, quin lugendo mortem amicorum, benefactorum, ac bene de nobis atque aliis meritorum teſtemur, nos eſſe memores amoris, beneficiorum ac meritorum eorundem. Quoniam itaque honor mortuis defertur, quando facto quodam declaramus, nos facta ipſorum ex virtutibus intellectualibus ac moralibus profecta

BIU Cujas

cta agnoscere (§. 752.), & gratias agimus mortuis, quando beneficia ab iis in nos profecta narramus ac prædicamus (§. 722.), ac per se patet, perinde esse, sive hoc verbis fiat, sive factis; qui mortem benefactorum, amicorum & bene de se atque aliis meritorum luget, honorem post obitum iisdem defert ac gratias agit. Quamobrem cum etiam mortuis honorem, quem merentur, deferre debeamus (§. 753.), & benefactoribus mortuis gratias adhuc agere (§. 723.), nec lugere mortuos lege naturali prohibitum (§. 816.), lex autem naturæ det nobis jus ad istiusmodi actus, quibus obligationi naturali satisfacimus (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); nobis quoque eadem dat jus lugendi mortem amicorum, benefactorum & bene de nobis atque aliis meritorum, consequenter lugere licet. Atque adeo patet, luctum quoque voluntarium, & quatenus talis, etiam naturalem, ob mortem amicorum, benefactorum ac bene de nobis atque aliis meritorum licitum esse.

Aliud est, num quid tale fit, ut prohiberi non possit, aliud vero, num jus quid faciendi nobis competat, seu num jure quid fieri possit. Atque adeo luctus naturalis a voluntario utique distinguendus, atque propterea non modo ostendendum erat, illum prohibitum non esse, verum etiam demonstrandum, hunc esse licitum. Quemadmodum vero actiones naturales & liberæ multis modis a se invicem dependent, atque hinc fieri potest, ut etiam in naturales aliquid vitiosi derivetur a liberis; ita etiam luctus naturalis labe affici potest, quatenus actualitas ejusdem ab actionibus quibusdam vitiosis præteritis dependet. Ast hic consideramus actiones humanas, quales in se sunt, ac quales liberæ esse debeant vi legis naturæ. Quomodo vero labe quadam inficiantur, quæ in se spectatæ ab eadem immunes sunt; in Philosophia morali ostendendum & quodammodo ex iis jam patet, quæ de actionum humanarum dependentia a libertate animæ demonstravimus (§. 16. *& seqq. part.* 1. *Philos. pract. univ.*). Quoniam vero actiones hominum externæ, quæ in se spectatæ bonæ sunt ac licitæ, a vitiis labem contrahunt; ita haud quaquam mirum videri potest, si luctui idem accidit. Quodsi in eodem observentur, quæ ad rectitudinem actionum humanarum requiruntur (§. 80. *part.* 1. *Philos. pract. univers.*); metuendum non erit, ne labe quadam sit infectus.

§. 818.

Quoniam luctus voluntarius ob mortem amicorum, benefactorum & eorum, qui de nobis ac aliis bene meriti sunt, licitus (§. 817.), ad eum vero pertinet, si veste lugeamus mortuos (§. 815.); *veste lugere mortuos licet.* *An veste lugere liceat mortuos.*

Pertinet huc ritus, ut aliis, quam vestibus ordinariis, utamur in exequiis, & ut cognati, agnati atque affines veste lugeant defunctum, qui in se juri naturæ minime repugnat.

§. 819.

Sectio cadaverum est actus, quo corpora & membra ita dissecantur, ut singula organa & horum partes a se invicem separentur. Dici vulgo solet *Anatomia.* *Sectio cadaverum vel anatomia quid sit.*

Constat a Medicis sectionem cadaverum humanorum fieri. Quoniam sepulturæ jus humanitati debetur (§. 769.); dubium videri poterat, an citra injuriam cadaver hominis secare liceat. Quamobrem cum nobis proposuerimus ostendere, quicquid in actionibus humanis sit boni, vel mali, liciti, vel illiciti; non inconsultum quoque duximus de jure secandi cadavera humana hic agere.

§. 820.

Quoniam si corpora & membra ita dissecantur, ut singula organa & horum partes a se invicem separentur, non modo notionem distinctam partium, ex quibus corpus humanum constat, verum etiam totius structuræ corporis humani acquirimus (§. 682. *Log.*), actus vero, quo corpora & membra eorum ita dissecantur, ut singula organa & horum partes a se invicem separentur, sectio cadaverum humanorum, seu anatomia est (§. 819.); *sectione cadaverum, seu anatomia distincta notio totius corporis humani* *Usus anatomiæ.*

BIU Cujas

mani & singularum ejus partium acquiritur[1], consequenter cum in structura essentia corporis humani consistat (§. 276. *Cosmol.*), *essentia corporis humani cognoscitur*.

Sine sectione cadaverum ad distinctam corporis humani cognitionem nos pervenire non posse, nemo est qui dubitat, nec alio fine istiusmodi sectiones fiunt a Medicis: sit ita quod non omnes agnoscant, corporis humani totius in structura ejusdem & singularum partium, quæ itidem corpora organica sunt, essentiam contineri.

§. 821.

Sanitatis ac morborum cognitio unde pendeat.

Quoniam ratio eorum, quæ corpori organico, consequenter etiam humano & singulis ejus organis vel actu insunt, vel inesse possunt, in structura continetur (§. 277. *Cosmol.*), & in eadem quoque deprehenditur ratio, cur singula organa ad functiones suas apta sint (§. 278. *Cosmol.*), consequenter quandonam munere suo rite fungantur, & quando ad suos usus, quibus destinantur, apta non sunt, status autem corporis, quo singulæ ipsius partes munere suo rite funguntur, sanitas est (§. 345. *part.* 1. *Jur. nat.*), eidem autem oppositus, quo una vel plures ad usus suos, quibus destinantur, aptæ non sunt, morbus (§. 346. *part.* 1. *Jur. nat.*); *sine structura corporis humani & singularum ejus partium nec sanitas, nec morbi, quibus laborat, distincte cognosci possunt*, adeoque *anatomia, seu cadaverum sectio ad sanitatis ac morborum cognitionem necessaria* (§. 820.).

Satis hoc exploratum est medicis peritis, ut anatomiæ necessitas non vocetur in dubium, nisi ab iis, qui in empiricorum, quam Medicorum rationalium numero esse malunt. Et quis ignorat, quot dentur casus, in quibus anatomiæ imperitus non caute procedere potest in operationibus chirurgicis, ut sæpissime plus noceat, quam prosit ei, qui opem ipsius efflagitat? Anatomia veluti basis est totius theoriæ medicæ rationalis, immo & chirurgiæ. Nec Physicus in anthropologia proferet, quæ rationi consentanea sunt, siquidem anatomiæ fuerit imperitus. Qui adeo contendit, Medicinam & chirurgiam rationalem esse debere, qui Physiologiam seu anthropologiam a Physico rite tradi jubet; is anatomiam seu sectionem cadaverum non posse negligi ultro fatebitur. Ceterum cum sine autopsia ad solidam structuræ corporis humani & organorum ejusdem cognitionem pervenire vix detur; ideo necesse est, ut sectionibus intersint qui ad istam cognitionem adspirant, consequenter etsi plures prostent de anatomia libri, sectiones tamen cadaverum adhuc hodie sunt instituendæ, tamdiu repetendæ, quamdiu non deerunt, qui structuram corporis humani ac singularum ejus partium perspicere gestiunt.

§. 822.

De obligatione ad structuram corporis nostri & ex ea Deum cognoscendum.

Homo obligatur Deum cognoscere etiam ex structura corporis humani & cognoscere, qualis hæc sit. Deum enim cognoscere debet ex contemplatione hujus universi & eorum, quæ in eodem sunt (§. 1131. *part.* 1. *Jur. nat.*), & obligatur ad contemplandum hoc universum & ea, quæ in eodem sunt, & ad cognoscendum, qualia sint. Quoniam itaque homo est in eorum numero, quæ sunt in universo; Deum quoque cognoscere debemus ex structura corporis humani & hanc contemplari & qualis ea sit ut cognoscamus inquirere.

Quomodo creaturæ in universum omnes, adeoque etiam humanum corpus, Deum repræsentent, dudum demonstravimus (§. 799. & *seqq. part.* 1. *Theol. nat.*). Atque inde abunde intelligitur, quomodo ex structura corporis humani ac singularum ejus partium Deus sit agnoscendus. Quo magis igitur structura illa nobis fuerit perspecta; eo clarior quoque evadit Dei ex ista derivata cognitio. Corpus humanum omnium confessione est machina omnium artificiosissima; quam in hoc universo nobis cognoscere datur. Ecquis vero non ultro largitur, si quis velit agnoscere artificem, opus ejus præstantissimum considerandum esse. Multum quoque influit hæc cognitio in praxi officiorum erga Deum, quemadmodum suo tempore in Philosophia morali ostendemus.

§. 823.

BIU Cujas

§. 823.

Cadavera humana secare licet, seu anatomia naturaliter licita. Etenim sine sectione cadaverum humanorum distinctam corporis humani ac singularum ejus partium notionem acquirere non licet (§. 820.). Enimvero natura homini jus est in res naturales, consequenter etiam in cadavera humana, quoad omnem usum, qui ad earum cognitionem facit (§. 1136. *part.* 1. *Jur. nat.*). Ergo natura quoque ipsi competit jus cadavera humana secandi, adeoque eadem secare licet (§. 170. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), consequenter anatomia naturaliter licita (§. 819.). *An anatomia sit naturaliter licita.*

Ostenditur etiam hoc modo. Homo obligatur Deum cognoscere etiam ex structura corporis humani (§. 822.), consequenter eidem jus est ad eos actus, sine quibus cognitioni isti non datur locus (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum sine sectione cadaverum humanorum notionem structuræ corporis humani distinctam acquirere non possimus, adeoque secare licet.

Immo etiam ita demonstratur. Homo sanitatem suam conservare (§. 393. *part.* 1. *Jur. nat.*), & morbos, quantum in potestate sua est, evitare (§. 394. *part.* 1. *Jur. nat.*), quodsi vero in morbum incidat, operam dare tenetur, ut sanitati restituatur (§. 413. *part.* 1. *Jur. nat.*). Cognoscere igitur debet, quid sit sanitas, quid sint morbi. Quamobrem cum sine cadaverum sectione sanitas & morbi cognosci nequeant (§. 821.); lex quoque naturæ nobis dat jus cadavera humana secandi (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque secare licet.

Si nulli darentur morbi, nulli quoque darentur Medici, neque sanitatis ac morborum causa structuræ corporis humani ac singularum ejus partium cognitio foret necessaria: non tamen propterea negligenda esset anatomia, cum adhuc superfit obligatio Deum ex structura corporis humani ac singularum ejus partium agnoscendi, cui absque anatomia satisfieri nequit. Qui Deo gratias agere vult, quemadmodum debet, quod corpus suum admiranda arte sit constructum; is nosse utique debet, quæ sit structura ejusdem. Equidem nostris moribus anatomiæ operam non navant, nisi qui Medicinæ se devoverunt, qui vero Theologiæ se consecrarunt, eam tanquam sibi inutilem negligunt; non tamen moribus metiri veritatem debemus, quippe quos ab eadem non infrequenter recedere nemo est qui nesciat. Nostrum adeo fuit non uno modo demonstrare jus secandi cadavera humana.

§. 824.

Sceletus dicitur cadaver decarnatum, sola ossium compage constans. *Sceletus* adeo *facit ad cognitionem ossium corporis animalis*, veluti humani, *& modi, quo per totum corpus distribuuntur ac inter se junguntur.* *Sceletus quid sit & ejus usus.*

Hæc de ossibus doctrina *Osteologia* dici solet, ut adeo sceleti fiant in usum osteologiæ. Sceleti humani arte parantur, qua singula ossa eodem ordine inter se junguntur, ac connectuntur, quo in cadavera juncta & connexa deprehendebantur.

§. 825.

Quoniam sceletus integram ossium compagem nobis inspiciendam sistit, qualem in cadavere non decarnato spectare non datur (§. 824.), sine ea tamen structura corporis humani cognosci minime potest, quod per se patet, *sceletorum fabricatio ad perspiciendam structuram corporis humani necessaria.* *Sceletorum necessitas.*

Per se patet sceletorum eandem esse necessitatem ad cognoscendam structuram corporis animalis cujuslibet. Quoniam tamen aliorum animalium cognitio magis curiosa, quam utilis habetur, de iis fabricandis non admodum solliciti sunt historiæ animalium conditores. Cognitio enim Dei ex creaturis haurienda etsi defendatur, vulgo tamen creditur, ad eam sufficere, ut ignorantia pariat admirationem, atque hac satisfieri posse officiis erga Deum existimatur.

Qui

BIU Cujas

Qui vero ad animum revocaverit ea, quæ de modo, quo res naturales Deum repræsentant, demonstravimus (§. 799. & seqq. part. 1. Theol. nat.), longe aliter sentiet.

§. 826.

De jure fabricandi sceletum.

Natura hominibus competit jus sceletos fabricandi. Quoniam sceletorum fabricatio, perinde ac cadaverum humanorum sectio (§. 820.), ad perspiciendam structuram corporis humani necessaria (§. 825.); hominibus natura competere jus sceletos fabricandi eodem modo ostenditur, quo ante demonstravimus, iisdem competere jus secandi cadavera humana (§. 823.).

Ostenditur etiam hoc modo. Homini natura competit jus ad omnes actus, quibus rerum naturalium cognitio promovetur (§. 1138. part. 1. Jur. nat.). Ad cognitionem rerum naturalium etiam pertinet structura corporis humani, quod per se patet, & sceletorum fabricatio eandem promovet (§. 825.). Quamobrem natura quoque hominibus competit jus sceletos fabricandi.

Cadavera humana secare & sceletos fabricare mos inveteratus est. Quamobrem forsitan non deerunt, qui existimaturi sunt, non opus esse, ut demum demonstretur, hoc fieri licite, cum nemo de eo dubitet. Enimvero non quæritur, num hoc permissum sit in Rep. ac toleretur; sed num jure naturali hoc fieri possit. Id vero moribus non probatur, sed rationibus ex principiis Juris naturæ desumtis. Quodsi dicas ex eo, quod homini competat jus ad omnes actus, quibus rerum naturalium cognitio promovetur, tuto inferri non posse jus secandi cadavera humana & sceletos fabricandi, cum jus illud restringi debeat ad actus per se licitos, consequenter ante demonstrandum esse, quod actus secandi cadavera humana & sceletos fabricandi nihil illiciti in se contineat; tenendum erit quod, si quis velit uti actu ad promovendam rerum naturalium cognitionem, quem aliunde constat illicitum esse, tum lex prohibitiva collidatur cum lege permissiva, adeoque actus iste excipiendus sit (part. 1. Phil. pract. univ.).

§. 827.

An sectio hominum vivorum licita.

Non licet secare homines vivos. Qui enim hominem vivum secat, facto suo mortem eidem conscisit, adeoque eum occidit (§. 741. part. 1. Jur. nat.). Enimvero ne volentem quidem occidere licet (§. 745. part. 1. Jur. nat.). Ergo non licet secare homines vivos.

Sectionem vivorum nemo non illicitam agnoscit, ob eandem, quam dedimus, rationem. Pugnat enim ea cum jure hominis, cum lex naturæ securitatem vitæ præstat (§. 743. part. 1. Jur. nat.), & hanc juri ejusdem subducit (§. 351. p. 1. Jur. nat.). Quamvis adeo sectio hominis vivi tibi prodesse poterat ad scientiam, non tamen ideo licita est (§. 1138. part. 1. Jur. nat.), cum aliunde constet, eam esse illicitam.

§. 828.

An sectio cadaverum humanitatis honori repugnet.

Sectio cadaverum humanorum non repugnat honori humanitatis. Quando enim cadavera humana secamus, id fit eo fine, ut distinctam totius corporis humani ac singularum ejus partium notionem acquiramus (§. 820.), consequenter hoc facto minime significamus, hominem, cujus cadaver secatur, non perinde ac nos esse hominem, & quoad humanitatem a nobis differre. Quamobrem cum honor humanitatis consistat in actibus, quibus significamus, nos agnoscere, quod alter sit homo (§. 759.); sectio cadaverum humanorum non repugnat honori humanitatis.

Quamvis adeo unicuique honorem humanitatis exhibere debeamus (§. 760.), nec hoc officium post obitum alterius cessetet (§. 761.); hoc tamen minime obstat sectioni cadaverum humanorum.

§. 829.

BIU Cujas

§. 329.

Cadavera dissecta, sectione absoluta, sunt sepelienda. Per se patet, sectione absoluta obtentum esse finem, cujus gratia cadaver dissecabatur (§. 820.). Quamobrem cum jam perinde sit sive cadaver integrum, sive dissectum e conspectu vivorum removeas, jus vero sepulturæ humanitati debeatur, ut promiscue omnes sint sepeliendi, ac nemo sepultura privari possit (§. 769. 770.); sectione absoluta cadavera dissecta sepelienda sunt. *An cadavera dissecta sepeliri debeant.*

Patet adeo homini mortuo honorem humanitatis, quem in modo cadaver ejus e conspectu vivorum removendi debemus (§. 761.), eidem adhuc deferri posse, etiamsi cadaver fuerit dissectum & partes ejus a se invicem separatæ. Cadaver humo conditum putredine consumitur, ut adeo nihil intersit, sive integrum condatur, sive dissectum. Cumque nihil detrahatur famæ mortui, etiamsi ad augendam vel amplificandam scientiam cadaver secetur (§. 553. 870. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque dissectum humo condatur; sectio cadaverum juri ad sepulturam minime adversatur. Loquimur hic de sectione cadaverum humanorum in statu naturali, in quo singula nonnisi ad veritatis normam exiguntur. Quoniam vero in statu civili multum dandum est opinioni ac quoad veritatem quoque nonnulla mutantur; ideo quæ hic dicuntur non crude applicari debent ad sectionem cadaverum in statu civili, qui hominum inæqualitatem non invito jure naturæ introduxit, quemadmodum suo loco ostendemus, ut alia jam taceamus.

CAPUT VI.

De nondum natis & officiis erga posteros.

§. 830.

Nondum natus nullum jus habere potest. Qui enim nondum natus est, aut in utero adhuc materno est, aut ne a matre quidem conceptus est. Quodsi a matre ne quidem conceptus est, in rerum natura non existit, adeoque agere nequit. Qui vero in utero adhuc materno est, nihil adhuc inter homines agere potest. Quamobrem cum jus sit facultas moralis agendi (§. 156. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), ut scilicet salva actionis rectitudine seu salvis officiis erga se atque alios, agere possit, quod physice agere potest (§. 157. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); nondum natus jus nullum habere potest. *An nondum natus jus quoddam habere possit.*

Homo nondum natus non est subjectum juris capax, quoniam jus supponit agendi facultatem (§. 156. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). De iis, qui ne in utero quidem materno concepti sunt, neminem fore existimo, qui dubitet. Quamdiu vero fœtus in utero existit, pars matris est, & sanguine ipsius nutritur, nec in lucem editur, nisi ubi perfectus fuerst, ut hominibus associari possit. Atque tum demum opus habet alimentis & aliorum hominum auxilio indiget, utut ipse nondum aliis prodesse possit. A nativitate igitur incipit frui jure hominum. Ita ex. grat. in statu naturali, quumprimum natus est, ipsi perinde ac aliis competit jus ad usum rerum quarumvis necessarium, utut id per se nondum exercere possit.

§. 831.

Quoniam *nondum natus* jus nullum habere potest (§. 830.); *jus* quoque *nullum acquirere potest*, consequenter cum *fœtus in utero materno existens* nondum natus sit, idem *jus nullum acquirere potest*. *An nondum natus jus acquirere possit.*

Sane si ponamus fœtum in utero materno jus quoddam acquirere; evidens est, quod nondum natus jus aliquod habeat: id quod tamen fieri minime potest (§. 830.).

BIU Cujas

§. 832.

An dominium acquirere possit fœtus in utero.

Quoniam fœtus in utero materno existens jus nullum acquirere potest (§. 831.), dominium autem jus est (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*); *quamdiu fœtus in utero materno existit, dominium nullius rei acquirere potest.* Idem valet in genere de nondum nato (§. 831.).

Dominium rerum fœtui in utero materno existenti prorsus inutile est, cum nulla re in eodem indigeat. Nec est quod excipias, non inutile manere, quando in lucem editus fuerit. Quamdiu enim in utero materno est, nondum certo constat, utrum perfectus ac vivus in lucem sit proditurus, nec ne. Sufficit adeo dominium, si quod acquirere debet, tum ab eodem acquiri, quando ipsi utile.

§. 833.

An jus in eum transferri possit.

Porro quia *fœtus quamdiu in utero materno existit*, dominium nullius rei (§. 832.), immo nec jus aliud quodcunque acquirere potest (§. 831.); *dominium* quoque *rei nullius, immo nec jus aliud quodcunque transferri potest in eum*. Idem valet in genere de nondum nato (§. 831.).

Repugnat utique transferre jus in eum, qui ejus capax non est. In Jure naturæ rationes ultimæ petendæ sunt ab ipsa natura humana (§. 135. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ubi ergo ratio ista deficit, nec juri locus esse potest. Nihil adeo agitur, quando dominium rei alicujus, vel jus quoddam aliud in fœtum, qui adhuc in utero materno subsistit, transfertur. Non est, quod excipias, nasciturum per fictionem haberi posse pro nato. Neque enim admittendæ sunt fictiones temerariæ (§. 278. *part.* 3. *Jur. nat.*), quales sunt, quæ naturæ fœtui repugnant. Quodsi enim prospicere velis futuræ utilitati, quando scilicet in lucem editus fuerit; sufficit jus acquiri posse, quando nascitur.

§. 834.

Quomodo intelligendum sit, si quis se transferre dicit.

Si quis dicat, se jus quoddam transferre in nondum natum veluti in fœtum in utero adhuc existentem; id velle intelligitur, ut idem ab eo acquiratur, quando nascitur, seu per nativitatem. Etenim nemo jus quoddam transferre potest in nondum natum, veluti in fœtum in utero adhuc existentem (§. 833.). Quodsi ergo dicat, se hoc velle, cum aliquid agere voluisse intelligatur, id utique ita intelligendum est, ut, quando quis jus acquirere potest, idem in ipsum translatum esse debeat (§. 483.). Quoniam itaque jura utilia esse incipiunt, quamprimum quis nascitur, etsi interea per alios sint exercenda, donec ipse exercere possit, adeoque jura acquirere quis possit, quamprimum nascitur; qui dicit se jus quoddam transferre in nondum natum, veluti fœtum adhuc in utero existentem, id velle intelligitur, ut id ab eodem acquiratur per nativitatem, seu quando nascitur.

Non est, quod excipias, posse quoque jus in utilitatem fœtus in utero adhuc existentis exerceri per alium, consequenter nil obstare, quo minus in eum transferatur, ac perinde esse, sive ante nativitatem, sive post eandem ab eodem acquiratur. Enimvero quamprimum quis natus est, jus eidem utile esse incipit, etsi incertum sit, num tamdiu sit victurus, ut ipse per se hoc exercere possit: quando vero fœtus adhuc in utero materno existit, incertum adhuc est, num vivus sit in lucem proditurus, consequenter jus utile ipsi futurum, nec ne, neque ulla adhuc affulget spes fore, ut ipse per se aliquando jus exercere possit. Dispar adeo utrobique ratio est. Præterea nec ratio suadet, cur jus transferatur in fœtum adhuc in utero existentem contra naturam, cum idem prorsus sit juris effectus, si sub ea lege conferatur, ut per nativitatem acquiratur, siquidem utilitatem nascituri spectes. Quodsi enim vivus in lucem non edatur, nullam inde utilitatem percipere potest. Quodsi casus occurrat, in quo, jure in nasciturum translato, quatenus per fictionem habetur pro nato, alterius cujusdam utilitati in eventum

BIU Cujas

tum incertum consulitur, id alio adhuc modo fieri potest, cum a transferentis voluntate pendeat, quomodo jus quoddam in alium transferre velit (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*). Sed de eo dispiciemus suo loco.

§. 835.

Si jus aliquod confertur tibi ac iis, qui a te descendent (per nativitatem scilicet), *ac id tibi & a te descendenti una competere potest; qui a te descendit idem acquirit, quamprimum in lucem editur.* Quodsi enim jus aliquod confertur nondum natis, conferens id velle intelligitur, ut id ab iis acquiratur, quando nascuntur (§. 634.). Quoniam igitur nondum natis confertur jus, quod iis confertur, qui a te per nativitatem descendent; si hoc tibi ac a te descendenti una competere potest, jus, quod tibi ac a te descendentibus confertur, statim acquirit is, qui a te descendit, quamprimum in lucem editur.

De jure tibi ac descendentibus a te collato, quod vobis simul competere potest.

Ita si tu cum omnibus descendentibus a te per nativitatem eleveris ad nobilitatem; filius, qui tibi nascitur, statim fit nobilis. Ac idem eodem modo intelligitur de nepote ac pronepote tuo, te licet adhuc vivo. Neque enim repugnat, ut tu ac filius tuus, vel nepos aut pronepos tuus eadem dignitate sitis conspicui.

§. 836.

Si jus in te transfertur certa lege in nondum natos, dum transfertur, morte possidentis successive transmittendum; quamprimum illi nascuntur jus acquirunt in jus in te translatum succedendi, conditione lege definita existente; quamprimum vero concipiuntur in materno utero, quasi spem acquirunt per nativitatem jus istud succedendi acquirendi. Quoniam jus, quod in te transfertur, voluntate transferentis, qui pro lubitu suo legem præscribere potest (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*), successive in alios alioque transmitti debet morte possidentis *per hypothesin*, antequam is, qui possidet, moriatur, nonnisi jus conditionatum succedendi in jus, quod in te translatum fuerat, habere possunt ii, in quos transmittendum, ita ut mortuo possessore is succedat, in quem morte ipsius jus istud transmitti debet juxta legem præscriptam. Quoniam vero omnes, qui successive succedere debent, nondum nati sunt, quando jus in te transfertur, *per hypothesin*, nondum vero nati jus nullum habere possunt (§. 830.), nec jus istud succedendi ipsis competere potest, antequam nascantur. Enimvero quando jus aliquod confertur nondum natis, conferens velle intelligitur, ut id ab iis acquiratur, quando nascuntur (§. 834.). Quamobrem si jus in te transfertur, quod certa lege in eos, qui tempore translationis nondum nati sunt, morte possidentis transmittendum; quamprimum illi nascuntur, acquirunt jus succedendi in jus, quod fuerat in te translatum, conditione lege definita existente. *Quod erat unum.*

De jure morte possidentis in alium transmisso.

Enimvero quamprimum quis in utero materno concipitur, spes est eum natum iri, quod per se patet, & quamprimum nascitur, jus succedendi, de quo diximus, acquirit, *per demonstrata*. Habet ergo fœtus in utero quasi spem acquirendi jus istud in utero materno, quamprimum spes aliqua affulget, ipsum natum iri, consequenter quamprimum concipitur, atque adeo quasi spem jus succedendi per nativitatem acquirendi acquirit eo ipso, quo concipitur, momento. *Quod erat alterum.*

Jus succedendi conditionatum dicimus, quia pendet a morte possidentis, qui jus in alium juxta legem præscriptam transmittere potest. Quodsi contingat hunc mori, antequam ille moriatur, aut jus, quod in te translatum fuerat, in ipsum transmittatur; conditio, sub qua in eum transmitti debet, non existit, nec unquam existere potest, consequenter hic quoque in jus, quod fuerat in te translatum, succedere nequit. Obtinet hoc in omni jure conditionato, quod evanescit, si is moriatur, cui competebat, antequam conditio existat.

BIU Cujas

§. 837.

Qualis sit ista quasi spes.

Quasi spes acquirendi per nativitatem jus conditionatum succedendi in jus transmissibiliter in primum acquirentem collatum, fœtui in utero materno competens, æquipollet spei, quam habet promissarius ex promissione conditionata. Etenim quando quis in te transfert jus certa lege in nondum natos, dum transfertur, transmittendum; eo ipso declarat, quod, si quis horum, qui nondum nati sunt, nascatur, extemplo jus succedendi in jus in te translatum habere debeat, conditione nimirum lege definita existente (§. 836.). Fœtui igitur in utero quasi promittit, quod, si ipsum nasci contingat, jus istud conditionatum succedendi habere debeat (§. 361. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum promissarius nonnisi spem habeat debitum iri, quamdiu nondum certum est, conditionem extare (§. 471. *part.* 3. *Jur. nat.*); fœtui in utero nonnisi quasi spes acquirendi jus succedendi in jus transmissibiliter in primum acquirentem translatum tribui potest ex quasi promissione transferentis orta. Atque adeo patet, quasi spem acquirendi per nativitatem jus conditionatum succedendi in jus transmissibiliter in primum acquirentem collatum, fœtui in utero existenti competens, æquipollere spei, quam habet promissarius ex promissione conditionata.

Actus, quo jus aliquod transmissionis certa lege in aliquem confertur, non simplex est, sed ex gemino actu compositus. Alius enim est, qui respicit primum acquirentem, in quem jus actu transfertur; alius vero est, qui respicit eos, qui in jus istud juxta legem transmissionis succedere debent, sive jam nati sint, sive nondum nati. Translatio juris in primum acquirentem datio est, quæ in præsens absolvitur: ast actus, qui respicit eos, in quos certa lege jus istud transmittendum, cum in futurum promineat, & sub certa conditione lege transmissionis definita fiat, non potest esse alius nisi promissio conditionata (§. 393. 462. *p.* 3. *Jur. nat.*). Recte adeo fingitur, quasi nondum nati, quos respicit lex transmissionis, sint præsentes & transferens iis promittat, quod per nativitatem jus succedendi in jus juxta legem transmissionis acquirere debeant. Hæc igitur promissio cum aliquem habere debeat effectum juris, antequam nascatur, qui tum nondum natus fuerat: effectum sortiatur necesse est, quamprimum fœtus in utero concipitur, ut natum iri speretur. Voluntas adeo transferentis cum effectum quendam habeat, quamdiu quis nascitur, qui juxta legem transmissionis in jus in primum acquirentem collatum succedere potest; videtur transferens fœtui, postquam conceptus est, quasi promittere, quod si quidem eum nasci contingat, jus istud succedendi conditionatum habere debeat. Voluntas transferentis rite explicanda, ut appareat, quemnam effectum juris producat, seu quid operetur: jus enim eorum, in quos jus aliquod transmitti debet, ex ipsius voluntate metiendum. Dispar autem ratio est inter eum casum, quo per nativitatem acquiritur jus purum (§. 635.), & quo acquiritur jus nonnisi conditionatum (§. 636.), qui adeo casus a se invicem sunt distinguendi. In illo a te descendenti acquiritur simile jus, quale tu habes, per nativitatem; in hoc autem jus conditionatum succedendi in idem jus, quod in te fuit translatum.

§. 838.

An fœtui in utero adimi possit.

Quoniam spes, quam habet promissarius ex promissione conditionata, invito adimi nequit (§. 477. *part.* 3. *Jur. nat.*), *quasi spes* vero *acquirendi per nativitatem jus conditionatum succedendi in jus in primum acquirentem transmissibiliter collatum* fœtui in utero competens æquipollet spei, quam habet promissarius ex promissione conditionata (§. 837.); hæc quoque quasi spes *fœtui adhuc in utero existenti adimi nequit.*

Fœtus in utero velle nequit, quod per se patet. Quando igitur spes ista eidem adimenda, quid de voluntate ipsius præsumi debeat, si quidem jam velle posset, quæritur. Id utique præsumendum, quod ratihabiturus præsumitur, quando ad usum rationis pervenerit, judicio maturo acquisito. Nemo præsumitur velle, sibi jus quoddam adimi. Quamobrem cum fœtui in utero ademta spe acquirendi jus succedendi in jus transmissibile, ubi in lucem editus fuerit, ademtum sit jus succedendi; fœtus in utero nolle præsumitur, ut spes, de qua nobis in præsenti sermo est, eidem adimatur. Adimeretur adeo invito, adeoque adimi nequit.

§. 839.

BIU Cujas

§ 839.

Si quid datur fœtui in utero existenti & tibi traditur; id tibi datum intelligitur sub modo, ut des infanti. quando nascitur. Etenim qui dicit se quid dare fœtui in utero existenti, is dicit se dominium ejus rei, quæ traditur, in ipsum transferre (§. 675. *part. 2. Jur. nat.*), consequenter jus aliquod (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam itaque qui dicit se jus transferre in fœtum adhuc in utero existentem id velle intelligitur, ut id ab eo acquiratur, quando nascitur (§. 834.); qui dicit se dare fœtui in utero, quod tibi tradit, vult ut a fœtu acquiratur, quando nascitur. Quamobrem cum tibi tradatur, *per hypoth.* perinde omnino est, ac si tibi daretur eo fine, ut des infanti quando nascitur, consequenter sub hoc modo datum tibi intelligitur, ut des infanti, quando nascitur (§. 557. *part. 3. Jur. nat.*). *Si quid fœtui in utero datum tibi tradatur.*

Unum adeo idemque est, sive dicam, quod tibi trado do fœtui in utero, sive do tibi hoc, ut sit infantis, qui nascitur, vel ut des eidem. Minime autem dici potest, in hypothesi propositionis præsentis tibi tantummodo committi dationem, ut scilicet meo nomine in recens natum infantem dominium rei traditæ transferas. Qui enim dicit se dare, is utique vult, ut dominium rei a se abeat in alium, cum datio in actuali translatione dominii consistat (§. 675. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam vero transire nequit in fœtum in utero (§. 833.): transeat necesse est in eum, in quem traditione transfertur possessio (§. 23. *part. 3. Jur. nat.*). Quia tamen hujus esse non debet, sed dans vult, ut sit infantis, qui expectatur, & quem natum iri præsumit; non sine modo datum intelligi potest, adeoque sub hoc modo, ut infanti detur, quando nascitur, sive possessio maneat apud eum, qui accepit, sive transferenda sit in alium, qui infantis nati nomine possidet. Ab utroque casu distinguendus est tertius, quo quid tibi datur, quia infans expectatur. Quamvis enim in hoc casu respiciatur utilitas infantis, veluti ut habeas, quod in educationem ipsius impendere possis; id tamen statim tuum est, ac tuum manet, nec dominium ejus in infantem transit, dum nascitur. Subtiliter omnino distinguendi sunt casus, ut de jure ac obligationibus ex actu dantis resultantibus accuratum fieri possit judicium. Sane si ponamus fœtum in utero existentem non nasci, sed vel in utero mori, vel prægnantem fœminam abortum facere: non idem erit juris in omni isto casu, immo nec erit, si infans vivus in lucem edatur. Ceterum nec a notionibus Jctorum Romanorum abhorret, ut quod datur ei, qui dominii capax non est, datum intelligatur alteri, qui ejusdem capax est, veluti quando servus alienus hæres instituitur.

§. 840.

Si quid datur fœtui in utero existenti & tibi traditur, dominium ejus in infantem transit, quando nascitur: quodsi vero non nascatur, tu, quod tibi traditum, restituere teneris. Si quid enim datur fœtui in utero existenti & tibi traditur, id tibi datum intelligitur sub modo, ut des infanti, quando nascitur (§. 839.). Quamobrem quando infans nascitur, tu ad id, quod tibi traditum, dandum, seu dominium ejusdem in eum transferendum obligaris (§. 556. *part. 3. Jur. nat.*). Quoniam itaque hoc fieri intelligitur, quando infans nascitur; dominium quoque rei traditæ in infantem, quando nascitur, statim transit. *Quod erat unum.* *Effectus istius dationis.*

Enimvero si infans non nascitur, qui expectabatur, veluti si mulier abortum faciat, aut fœtus in utero moriatur; fieri non potest, ut quod tibi traditum des infanti nato, consequenter modus adimpleri nequit. Quando vero modus non adimpletur, tu ad restituendum obligaris (§. 556. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem si quid datur fœtui in utero existenti & tibi traditur, infans vero minime nascitur, tu, quod tibi traditum, restituere teneris. *Quod erat alterum.*

Non est, quod excipias, per te non stare, ut modum adimpleas, consequenter perinde esse ac si eundem adimpleviſſes, adeoque quod tibi traditum tuum manere, quando infans, qui expectabatur, non nascitur. Dans enim infantis unice respicit utilitatem, non tuam, consequenter dum tibi dat eo fine, ut des infanti, quando nascitur, tacita subest conditio, ut restituatur, nisi nascatur. Neque vero etiam est, quod existimes hoc pacto perinde esse ac si tibi tantummodo committatur, ut des infanti, siquidem eum nasci contingat. Manifesta enim est diversitas

BIU Cujas

sitas in utroque casu. Quando enim das, ut detur, dominium transit a te in accipientem, antequam is det tertio: quando vero tantummodo mandas, ut detur, tu dominus manes & ante dationem perfectam revocare potes mandatum. Prolixum nimis foret, si singula accuratius demonstrare velimus, quæ pro varietate casuum diversa sunt: sed non opus est ut simus prolixiores, cum eorum gnarus, quæ de actibus humanis, qui aliis utiles sunt, demonstravimus, facile in dato casu definire possit, quale jus & qualis obligatio ex actu nascatur.

§. 841.

De quasi spe, si fœtui in utero detur.

Si quid datur fœtui in utero existenti & tibi traditur, fœtui competit quasi spes dominium ejus, quod datum acquirendi & hæc spes ipsi adimi nequit. Etenim dans vult, ut dominium ejus rei, quam dicit se dare fœtui in utero ac tibi tradit, in ipsum transeat, quamprimum nascitur (§. 839. 840.). Quamobrem cum quod semel datum est, repeti non possit; irrevocabiliter vult, ut hoc fiat, nec in tuum confert arbitrium, utrum infanti nato dare, an vero antequam nascatur, restituere velis. Fœtui igitur in utero quasi promittit, quod, si ipsum nasci contingat, dominium rei tibi traditæ in eundem transire debeat. Quamobrem ex istiusmodi promissione nascitur quasi spes acquirendi rem tibi traditam infanti (§. 471. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Quod erat primum.*

Quoniam vero spes ex promissione conditionata nata promissario adimi nequit (§. 477. *part.* 3. *Jur. nat.*); spes quoque acquirendi id, quod tibi traditur & fœtui in utero dari dicitur, adimi nequit. *Quod erat alterum.*

Datur quid fœtui, ut sit ejus, quamprimum ejus esse potest. Quoniam dando dominium transfertur (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*), id in dante remanere nequit, adeoque in te, cui traditur, subsistit, tanquam debitum irrevocabiliter fœtui, quamprimum in lucem prodit. Necesse igitur est, ut eidem quid competat, ob quod interea temporis, dum in utero existit, nec a dante, nec a te, cui traditum fuerat in gratiam dantis, dominii translatio in infantem natum irrita effici potest. Id vero aliud esse nequit, quam quasi spes suo tempore, nimirum quando infans nascitur, jus verum excitatura, quæ aliunde nasci haud quaquam potest, nisi ex promissione vel quasi conditionata. Vide, quæ paulo ante annotavimus (*not.* §. 837.).

§. 842.

An pro nondum natis facta renunciatio sit valida.

Juri per te in nondum natos transmittendo renunciare potes pro te & nondum natis citra injuriam nondum natorum, non tamen pro fœtu in utero. Nondum enim nati nullum adhuc habent jus succedendi in istud jus, quod per te in ipsos transmittendum (§. 836.), & si quidem in utero nondum sunt, nec quasi spem habent acquirendi jus istud succedendi (§. *cit.*). Quando itaque renuncias juri per te in nondum natos, nec adhuc in utero existentes transmittendo pro te & nondum natis, nihil ipsis adimitur, quod citra injuriam adimi nequit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.* & §. 838. *h.*). Quamobrem juri per te in nondum natos transmittendo renunciare potes citra eorum injuriam cum pro te, tum pro nondum natis, quamdiu eorum quis nondum in utero est. *Quod erat unum.*

Enimvero quamprimum fœtus in utero concipitur, eidem competit quasi spes per nativitatem acquirendi jus succedendi in jus per te in ipsum transmittendum (§. 836.), & hæc ipsi adimi nequit (§. 838.). Quamobrem juri per te in nondum natum transmittendo pro fœtu renunciare nequis, qui in utero est. *Quod erat alterum.*

Renunciatio pro se ac nondum natis duplicem actum continet, quorum alter respicit te, alter vero nondum natum. Actu priori renuncias juri, quod in te transmittendum, aut juri in istud succedendi conditione lege transmissionis definita existente; posteriori autem juri in nondum natos jus transmittendi. Prius licitum est naturaliter unicuique (§. 118. *p.* 3. *Jur. nat.*): posterius facere licet, quamdiu nemo adhuc existit, cui competit quasi spes jus succedendi in jus transmissibile acquirendi, quæ ipsi adimi nequit (§. 838.). Renunciatio nimirum tamdiu licita, quamdiu nil fit contra jus tertii (§. 118. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque nec contra spem jus aliquando verum excitare aptam, quæ juris jam aliquid continet (§. 44. *part.* 3. *Jur. nat.*), consequenter nec contra spem, quæ num jus sit excitatura, nondum exploratum est (§. 477. *p.* 3.

Jur.

BIU Cujas

Jur. nat.). Enimvero spes ista nondum existit, quando fœtus in utero non est, quippe qui spei hujus subjectum est. Quamobrem si renuncias juri jus quoddam in nondum natos transmittendi, nec horum jus quoddam, nec spem probabiliter jus excitaturam, quæ jus quasi embryonatum est, violas, consequenter huic quoque renunciare potes (§. 118. *p.* 3. *Jur. nat.*). Quodsi vero jam destitutus es jure transmittendi jus succedendi conditionatum in jus quoddam, nec id in eum, qui tibi posthac nascitur, transferre potes, cumque per nativitatem jus nullum acquirere possit, nec spes acquirendi eidem competere potest, dum in utero existit. Patet adeo in renunciatione pro nondum natis facta, nisi quis jam sit conceptus, nihil contineri, quod injustum dici possit.

§. 843.

Naturaliter non repugnat, ut, si quis renunciet juri per se in nondum natos transmittendo, sibi reservet jus idem in nondum natos transmittendi. Etenim si quis renunciat juri per se in nondum natos transmittendo, is sufficienter declarat, quod habere nolit jus succedendi in jus transmissibile certa lege (§. 103. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ab eo autem diversum est jus transmittendi jus transmissibile, cum utique diversa sint nolle, ut jus aliquod in se transmittatur, & velle, ut per se transmittatur in alios. Quamobrem cum fieri possit, ut quis simul illud nolit, hoc velit; minime repugnat, ut, si quis juri per se in nondum natos transmittendo renunciet, sibi reservet jus idem in nondum natos transmittendi. *An renunciatio fieri possit salvo jure nondum natis acquirendo.*

Ita ex. gr. renunciare potes ea lege, ne renunciatio noceat filio, si quem tibi nasci contingat, consequenter quamprimum nascitur, in ipsum transmittas jus succedendi in jus transmissibile, quod ipse habere nolebas. In quæstionibus juris rite definiendis singula ad vivum resecanda, ne quid affirmetur, nisi quod principiis manifestis convenit, nec negetur, nisi quod iisdem repugnat. Absit itaque, ut nimiam scrupulositatem accuses, si tamdiu distinguantur jura, quamdiu aliqua differentia manifesta est.

§. 844.

Quoniam naturaliter non repugnat, ut, si quis renunciet juri per se in nondum natos transmittendo, sibi reservet jus idem in nondum natos transmittendi (§. 843.); *juri per se in nondum natos transmissibili renunciaturus expresse pro se & nondum natis renunciare tenetur.* *An renunciatio pro nondum natis expressa esse debeat.*

Patet per ea, quæ de renunciatione pro se & pro nondum natis modo annotavimus (*not.* §. 842.), duos esse actus diversos, quorum altero pro se, altero pro nondum natis renunciatur, ac ostendimus eos a se invicem separari posse (§. 843.). A renunciatione igitur pro se argumentum peti nequit pro renunciatione pro nondum ex se natis. Expresse igitur dicendum, renunciationem quoque fieri pro nondum ex se natis: alias ratio nulla est, cur ad eos extendatur. Non licet excipere, si renuncies juri succedendi in jus transmissibile juxta legem transmissionis, te jus istud non habere (§. 103. *p.* 3. *Jur. nat.*), consequenter quod non habes, id te in alium transferre non posse. Differre enim jam vidimus jus succedendi in jus transmissibile & jus transmittendi in alium. Non igitur hoc reservato per nativitatem in alium transfers, quod ipse non habes, quasi alteri daturus, quod non habes.

§. 845.

Si quis jus transmissibile per se in nondum natos repudiat, hoc non obstante in nondum natos adhuc transmittere potest, nisi eidem pro nondum natis expresse renunciet. Quando enim quis jus per se in nondum natos transmissibile repudiat, is declarat, quod jus sibi juxta legem transmissionis delatum habere nolit (§. 111. *part.* 3. *Jur. nat.*). Eo ipso autem nondum significat, quod habere etiam nolit jus transmittendi jus istud per se transmissibile in nondum natos. Quamobrem necesse est ut expresse significet, se etiam hoc habere nolle. Quoniam veto tum renunciat juri certa lege transmissibili per se etiam pro nondum natis (§. 103. *part.* 3. *Jur nat.*); ideo patet, expressa renun- *De repudiatione juris in nondum natos transmissibilis.*

BIU Cujas

nunciatione pro nondum natis opus esse, si jus per te in nondum natos repudies ac nolis id per te in eos transmitti posse, consequenter id per te in nondum natos non obstante repudiatione transmitti posse, nisi eidem pro nondum natis expresse renuncies.

Nihil in hoc difficultatis erit, modo perpendas renunciationem a repudiatione non differre nisi in eo, quod renuncietur juri futuro, repudietur vero jus præsens (§. 103. 111. *part. 3. Jur. nat.*), consequenter ad repudiationem transferri debere, quod de renunciatione demonstratum. In renunciatione casus præsentis jus conditionatum, quatenus suspenditur a conditione, pro futuro habetur; ast in repudiatione, cum conditio existat, jus præsens est, quippe purum, non amplius conditionatum.

§. 846.

An repudiatio noceat fœtui in utero.

Si quis repudiat jus per se in fœtum, qui in utero est, transmissibile; non obstante repudiatione id in ipsum per nativitatem adhuc transmittitur. Etenim fœtus in utero jam habet spem per nativitatem acquirendi jus transmissibile (§. 836.), quæ ipsi adimi non potest (§. 838.). Quamobrem repudians istud jus simul renunciare nequis juri id transmittendi in fœtum, qui in utero est (§. 118. *part. 3. Jur. nat.*). Quoniam itaque repudiatione non obstante jus in nondum natos adhuc transfertur, nisi eidem valide fuerit pro iisdem renunciatum (§. 844.); non obstante repudiatione jus in fœtum, quando nascitur, adhuc transmittitur.

Ex iis, quæ hactenus demonstravimus, in dato quovis casu, ubi de jure transmissibili quæstio est, facile definietur, quandonam factum ejus, per quem jus transmittendum in alium, nondum natis noceat, quandonam vero non noceat.

§. 847.

De jure providentia majorum quæsito.

Jus, quod certa lege in aliquem transmittitur, dicitur *providentia majorum quæsitum*. Quoniam qui jus in alium transmittit, non sua voluntate hoc facit, sed necessario transmittit, idem habet non a transmittente, sed a primo acquirente, in quem certa lege transmissionis collatum fuerat, quique adeo acquisiverat, non tantummodo pro se, verum etiam pro iis omnibus, qui sub lege transmissionis continentur. Atque adeo patet, *nos jus providentia majorum quæsitum habere a primo acquirente, non vero ab eo, a quo in nos transmittitur.*

§. 848.

Posteri quinam sint.

Posteri in genere dicuntur, qui mortuis iis, qui jam vivunt, demum nascuntur. Unde in specie *Posteri tui* dicuntur, qui te mortuo per nativitatem a te descendunt. Atque adeo patet, *posteros quantocunque gradu distare posse ab iis, qui nunc vivunt, in infinitum.*

Ita Judæi, qui nunc vivunt, sunt posteri qui ex Ægypto migrarunt, sunt posteri *Jacobi* Patriarchæ, a quo omnes per nativitatem descendunt. Nos sumus posteri veterum Germanorum, a quibus per nativitatem descendimus.

§. 849.

Majores quinam sint.

Majores ex adverso dicuntur, qui ante parentes nostros vixerunt. Atque adeo patet, *majores quantocunque gradu a nobis distare posse in infinitum*. Apud Romanos, *Paulo* Jcto teste l. 10. §. 7. ff. de grad. parentes usque ad tritavum proprio vocabulo nominabantur: ulteriores, qui speciale nomen non habebant, *majores* appellabantur.

Si

BIU Cujas

Significatu latiori sub majoribus continentur, etiam avi, qui his sunt superiores. Singulorum majores & posteri simul sumti sunt majores & posteri universi: unde & majores ac posteri dicuntur respectu totius generis humani, qui ante eos, qui nunc vivunt, vixerunt, & post eos vivent. Atque hic significatus latissimus convenit juri naturæ, ubi de officiis erga posteros agimus, nisi in specie nominentur majores, vel posteri respectu alicujus personæ.

§. 850.

Si quod officium posteris præstare possumus, ad id præstandum sumus obligati. Etenim omnem tenemur facere facultatum nostrarum usum, qui ad perficiendum animam, corpus & statum hominum aliorum & ad arcendum omnem imperfectionem ab eorum anima, corpore & statu requiruntur, quatenus id absque neglectu officii erga se ipsum fieri potest (§. 609. *p.* 1. *Jur. nat.*), consequenter quodvis omni homini præstare officium, quod citra neglectum officii erga se ipsum præstari potest (§. 224. 152. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum posteri sint homines, qui nobis mortuis in locum nostrum succedunt (§. 848.); si quod officium iis præstari a nobis potest, ad id præstandum utique obligati sumus. *Principium generale de officiis erga posteros.*

Posteri nondum vivunt, quando nos vivimus, adeoque non ea iis præstare possumus officia promiscue, quæ vivis præstantur, neque etiam officia nostra nondum natis prosunt, si præsentem utilitatem spectes. Enimvero impossibile non est, ut posteris quoque consulamus, quatenus dantur facta, quorum effectus durat, nobis licet mortuis, immo dudum mortuis, in infinitum. Hinc & istiusmodi factis de posteris bene mereri dicimur.

§. 851.

Posteros quoque amare debemus tanquam nosmetipsos. Alterum enim amat is, cujus animus dispositus est ex illius felicitate voluptatem percipiendi (§. 633. *Psych. empir.*). Quamobrem cum non repugnet, ut posterorum felicitatem nobis repræsentemus, atque adeo ex eadem voluptatem percipiamus; posteros quoque amare possumus. Amare alterum tanquam seipsum officium quoddam est, quod aliis præstamus (§. 619. *p.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam itaque ad præstandum quoque posteris officium sumus obligati, quod iisdem præstare possumus (§. 850.); posteros quoque amare debemus tanquam nosmetipsos. *Universalis hominum amor ad posteros extensus.*

Nimis arctis limitibus amorem universalem omnium hominum includunt, qui eum ultra eos, qui nunc vivunt, non extendunt, & plurimum falluntur, qui sibi persuadent, qui nondum vivunt, immo demum nascentur, quando dudum fuerimus mortui, amari non posse, propterea quod nobis prorsus sunt ignoti. Amor enim non requirit, ut tibi notus sit, quem amas. Sane amare possumus homines, qui in locis procul remotis vivunt, & eorum adversa dolere, quæ nobis narrantur, ita ut si per nos staret, ab omni calamitate eos liberaremus. Similiter ei, qui posteros amat, in votis esse potest, ut sint ab omni calamitate immunes, immo ne fata adversa experiantur, quæ nos premunt, & ut fortunam habeant sibi faventem, quæ nobis favet. Nec repugnat amor posterorum notionibus communibus. Laudamus enim eum, qui posteris bona quævis apprecatur, & ex adverso reprehendimus illum, qui iisdem diras imprecatur, adeoque laudamus amantem, reprehendimus odio prosequentem posteros.

§. 852.

Operam dare debemus, ut scientiæ ac artes ad posteros propagentur &, si quæ suppeditare possumus, quæ faciunt ad ulteriores progressus, ea suppeditemus. Officii enim nostri est, ut in propagandis virtutibus intellectualibus, consequenter scientiis atque artibus (§. 240. 261. *part.* 1. *Jur. nat.*), sedulí simus (§. 638. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum nemo sit, qui dubitet, scientias ac artes etiam ad posteros propagari posse, si quod vero officium præstare posteris possumus, ad id præstandum obligati simus *De cura circa scientiam & artes posterorum.*

BIU Cujas

mus (§. 850.); operam omnino dare debemus, ut scientiæ ac artes ad posteros propagentur. *Quod erat unum.*

Est etiam officii nostri efficere, si in potestate nostra fuerit, ut alii consequantur bona animi, quæ ipsimet pro rerum nostrarum statu consequi minime possumus (§. 646. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter ut ulteriores quoque in scientis ac artibus faciant progressus, quam nobis facere datur. Patet igitur ut ante, si qua suppeditare possimus, quæ posteris prosunt ad ulteriores in scientiis ac artibus progressus, ea nos suppeditare debere. *Quod erat alterum.*

Nos sane ad eas scientias non perveniissemus, quæ hodie inter nos florent, nisi eas antiqui ad nos propagassent. Immo si ulterius progressi sumus, nobis non patuisset via ad ulteriora, nisi nobis cognita atque perspecta fuissent, quæ a veteribus inventa fuerunt. Sane Geometria ad sublimem illum gradum evecta a nobis non fuisset, nisi *Euclidis* inprimis, *Apollonii* ac *Archimedis* auxilio adjuti fuissemus. Astronomiam ad præsentem perfectionis gradum perduci prorsus impossibile fuisset, nisi veterum monumenta nobis conservata fuissent. Neque est quod dubites, fuisse quoque inter veteres, qui posteris prodesse voluerunt, ac id præcise intenderunt, ut posteri ad eam scientiam perveniant, quæ ipsis negabatur. Sane *Hipparchus* occasione stellæ novæ, quæ ipsius tempore apparebat, catalogum fixarum condidit, in quo posteris annumeravit stellas, ut iisdem pateret, num fixæ quoque sint mutationi obnoxiæ, aliis intereuntibus, aut conspectui nostro sese subducentibus, aliis de novo orientibus, aut in conspectum nostrum prodeuntibus. Neque nostro tempore desunt, qui eodem cum *Hipparcho* sunt animo. Exempli loco esse potest *Hallejus*, qui anno 1742. diem supremum obiit. Is enim cum reperisset, quantum observatio transitus Veneris per solem, qui anno 1761. continget, inservire possit distantiæ solis a terra accuratius, quam hactenus fieri potuit, definiendæ, consequenter quantum inde incrementum Astronomia habere possit; tempestive de eo monuit Astronomos & ad phænomenon adeo rarum observandum adhortatus est, etsi probe gnarus sibi non licere esse tam felici, ut ad solidiorem cognitionem systematis nostri Planetarii, quæ inde pendet, perveniret. Equidem non nego, raram admodum esse hanc virtutem, qua procurare intendimus, ut posteri ad majorem scientiam perveniant, quam nobis datur, nec nego, haud raro citra intentionem ejus, qui viam posteris ad ulteriora sternit, hoc fieri; non tamen putandum est, genus humanum adeo corruptum esse, ut nemo prorsus sit, qui virtute tam præclara excellat. *Confucius*, cum a discipulis suis supra omnes mortales extolleretur, ultro confitebatur, venturum aliquem, qui ipso futurus sit superior, si non in amplissimo Sinarum imperio, attamen in alio terrarum loco. Neque ullus dubito, si præclaro huic Philosopho datum fuisset efficere, ut posteri in universum omnes ipsum scientia ac virtute superarent, quod id quam lubentissime facturus fuisset.

§. 853.

De veritatibus ac artibus humano generi utilibus non reticendis.

Quoniam operam dare debemus, ut scientiæ ac artes ad posteros propagentur (§. 852.); *si quis veritatem quandam generi humano cognitu utilem, aut artem quandam invenit, eam celare ac ut secum intereat pati minime debet*, consequenter *in posteros injurii sunt, qui quæstus gratia, aut vana quadam alia de causa, arcana quædam scientiæ ac artis revelare nolunt.*

Forsan huc referre licet arcana quædam Medicorum, quæ, cum generi humano plurimum prodesse prædicent, nota tamen aliis facere recusant, ob lucrum, quod ex iis sperant, quamdiu vivunt. In eundem censum veniunt artifices, qui arcana artis non modo propalare nolunt, quamdiu vivunt, sed nec curæ cordique habent, ut post obitum suum aliis innotescant,

§. 854.

An virtutes morales ad posteros propagare liceat.

Virtutes morales ad posteros propagare possumus, veritates morales inveniendo, exempla virtutum præclara memoriæ posterorum mandando & ad studium virtutis eos, qui nunc vivunt, adducendo. Etenim veritates morales faciunt ad virtutis cognitionem & quomodo hæ sint acquirendæ, conservandæ ac augendæ nos instruunt. Quamobrem cum veritates inventæ perpetuum habeant usum, inventoribus dudum mortuis, qui veritates morales invenit, virtutes morales ad posteros etiam propagare potest. *Quod erat primum.*

Exem-

BIU Cujas

Exemplorum magna vis est in virtutibus propagandis (§. 266. 269. 270. 273. 275. 277. *& seqq. part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem si exempla virtutum præclara memoriæ posterorum mandamus; virtutes quoque morales ad posteros propagare possumus. *Quod erat secundum.*

Quodsi operam demus, ut, qui nunc vivunt, sint virtuti dediti, & a prima pueritia virtutis amor tenellis animis jam insinuetur, ut hi rursus alios ad virtutis studium adducere possint; virtus quasi per traditionem ad posteros propagari potest. *Quod erat tertium.*

Nemo dubitat, scientias ac artes ad posteros propagari posse. Quodsi quæsiveris, quomodo hoc fiat; non difficilis est responsio, quam obvia unicuique experientia suggerit, nimirum quod veritates inventæ literis consignentur, & hoc pacto memoriæ posterorum mandentur, aut quod ætate majores eas continuo doceant minores, quomodo inprimis artes inter homines propagari solent. Artes adeo ac scientiæ propagantur partim per scripturam, partim per traditionem, utroque modo etiam ad posteros. Plura sane majoribus nostris debemus, quam iis, qui nunc vivunt, sive veritatum utilium cognitionem, sive artes quascunque spectes. Immo qui scientias amplificarunt, aut artes perfecerunt, id præstare haud quaquam potuissent, nisi a majoribus inventa sive per scripturam, sive per traditionem ad nos propagata fuissent. Videmus adeo tam veritatum cognitionem, quam praxin cum per scripturam, tum per traditionem ad posteros propagari posse. Ecquis ergo dubitet, eodem prorsus modo tam veritatum moralium notitiam, quam praxin virtutum, aut si mavis virtutes ipsas ad posteros propagari posse. Sunt utique rationes, quæ homines magis impellunt ad artes, quam ad virtutes propagandas: ast inde minime conficitur, has non eodem modo, quo illas propagari posse. Nihil adeo asserimus, quod sit a ratione alienum, nec experientiæ consentaneum. Absit autem ut tibi persuadeas, perinde esse, sive in propagandis scientiis, artibus ac virtutibus moralibus, præsentium saltem utilitatem ac felicitatem intendas, sive etiam posterorum rationem habeas, quasi utilitas posteris inde expectanda per se in eosdem redundet. Contrarium enim patebit suo loco in Philosophia morali, ubi talia explicatius tradenda, quæ quomodocunque ad praxin virtutum faciunt.

§. 855.

De virtutibus moralibus ad posteros propagandis.

Operam dare debemus, ut virtutes morales etiam ad posteros propagentur. Officii nostri est, ut in propagandis virtutibus moralibus sedulo simus (§. 638. *part.* 1. *Jur. nat.*), ac fieri potest, ut easdem ad posteros quoque propagemus (§. 854.). Enimvero si quod officium posteris præstare possumus, ad id præstandum obligamur (§. 850.). Quamobrem etiam obligamur virtutes morales ad posteros propagare, consequenter operam dare debemus, ut propagentur.

Non una sane de causa contingit praxin hujus officii esse difficilem, & difficultates haud raro objici insuperabiles: id quod suo loco in Philosophia morali patebit, quando impedimenta virtutis & causas vitiorum demonstraturi sumus. Quamvis autem conatus noster eventu, quem optamus, destituatur; id tamen minime nos liberat ab obligatione nostra. Faciendum, quod nostrum est ac a nobis fieri potest; cetera committenda providentiæ divinæ. Neque tamen existimandum est, si plures satisfacerent omni animi contentione huic officio, nullum prorsus fore effectum. Sed quicquid hujus sit, nobis hic saltem docendum est, quid sit officii nostri, non vero in præsenti disquirendum, quo effectu eidem satisfiat. Sane nemo diffiretur, recte in Jure naturæ demonstrari, quod homines in universum omnes unusquisque amare debeat tanquam seipsum, etsi rarissima sint hujus amoris exempla, nec fieri a nobis possit, ut omnium omnino animis amor iste instilletur. Ecquis ergo jure reprehendet, quod virtutis ad posteros propagationem urgeamus, quia videmus quam multa sint, quæ conatus nostros irritos facere possunt?

§. 856.

De cura felicitatis posterorum.

Quoniam sine virtute nemo felix esse potest, nec felicitas a virtute sejungi potest (§. 400. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), operam vero dare debemus, ut virtutes morales etiam ad posteros propagentur (§. 855.); *nobis quoque opera danda est, ut felicitatem posterorum promoveamus.*

BIU Cujas

Convenit hoc maxime amori universali, quo etiam posteros prosequi debemus (§. 851.). Quodsi enim posteros amamus, voluptatem percipimus ex eorum felicitate (§. 633. *Psych. empir.*) & amor nos impellit, ut ad felicitatem illorum conferamus (§. 652. 636. *Psych. empir.*), quicquid a nobis proficisci potest.

§. 857.

De arboribus in gratiam posterorum plantandis.

Arbores fructiferæ posterorum causa plantandæ, immo etiam sylvestres, ubi verendum, ne posteris desit lignorum sufficiens copia, ac eorundem causa lignis parce utendum. Officii enim nostri est, ut, quicquid ad hoc conferre valeamus, ne aliis desint ea, quæ ad vitæ necessitatem faciunt, multiplicando scilicet rerum necessariarum proventum, quas natura sua sponte non profert (§. 506. *part.* 1. *Jur. nat.*) & plantare arbores sylvestres, si natura sua sponte non profert tantam lignorum copiam, quanta omnibus sufficit ad vitam conservandam & commode transigendam (§. 509. *part.* 1. *Jur. nat.*). Nemo ignorat, fructus arborum ad cibos referendos esse, adeoque vitæ necessitati inservire, non autem semper fieri posse, ut, arborum, quas plantas, fructus ipse percipias. Posteris adeo consulitur arbores fructiferas plantando. Ac idem patet de arboribus sylvestribus, quarum pleræque tarde admodum crescunt, antequam cædi possint. Quoniam itaque ad præstandum officium posteris obligamur, si quod iisdem præstare valemus (§. 850.); arbores fructiferæ posterorum causa plantandæ sunt, immo etiam sylvestres, ubi verendum, ne posteris desit lignorum sufficiens copia. *Quod erat unum.*

Lignorum usu homines carere non posse, si vitæ necessitati ac commoditati prospicere velint, nemo est qui nesciat, ut adeo ligna sint in numero rerum tam necessariarum, quam utilium (§. 499. 500. *part.* 1. *Jur. nat.*). Lex naturæ omni homini tribuit usum rerum necessariarum & utilium necessarium (§. 14. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque arbores sylvestres non modo destinantur usui eorum, qui nunc vivunt, sed etiam posterorum. Quamobrem lege naturæ permissum esse nequit, ut lignorum usu priventur posteri, si quidem is iisdem conservari potest. Quodsi ergo metuendum, ne posteris desit sufficiens lignorum copia, eorundem causa lignis parce utendum. *Quod erat alterum.*

De posteris adeo bene merentur, cum qui arboribus sylvestribus plantandis operam dant, ubi verendum, ne desit lignorum sufficiens copia posteris, tum qui lignorum parsimoniam docent, inquirendo in artem lignis parce utendi. Lignorum abusum non defendunt dominia, neque enim hæc introduci potuerunt in præjudicium posterorum. Natura res communes facit toti generi humano, neque consulit tantummodo iis, qui nunc vivunt, verum etiam posteris. Postquam adeo dominia introducta sunt, rebus ita utendum, ne posteris auferatur, quod ipsorum aliquando esse debet. Amori posterorum adversatur, cum ipsorum detrimento suæ prospicere utilitati. Et justitiæ universali convenit, ut actiones nostras etiam referamus ad utilitatem posterorum, quantum datur (§. 934. *part.* 1. *Jur. nat.* & §. 850. *h.*). Sed nolumus in explicandis officiis erga posteros esse prolixiores: qui enim amore posterorum indulgere voluerit (§. 851.) & ad animum revocaverit, se ad omne officium posteris præstandum obligari, quod a se in ipsos proficisci potest (§. 850.), is per se agnoscet, quid posteris debeat, quoties sese occasio offert iisdem officium aliquod præstandi.

CA-

BIU Cujas

CAPUT VII.

De officiis & jure Eruditorum.

§. 858.

Eruditi quinam dicantur.

Eruditos vocamus eos, qui rerum cognitionem ac scientiam habent. Pro diversitate rerum, quarum quis cognitionem ac scientiam habet, speciale sortitur nomen. Ita *Jctus* appellatur, qui juris cognitionem ac scientiam habet: *Medicus*, qui sanitatis ac morborum & modi illam conservandi, hos curandi cognitionem ac scientiam habet: *Physicus*, qui rerum naturalium cognitionem ac scientiam habet: *Literator*, qui linguarum cognitionem ac scientiam habet: *Historicus*, qui rerum singularium, factorum inprimis hominum in singulari, cognitionem habet: *Rhetor*, qui artis oratoriæ cognitionem ac scientiam habet, & ita porro.

Notio eruditi communi loquendi usu non satis determinata est: hic vero vocabulum ad significatum fixum fuit reducendum, qui ab usu loquendi non abhorreat. Communis loquendi usus exigere videtur, ut quis cognitioni ac scientiæ rerum se unice dedat, nec aliud vitæ genus primario sectetur, quin potius sua rerum cognitione ac scientia aliis inservire studet, nisi in otio liberario conseneſcere malit. Videtur etiam idem requirere, ut quis recepto inter nos more rerum cognitioni ac scientiæ acquirendæ operam navaverit, ut alia taceamus. Immo sunt qui putant, neminem esse posse eruditum, nisi calleat linguam Latinam, vel etiam Græcam aut Hebraicam. Enimvero talia nobis insuper habenda sunt, ubi vagus ac inconstans loquendi mos minime ferendus. Illud autem per se patet, non statim eruditi nomen mereri, qui unius, vel alterius rei cognitionem, aut scientiam habet; sed requiri ad eruditum, ut saltem rerum certi generis, veluti juris, aut modi conservandi sanitatem ac curandi morbos cognitionem ac scientiam habeat. Ideo eruditi minime appellantur artifices ac opifices, quamvis cognitionem habeant illarum rerum, quæ ad artem suam, vel opificium pertinent, nec eruditus vocatur miles, utut habeat cognitionem illarum rerum, quæ ad bellum gerendum necessariæ sunt. *Scaliger* dixit eruditum esse, qui norit rerum differentias ac possit unumquodque proprio suo nomine efferre: quod si rite explicetur, eruditos ab iis, qui non sunt, facile distingues, ac definitionem *Scaligeri* cum nostra consentire deprehendes. Qui enim rerum cognitionem habet, eas a se invicem distinguit, earundemque adeo differentias novit. Quod vero ad res a se invicem distinguendas requirantur vocabula tanquam signa, per quæ indigitantur, abunde constat. Enimvero quoniam non modo ea, quæ cognoscuntur, ad certa genera reduci possunt, verum etiam diversus datur facultatum usus, quo cognitio acquiritur; ideo eruditi pro varietate objectorum, circa quæ versantur, in varia genera distribuuntur, & in iis pro diverso cognitionis gradu, seu diverso usu facultatum ad cognitionem acquirendam adhibendo in suos ordines dividuntur. Quod genera eruditorum attinet, exempli loco quædam eorum commemoravimus, nec nostrum est, accurate enumerare singula, cum ad præsens institutum nihil faciat ista enumeratio. Sufficit igitur eruditos cujusvis generis distinguere in suos ordines.

§. 859.

De Eruditorum ordinibus.

Eruditorum alii ea, quæ cognoscunt, memoria saltem comprehendunt; alii vero intellectu: alii denique pollent habitu ex iis, quæ intellectu comprehenderunt, investigare alia, quæ nondum cognita sunt. Illi cognitione rerum nonnisi historica (§. 3. *Disc. prælim.*); ii philosophica, immo etiam mathematica instructi (§. 6. 14. *Disc. prælim.*); hi denique inventorum numero sunt (§. 454. *Psych. empir.*). *Eruditi infimi ordinis* sunt, qui historicam saltem rerum cognitionem habent. Atque hi vocantur *Eruditi vulgares*, seu *triviales*, quatenus memoria tantum comprehendunt ea, quæ cognoscunt. *Eruditi secundi, seu medii ordinis* sunt, qui philosophicam, immo etiam mathematicam rerum cognitionem habent. Hi dicuntur *solide eruditi*. *Eruditi* denique *primi ordinis* sunt, qui habitu veritates adhuc latentes inveniendi pollent. Et hi dicuntur *Inventores*. In omnibus ordinibus diversi admodum dantur gradus, qui tam ab objecto cognitionis, quam a subjecto dependent.

Equi-

BIU Cujas

Equidem non ignoro, esse haud paucos, quibus vulgarium, seu trivialium eruditorum appellatio odiosa, & qui ægre ferunt, de ipsis scientiam negari; sallunturtamen, quod sibi persuadeant, per contemtum hoc fieri. Quæ enim distincta sunt, ea quoque a se invicem distinguenda sunt, & qui veritati consentanea dicit, non habet animum alterum contemnendi, nec veritas fert animum adulandi, cumque ad certam rerum cognitionem fixus ac determinatus requiratur vocabulorum significatus, ex notionibus quoque fixis ac determinatis ferendum judicium. Arrogantis vero est, affectare laudem, quæ in ipsum non cadit (§. 566. 550. *part.* 1. *Jur. nat.*). Non destituuntur sua laude etiam eruditi infimi ordinis: aliud enim est vulgus eruditorum, aliud vulgus imperitum. De aliis quoque bene mereri possunt, qui cognitionem rerum historicam tantummodo habent, ut inter inutilia terræ pondera minime sint referenda. Immo fieri potest, ut sola cognitione historica instructus aliis magis utilis sit, quam qui philosophica, immo etiam mathematica instructus est, & vel inter primi ordinis eruditos principem quendam locum tenet. Laus vero hæc diversa est ab ea, quæ a gradu cognitionis petitur, neque adeo cum hac confundenda.

§. 860.

De loco inter eruditos obtinendo.

Quilibet eruditus operam dare debet, ut locum quendam teneat in eo ordine in quo aliquem obtinere potest. Etenim ordines eruditorum distinguuntur usu facultatum, quo rerum cognitionem acquirunt (§. 859.), consequenter ab habitu facultatum cognoscendi pendet locus, quem inter eruditos in ordine quodam quis tenet. Quoniam itaque quilibet eruditus obligatur ad consequendum omnem habitum facultatum cognoscendi acquisitu sibi possibilem (§. 211. *part.* 1. *Jur. nat.*); quilibet quoque operam dare debet, ut locum quendam teneat in eo ordine, in quo aliquem obtinere potest.

Eruditorum omnino est, ut habitus facultatum cognoscendi acquirant, cum ipsorum sit rerum cognitionem sibi acquirere (§. 858.). Non vero libertati tuæ relictum est, quousque progredi velis; sed lex naturæ præcipit, quousque sit progrediendum. Qui gradum sistit, cum ulterius progredi possit, peccat (§. 440. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quodsi vero quæratur, num ulterius progredi possis: non solum animum attendere debemus ad dispositiones naturales, quæ animæ insunt, & accedente exercitio ad habitum evehi possunt (§. 430. *Psych. empir.*); verum etiam ad opportunitatem habitum aliquem acquirendi, quæ fortunæ subest, nec nostræ potestati subjecta. Quis enim est qui nesciat, nos non omnia agere posse, ad quæ usus facultatum nostrarum sufficeret, nisi nobis otium sit ac cetera faveant, quæ extra nos sunt. Satisfecit adeo officio suo, qui fecit, quantum facere potuit (§. 209. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 861.

Idem porro expenditur.

Quoniam *quilibet eruditus* operam dare debet, ut locum quendam teneat in eo ordine, in quo aliquem obtinere potest (§. 860.); *in gradu infimo subsistere non debet, qui in secundum ascendere potest, nec in secundo is, cui patet ad primum aditus.*

Gloriam affectantes, quam nondum merentur, in gradu inferiori subsistere solent, cum, nisi maturius comparere mallent, in superiorem ascendere possent. In hunc censum veniunt, qui alios docere volunt, quæ nondum didicerunt, & ex aliorum libris exscribunt, quæ ipsimet nondum intelligunt, quamvis non destituantur aptitudine & opportunitate ad illa addiscenda, hæc intellectu comprehendenda. Ita sunt, qui inventores agere volunt, antequam ab aliis inventa sciant, ac oleum ac operam perdunt, tempus fallunt. Sed dantur adhuc aliæ causæ, cur multi in eum ordinem non veniant, in quem venire potuissent. Ita huc pertinet illud pervulgatum: multi ad scientiam pervenissent, nisi se jam perveniss putassent. Sed de his expressius dicere, non est hujus loci.

§. 862.

De continuo progressu ad cognitionem ulteriorem.

Similiter quia eruditus quilibet operam dare debet, ut locum quendam teneat in eo ordine, in quo aliquem obtinere potest (§. 861.), &, cum amplissima sit rerum cognitio, in unoquolibet dentur gradus (§. 859.); *in gradu inferiori subsistere non debet, qui ad altiorem ascendere potest*, consequenter *eruditus cujuscunque ordinis continuo ulterius progredi debet, nec in ea rerum cognitione ac scientia acquiescere, quam acquisivit.*

Officio

BIU Cujas

Officio huic satisfaciunt, qui morti vicini discendi animum nondum deposuerunt. Discendum, quamdiu vivimus, ad quamcunque tandem ætatem pervenerimus. Nemo enim est, qui affirmare possit, se jam omnia didicisse, quæ scitu sibi utilia, quantamcunque demum rerum cognitionem ac scientiam acquisiverit & in quocunque rerum cognoscibilium campo versetur. Peccant igitur, qui, quam acquisiverunt rerum cognitionem atque scientiam, amplificare nolunt, aut ne ulterius progredi possint sibimetipsis obstacula opponunt. Recte tibi imputatur, cum, quæ tibi impedimento sunt, ab iis abstinere & potuisses, & debuisses, abstinere tamen nolueris. Lex naturæ nos obligat ad omnem perfectionem consequendam, quæ in potestate nostra est (§. 180. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem arbitrii tui non est, quantam rerum cognitionem ac scientiam acquirere velis, sed danda tibi opera est, ut eam acquiras, quam potes. Equidem qui amore scientiarum ducuntur, sua veluti sponte ad ulteriora progrediuntur, immo subinde dolent, quod non omni rerum cognitioni vacare possint, quam sibi comparare vellent; negari tamen propterea nequit, eos non facere, nisi ad quod faciendum æterna lege obligantur. Immo si in rectitudine actionis eorundem nihil desiderari debet, hoc, ad quod naturali quasi quodam impetu feruntur, facere non debent sine sensu officii. Sane non alio fine officia eruditorum hic demonstramus, quam ut eruditis sensum etiam officii instillemus in iis, quæ pro lubitu suo facere sibi videntur. Sensus enim hic officii multum influit in appetitum, eundemque rectificat, ne ex eo, quod bene a nobis factum, vitiosi quidpiam contrahat. Quantumcunque ad incrementum scientiarum contuleris; nihil tamen fecisti, nisi quod facere debuisti. Utinam sensus iste officii, quo maxima pars eruditorum destituitur, omnium animis instillari posset! Nullus dubito fore, ut pessimi quidam eruditorum mores reformentur.

§. 863.

Eruditi conjunctis viribus rerum cognitionem ac scientiam promovere debent. Etenim eruditi rerum cognitioni ac scientiæ vacant (§. 858.), adeoque ipsorum est rerum cognitionem ac scientiam promovere (§. 184. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum per se pateat, conjunctis viribus rerum cognitionem ac scientiam rectius ac abundantius promoveri posse, quam disjunctis; eruditi omnino obligantur ad rerum cognitionem ac scientiam conjunctis viribus promovendam. *De rerum cognitione & scientia conjunctis viribus promovenda.*

Datur etiam lex naturæ perfectiva, quæ nos obligat ad id, quod altero melius, eidem præferendum (§. 192. 193. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum in dubium revocari minime possit, conjunctis viribus rerum cognitionem ac scientiam melius propagari posse, quam si unus alterius opera uti nolit; dubitari quoque nequit, lege saltem perfectiva nos obligari ad rerum cognitionem ac scientiam promovendam. Equidem non desunt, qui arroganter affirmant, se sibi solis omnia debere, nihil aliis, quorum adeo judicio opus esse non videtur, ut ad rerum cognitionem ac scientiam promovendam eruditi vires suas conjungant; nemo tamen est, qui frivola istiusmodi jactantia se decipi patitur, nisi qui prorsus ignarus fuerit, qualis sit in scientiis progressus. Ingratus est in alios, qui fateri non vult, se ab aliis profecisse: injurius est in alios, qui sibi tribuit, quod aliis acceptum ferre debebat. Conjungunt autem vires suas eruditi non uno modo ad rerum cognitionem atque scientiam promovendam. Conjunctio alia indeliberata est, quatenus quæ unus publici juris facit, alter emendat magisque perficit, aut iisdem utitur ad ulterius progrediendum, vel etiam occasionem inde arripit ad alia addenda, de quibus alias non cogitasset. Alia vero deliberata est, quando unus utitur alterius consilio & auxilio, aut quæ a se inventa sunt, alterius judicio & examini subjicit, vel etiam quando scientiarum amplificandarum & propagandarum causa societas contrahitur. Huc etiam pertinent commercia literaria eum in finem celebrata. Quæ vero paulo ante (*not.* §. 862.) annotavimus de sensu officii; eadem quoque hic tenenda sunt, quemadmodum in casibus aliis bene multis. Non tamen opus est, ut semel dicta sæpius repetantur. Quodsi enim demonstratum fuerit, nos lege naturæ ad quidpiam obligari: per se patet a praxi abesse non debere sensum officii, hoc est, eo animo id a nobis fieri debere, ut obligationi naturali satisfaciamus, & ubi factum fuerit, firmiter teneamus, nos non fecisse, nisi quod debeamus.

§. 864.

Quoniam eruditi conjunctis viribus rerum cognitionem ac scientiam promovere debent (§. 863.); *si quis suppeditare quædam possit, quæ aliis ad ulterius progrediendum prosunt, ea suppeditare tenetur, & si quem consilio & auxilio juvare possit in rerum cognitione ac scientia acquirenda, vel in veritate adhuc latente detegenda, id lubenter da, vel facere debet.* *De adjuvandis aliis in veritate cognoscendetegenda.*

Qui

BIU Cujas

Qui ad ea animum attendit, quæ de conjungendis viribus eruditorum ad rerum cognitionem ac scientiam promovendam modo annotavimus (*not.* §. 863.); facile animadvertet, quomodo hæc inde inferantur. Officii hujus præstatio plurimum facit ad scientias propagandas, perficiendas & augendas. Convenit id amori universali, quem omni homini debemus: convenit etiam amori scientiarum. Vir eruditus, qui alios amat, vix veritatem quandam cognovit, quin nihil magis in votis habeat, quam ut ea etiam aliis sit perspecta. Et quo ea majoris momenti est aut utilitatis, eo ardentius idem desiderat. Qui scientias amat, is ex earum propagatione ac incremento voluptatem percipit (§. 654. *Psychol. empir.*), & ad perfectionem earum promovendam pronus est (§. 655. *Psych. empir.*). Amor igitur tam aliorum eruditorum, quam scientiarum, officium, de quo nobis sermo est, imperat. Nec desunt illustria exempla eorum, qui huic officio satisfecerunt. Ita *Bessarion* Cardinalis, cum meliorem versionem Latinam *Ptolemæi*, quam quæ tunc temporis extabat, meditaretur, sed ob alia negotia publica perficere non posset, suasit *Georgio Purbachio*, ut *Ptolemæi* Almagestum brevius lucidiusque facere conaretur. Enimvero cum is vix absolutis sex libris quasi in medio cursu (constat enim opus præclarum libris tredecim) vitam finiret, paulo ante, quam e vita discederet, *Joanni Regiomontano*, discipulo suo, cum in manibus & gremio moribundum teneret, continuationem operis cœpti commendavit: Vale, inquiens, mi *Joannes*, vale, &, si quid apud te pii præceptoris memoria poterit, opus *Ptolemæi*, quod ego imperfectum relinquo absolve, hoc tibi ex testamento lego: *Bessarion* vero eorundem hortabator, ut grande opus prosequeretur. Atque ita factum est, ut hodienum habeamus opus, in quo sententiæ *Ptolemæi* clariores sunt redditæ & Geometrarum more divisæ, ut & apertius intelligantur & facilius mandentur memoriæ, & tenacius hæreant. Nostro ævo *Leibnitius*, cum in omni eruditionis genere esset versatissimus, aliorum conatus lubentissime adjuvit, & alios ad præclara præstanda incitavit, ita ut, quemadmodum ipse de se dicere solebat, fungeretur loco cotis. Similiter *Joannes Bernoulli*, cujus eminentia in Matheſin sublimiorem merita grata venerabitur posteritas, non modo iis, qui disciplinæ ejus se dederunt, fideliter communicavit omnia, quæ in schedis habuit suis, ac artificia a se inventa Analyseos recentioris publice nondum extantia, ut pateret aditus ad ea, ad quæ alias pervenire ipsis datum non fuisset; verum etiam aliis, qui literis eum compellarunt, in consilio & auxilio se facilem præbuit, ut non tantum per se, sed & per alios scientiam promoveret, errantesque in viam reduceret. Utinam hæc exempla sequerentur alii, quemadmodum debent (§. 931. *part.* 1. *Jur. nat.*)! Cui cognitum atque perspectum est, quantum intersit fidum habere ducem in via non satis trita & tempestive a deviis in rectum tramitem revocari; is ultro fatebitur, ad scientiarum propagationem ac incrementum mirifice conducere officium præsens.

§. 865.

De consilio eruditis inferioris ordinis dando ab iis, qui sunt superioris.

Quoniam eruditi superioris ordinis rectius intelligunt, quid ab iis fieri possit, qui sunt ordinis inferioris, quam ipsimet, eruditus autem unus alteri consilio suo, in propaganda & promovenda rerum cognitione ac scientia deesse minime debet (§. 863.); *eruditi superioris ordinis docere eos, qui sunt inferioris, debent, quid ad promovendam rerum cognitionem ac scientiam conferre utiliter possint.*

Quemadmodum unusquisque eum laborem seligere debet, cui obeundo se parem sentit (§. 528. *p.* 1. *Jur. nat.*); ita quoque eruditus ad promovendam rerum cognitionem ac scientiam conferre debet, quod potest, ne subeat onus humeris suis impar. Haud raro vero eruditi plus sperare solent de facultatibus suis, quam in iis est, atque adeo irrito conatu aggrediuntur opus, quod aut prorsus non perficere, aut saltem rite perficere non valent. Necesse igitur est, ut doceantur ab aliis, quid ab iis præstari possit. Possent autem eruditi etiam infimi ordinis prodesse illis, qui sunt superioris. Ex. grat. Non inutile foret Geometris primi ordinis, qui veritati operam dant, si theoremata omnia, quæ hactenus inventa sunt, ordine alphabetico sine demonstratione digesta haberent, cum constet haud raro facilius ad quædam, quæ quæruntur, per calculum algebraicum patere aditum per theorema quoddam jam cognitum, immo subinde & parare aditum ad inaccessa. Sufficit his colligendis Geometra infimi ordinis, qui historicam saltem Geometriæ cognitionem habet, aut selecta saltem *Euclidis* theoremata vi demonstrationum intellectu comprehendit. Quodsi ergo quis hoc labore defungeretur, qui sufficiente librorum apparatu instructus est; is auxilium non contemnendum ferret Geometris etiam primi ordinis, præsertim iis, qui non toti omnem ætatem in lineis ac calculis consumere possunt.

§. 866.

BIU Cujas

§. 866.

Qui per se statuere nequit, quid sit faciendum; is peritos consulere ac eorum consilium sequi debet. Qui enim per se statuere nequit, quid sit faciendum, is alterius consilio indiget (§. 983. *part.* 1. *Theol. nat.*). Quamobrem cum quilibet homo alterum ope ipsius indigentem juvare debeat, ut consequatur animi, corporis ac fortunæ bona, quantum in potestate sua est (§. 612. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter etiam periti obligentur consilio adjuvare ejusdem inopes, & unusquisque obligetur ad actionum rectitudinem, seu recte agendum (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); qui per se statuere nequit, quid sit faciendum, peritos consulere ac eorum consilium sequi debet. *Quid faciendum in rebus dubiis.*

Amor universalis, quem lex naturæ urget (§. 619. *p.* 1. *Jur. nat.*), homines omnes arctissimo vinculo copulavit, ita ut, qui alterius ope indiget, eundem spectare possit tanquam unum cum seipso. Quodsi ergo vi intellectus tui statuere nequis, quid sit statuendum; intellectus alterius, qui statuere valet, est tibi loco intellectus tui. In hoc nimirum casu intellectum tuum cum intellectu alterius unit amor universalis, ut perinde sit, ac si intellectus alterius tibi inesset, aut quæ inest alteri scientia inesset tibi. Ex obligatione alterius ad consilium ejus inopi impertiendum nascitur jus ad idem ab eodem expetendi (§. 23. *p.* 1. *Jur. nat.*): ex obligatione vero ad recte agendum (§. 189. *part.* 1. *Philos. pract. univ.*) descendit obligatio ad juris ipsius usum, ut adeo non amplius tantummodo licitum sit consilium periti expetere, verum etiam istud expetere &, ubi datum fuerit, sequi debeas. Non igitur tantummodo adest physica quædam necessitas, ut de eo, quid faciendum sit, per alios statuat, qui per se statuere nequit, quando in necessitate agendi constitutus est; sed necessitas etiam moralis, ut statuere debeat, si vel maxime indispensabilis agendi necessitas non adsit. Alteri autem opem ferimus non minus quoad actum intellectus, quam quoad actus externos, ut adeo nemini dubium videri debeat, utrum ex eo, quod obligati simus ad opem ferendum eadem indigenti (§. 612. *p.* 1. *Jur. nat.*), recte inferatur, nos etiam obligatos esse ad dandum consilium ei, qui consilii inops est. Consilium vero, quo ex dubitationum fluctibus eripitur animus, cum nos ab ignorantia liberet, seu impotentia facultatibus animæ utendi, adeoque malo animi (§. 755. *part.* 1. *Jur. nat.*), bonum quoddam animi confert (§. 756. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque qui consilium dat consilii inopi, huic fert opem, ut animi quoddam bonum consequatur. Hæc quidem addere visum est, ne quis hæreat circa demonstrationem propositionis præsentis. Ipsa autem propositio principium generale est, quod ad omnem casum spectat, quo quis per se ex dubitationum fluctibus emergere nequit.

§. 867.

Quoniam qui per se statuere nequit, quid sit faciendum, is peritos consulere ac eorum consilium sequi debet (§. 866.); *eruditus* quoque, *qui ad scientias propagandas, vel amplificandas pro virili aliquid conferre vult, ipse tamen per se statuere nequit, quid conferre debeat, vel possit, eruditos alios consulere ac eorum consilium sequi debet.* *Quando eruditus aliorum consilio ad scientias propagandas, vel amplificandas quid conferre debeat.*

Supponimus utique, consilium, quod datur, esse bonum ac rectum: alias per se patet, consilia prava nos sequi minime debere, cum id contrarietur obligationi nostræ naturali. Quando enim sumimus, consilium dantem esse peritum, utique supponimus eum nosse, quid sit faciendum. Et quando de officiis hominum erga alios agitur, nil quicquam dolose fieri ubivis supponitur. Nulla igitur foret objectio, quod inde sequatur, nos consilium quoque malum, aut temerarium sequi debere. Porro quando de officiis agitur, quid iisdem consentaneum sit demonstratur. Quamvis adeo sequi debeamus peritorum consilium, quando per nos de eo, quod faciendum, statuere nequimus; non tamen inde inferri potest, ab eo nobis imponi necessitatem sequendi, ac ei competere jus ad id sequendum nos cogendi. Libertati enim nostræ permittere tenetur, utrum sequi velimus, nec ne (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*), cum alia sit obligatio interna, quæ a lege naturæ venit, alia vero externa, qua alteri tenemur, & qualis dari in præsenti casu nequit, utpote libertati adversa. Nihil adeo hic asseritur, quod contrarietur pervulgato isti: consilium non necessitat.

BIU Cujas

§. 868.

De certo fine ab eruditis intendendo.

Eruditi in rerum cognitione ac scientia acquirenda, propaganda & amplificanda certum finem intendere debent, officiis minime adversum. Quoniam enim nihil temere faciendum (§. 278. *part.* 3. *Jur. nat.*); nec eruditus rerum cognitioni ac scientiæ propagandæ & amplificandæ vacare temere debet. Quamobrem cum certo fine faciendum sit, quod temere fieri non debet (§. 277. *part.* 3. *Jur. nat.*); eruditi quoque in rerum cognitione ac scientia propaganda & amplificanda certum finem intendere debent. *Quod erat unum.*

Enimvero officia consistunt in actionibus, quas ita, non aliter juxta legem naturæ determinare obligamur (§. 224. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum nemo ab obligatione sua se liberare possit (§. 674. *part.* 3. *Jur. nat.*), & obligatio, quæ a lege naturæ venit, prorsus immutabilis sit (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); nil quicquam intendere licet, quod officiis sit adversum (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Eruditi itaque in rerum cognitione ac scientia acquirenda, propaganda & amplificanda intendere non debent finem, qui sit officiis adversus, *Quod erat alterum.*

Temere rerum cognitioni ac scientiæ vacat, qui aliud non intendit, nisi ut eam possideat: id quod rarius quidem contingit, non tamen inter ea referendum, quæ contingere nequeunt. Plerumque in rerum cognitione acquirenda, subinde etiam in eadem propaganda, tantummodo intenditur lucratio panis. Inde est, quod indies audias, hanc vel istam rerum cognitionem ac scientiam non esse de pane lucrando. Manat hinc neglectus studii mathematici ac philosophici in Academiis. Et haud raro ideo censuram incurrunt Mathematici ac Philosophi, quod omnem ætatem consumant in iis, quæ de pane lucrando non sunt, quasi ea non digna sint, quæ ab aliis discantur, ut adeo genus humanum illarum rerum cognitione tuto carere possit. Plurimi eruditorum in rerum cognitione ac scientia acquirenda, propaganda & amplificanda hunc unice finem sibi propositum habent, ut laudem ac gloriam consequantur, toti adeo ambitioni dediti (§. 570. *p.* 1. *Jur. nat.*). Commune hoc eruditorum vitium multorum malorum fons est, quæ enumerare nimis prolixum foret, quotidiana vero experientia abunde loquitur. Plurimum autem eadem variant pro diversitate eruditorum in quolibet ordine. Optandum itaque foret, ut officii sui esse perpenderent eruditi in universum omnes, quod hic demonstratur, atque cognoscerent, quid debeant generi humano. Veri eruditi est gloriam spernere & recte factorum conscientiam ut habeat contentum esse: vera enim gloria sequetur fugientem. Vere nimirum dictum est: qui gloriam spreverit, veram habebit. Ast hæc in philosophia morali accuratius sunt discutienda.

§. 869.

De utilitate cognitionis ac scientiæ rerum.

Rerum cognitio ac scientia alia ad intellectum, alia ad voluntatem, alia denique ad artes perficiendum utilis, quæ generi humano ad vitæ necessitatem, commoditatem ac jucunditatem prosunt. Hæc sumere possumus tanquam a posteriori satis certa & explorata. Sane constat, veritates quasdam inservire aliis demonstrandis, vel etiam detegendis, si adhuc latent, etiamsi præterea alium usum non habeant, qui nobis sit cognitus atque perspectus. Juvant igitur intellectum in veritate cognoscenda ac invenienda. Cumque intellectus non perficiatur, nisi exercitio (§. 199. *part.* 1. *Jur. nat.*); veritatum demonstratu aut inventu difficilium cognitio intellectum omnino perficit, nec sine ea ad eundem perfectionis gradum eundem evehere licet. Non modo veritatem moralium, quæ in Jure naturæ, Philosophia morali atque civili demonstrantur, ad voluntatem perficiendam faciunt; verum cum voluntatis emendatio a perfectione intellectus dependeat, quemadmodum suo loco in Philosophia morali demonstraturi sumus, veritatum quoque theoreticarum cognitio ac scientia, ipsarummet mathematicarum, ad perfectionem voluntatis quædam conferre potest. Artes supponere quandam rerum cognitionem, nemo est qui nesciat. Illarum vero rerum dari quoque scientiam & hac ipsa artium theoriam perfici posse experientia dudum comprobatum est. Ast ipsas artes generi humano utiles esse ad vitæ necessitatem, commoditatem ac jucunditatem,

BIU Cujas

tatem, obvia experientia docemur. Nihil adeo hic sumitur, quod sit ab experientia alienum, modo eam consulere velimus, ac possimus: neque enim experientia omnis in cujusvis potestate est.

Qui vel Elementa Euclidis evolvit, is animadvertet, propositionum aliarum usum esse in demonstrando, aliarum vero in efficiendo, ut adeo inutiles censeri nequeant, quæ non ad praxin quandam per se tendunt. Ita qui hodie inter Geometras primi ordinis eminent de lineis curvis multa tradunt, quorum cognitione genus humanum tuto carere posse videtur: non tamen ideo sine omni utilitate in veritatibus, quarum cognitio ad nihil utilis videtur, tam operose investigandis ætatem consumere dicendi sunt, quatenus artificiis, quibus utuntur, artem inveniendi augent, quam summam esse intellectus perfectionem nemo est qui nesciat, & quatenus fieri potest, ut oblata occasione alii utantur iisdem artificiis ad detegendum veritates, quæ manifestam generi humano utilitatem præstant. Non igitur est, quod dubites ipsa etiam rerum cognitione ac scientia intellectum perfici posse. Quod vero inter ea, quæ cognosci possunt, dentur etiam quæ docent modum facultatibus cognoscendi rite utendi in omni rerum aliarum cognitione, verior docet Logica, ut adeo opus esse non duxerimus, ad præcepta logica hic provocari. Monendum potius erat, non solum eorum, quæ Logica docet, cognitionem facere ad intellectus perfectionem; verum etiam aliarum cognitionem ad eandem requiri. Sed de his plura dicemus in Philosophia morali, quando intellectus perficiendi praxin tradituri sumus. In eadem quoque expressius docebitur, quænam veritatum cognitio influat in voluntatis perfectionem, & quinam artium sit usus in perficiendo statu hominum externo, ut vitam commode ac jucunde agere possit.

§. 870.

Quoniam eruditi in rerum cognitione acquirenda, propaganda & amplificanda certum finem intendere debent officiis minime adversum (§. 868.), rerum autem cognitio ac scientia alia ad intellectum, alia ad voluntatem, alia denique ad artes perficiendum utilis, quæ generi humano ad vitæ necessitatem, commoditatem ac jucunditatem prosunt (§. 869.), officiis autem convenit, ut intellectum ac voluntatem (§. 212. *p.* 1. *Jur. nat.*), ac artes perficiamus, quarum usus esse potest etiam in perfectione corporis ac status externi promovenda (§. 261. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter quæ utiles sunt ad vitæ necessitatem, commoditatem atque jucunditatem, utpote quarum quævis nobis curæ cordique esse debet (§. 349. 466. 471. *part.* 1. *Jur. nat.*); *eruditi in rerum cognitione perfectionem intellectus, voluntatis ac artium, quæ humano generi ad vitæ necessitatem, commoditatem ac jucunditatem prosunt, recte intendunt tanquam finem.* *Quales fines ab eruditis recte intendantur.*

Rerum cognitio non propter se appetenda, sed tanquam medium satisfaciendi officiis cum erga seipsum, tum erga alios, erga ipsum etiam Deum (§. 868.). Homo constat anima & corpore, ac certa ideo sunt officia, quæ cum sibi, tum aliis quoad animam & quoad corpus debet. Indiget quoque rebus alii, siquidem officiis istis satisfacere debet, ac aliorum opera & auxilio. Unde nascuntur quoque officia erga seipsum atque alios quoad statum externum, quibus sine arte satisfieri ex asse nequit. Rerum adeo cognitio recte refertur cum ad animæ ac corporis tum ad status externi & hujus intuitu ad artium perfectionem. Quamdiu adeo horum finium aliquis rerum quarundam cognitione obtineri potest, ea dici nequit inutilis. Non vero necesse est, ut idem finis obtineatur quoad homines in universum omnes: neque enim fieri potest, nec interest generis humani, ut omnes eandem perfectionem acquirant. Nemo hominum sibi soli nascitur, sed unus alteri utilis esse debet. Quoniam vero non eadem est utilitas, quam unus alteri præstare potest, nec omnem præstare possunt omnes; ita quoque non eadem perfectio requiritur in uno quovis homine, sed quilibet sese perficere debet, ut ad certam quandam utilitatem aliis præstandam aptus sit. Ipsa natura ideo diversas hominibus indidit dispositiones ac inclinationes, ut omni omnium utilitati consulatur. Quando igitur judicium ferendum est de fine, qui ab erudito intendi debet; nemo ex se de eodem statuere debet. Quod enim tibi nulli usui est, id propterea non etiam est aliis. Quamvis adeo respectu tui nullus intendi possit finis, intendi tamen adhuc poterit respectu aliorum. Non nego, finem, qui intendi poterat immo debebat, non semper intendi. Enimvero quis est, qui nesciat, non semper facere homines quod facere debent, ac ipsorum actiones non modo carere ea rectitudine, quæ omnem defectum moralitatis arcet, verum etiam labe quadam infici, quando animus vitiis quibusdam contaminatus. Hic vero nobis docendum est, ad quidnam naturaliter homines obligentur, dum rerum cognitioni acquirendæ, propagandæ ac amplificandæ operam navant. Et quamvis alii veritates invenerint & publici juris fecerint, non intento fine, qui intendi poterat ac debe-

BIU Cujas

bat ; alii tamen iisdem ad finem istum consequendum uti debent. Ut enim cognitio veritatis sit medium consequendi aliquem finem, seu utilitatem quandam habeat, non ab eo pendet, qui eandem invenit, vel aliis notam fecit. Et vitium, quod contaminat actum inventoris ac propagatoris, cum veritatis cognitione non transit in alios: ipsa veritas per se ab omni labe immunis est, semperque manet.

§. 871.

Artium divisio.

Artes liberales dicuntur, quæ usu facultatum cognoscendi exercentur. Opponuntur *manuariis*, quæ manuum opera exercentur. Sunt etiam nonnullæ ex utrisque *mixtæ*, quarum aliæ ad liberales, aliæ ad manuarias propius accedunt, ac inter liberales ac manuarias quasi mediæ sunt.

Ita artibus liberalibus annumerantur *Grammatica*, quæ docet modum recte loquendi scribendi; *Poesis*, quæ docet modum carmina pangendi; *Ars oratoria* & *homiletica*; *Medicina*, quæ etiam *Ars salutaris* appellatur, & consistit in habitu curandi morbos. Sunt equidem medici, quibus invisum est artis nomen; sed hi nec distinctam artis in genere notionem habent, nec differentiam inter artes liberales atque manuarias perspiciunt, saltem ad utrumque animum non attendunt. Ad artes manuarias referenda sunt omnia opificia, quocunque tandem nomine veniant, immo etiam artes hisce viliores, veluti ars secandi ligna. Sumitur enim vocabulum artis in significatu latissimo, quem eidem tribuimus (§. 260. *part.* 1. *Jur. nat.*). Ad artes mixtas refero Artem pingendi, statuariam, architecturam, artem musicam & ejus generis alia.

§. 872.

De vitæ generibus, quæ eruditi sequuntur.

Dantur etiam diversa vitæ genera, quæ eruditi sequuntur. Alii enim docent alios, qui certam rerum cognitionem ac scientiam sibi acquirere volunt, vel ad eam perducendi sunt, veluti *Professores*, *Concionatores*, *Didascali*. Alii certam rerum cognitionem, quam habent, ad casus obvios applicant, veluti *Judices* & *Advocati*, qui leges ad facta applicant, ut unicuique jus suum tribuatur, & *Medici*, qui morbis curandis operam navant, seu artem salutarem exercent. In eundem censum veniunt, qui negotia publica agunt rerum civilium cognitionem ac scientiam, quam habent, ad eadem applicantes, veluti *Consiliarii* Regum ac Principum, aliique *Magistratus*. Alii denique in otio literario vivunt, & vel contenti sunt voluptate, quam ex certa rerum cognitione percipiunt, vel in veritatibus cognitis in usum aliorum propagandis, aut novis inveniendis operam suam collocant.

Diversa vitæ genera, quæ eruditi sequuntur, ad statum civilem pertinent, maxima saltem ex parte, atque adeo de iisdem alibi ex instituto erit agendum. Hic tantummodo eorum mentio fieri debuit, ut in genere demonstrari possit, quidnam officii sit eorum eruditorum, qui certo vitæ generi sese consecrant.

§. 873.

Officium eruditorum, qui certum vitæ genus sequuntur

Eruditi, qui certum vitæ genus sequuntur, eam rerum cognitionem ac scientiam sibi acquirere debent, qua in eodem opus habent. Etenim eruditi, qui certum vitæ genus sequuntur, vel docent alios, qui certam rerum cognitionem ac scientiam sibi acquirere volunt, aut ad eam perducendi sunt, vel rerum cognitionem, quam habent, ad casus obvios applicant, vel denique in otio literario vivunt (§. 872.). Nemo docere potest alios, nisi ea, quæ ipse novit ac scit: nemo veritates universales ad casus obvios applicare valet, nisi qui easdem cognitas atque perspectas habet. Qui vero in otio literario vivunt genio suo indulgere possunt, prouti sua unumquemque eorum trahit voluptas. Quoniam itaque unusquisque eam scientiam acquirere debet, qua in eo, quod sequitur, vitæ genere maxime opus habet (§. 241. *part.* 1. *Jur. nat.*), diversæ autem vitæ genera diversarum rerum cognitionem ac scientiam exigunt (§. 872.); eruditus quilibet, qui certum vitæ genus sequitur, eam rerum cognitionem ac scientiam acquirere debet, qua in eodem opus habet.

Ex. gr.

BIU Cujas

Ex. gr. Qui alios docere vult philosophiam, vel ejus quandam partem, ipse in philosophia, vel ea, quam docere vult, parte multum versatus esse debet. Qui jus naturæ docere vult alios, juris hujus cognitione imbutum habere debet animum. Similiter concionatores, qui scripturam sacram interpretari aliis & ex ea credenda atque agenda docere eosdem debent, arte interpretandi sacras literas & credendorum atque agendorum notitia instructi esse debent. Quamvis vero hæc adeo manifesta sint, ut de iis nemo dubitare ausit; nihil tamen frequentius accidit, quam ut in ordinem docentium importune se ingerant, qui in discentium numero esse debebant. Immo videas Professores, qui eorum, qui docere alios debent, nihil adhuc didicerunt, immo opportunitate ea adhuc addiscendi destituuntur, omni spe iisdem ademta fore, ut aliquando si non cum laude, utcunque tamen munere suo fungi possint. Plurimi quoque sunt eruditi, qui non intelligunt, quænam rerum cognitio ac scientia ad istud vitæ genus sequendum requiratur, quod elegerunt. Quantum vero inde damnum redundet in Rempublicam non est hujus loci dicere disertius. Hinc intelligitur, quanti intersit, ut eruditi in universum omnes, qui certum vitæ genus eligunt, quod sequantur, omni animi contentione præsenti officio satisfaciant. Qui in otio literario agunt, suo quidem genio indulgere possunt, atque hoc vi libertatis naturalis ipsis permittendum est ab aliis (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*); cum tamen libertas naturalis non tollat obligationem naturalem (§. 159. *p.* 1. *Jur. nat.*), & unusquisque hominum eum laborem seligere debeat, cui obeundo se parem sentit (§. 528. *p.* 1. *Jur. nat.*), qui in otio literario ætatem omnem consumunt, illarum rerum cognitioni vacare debent, ad quam maxime apti sunt.

§. 874.

Eruditus, qui certum vitæ genus sequi vult, aut necesse habet, id genus vitæ eligere debet, ad quod maxime aptus est. Etenim unusquisque hominum eligere debet vitæ genus, ad quod aptus est (§. 533. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum etiam eruditi certum vitæ genus sequantur (§. 872.); eruditus, qui certum vitæ genus sequi vult, aut necesse habet, id genus vitæ eligere debet, ad quod maxime aptus est. *De eligendo certo vitæ genere.*

Quemadmodum homines ceteri, ita etiam eruditi plerumque panis lucrandi gratia certum vitæ genus sequuntur. Atque ideo haud raro accidit, ut de eodem eligendo ex lucro isto statuant. Non desunt istiusmodi exempla etiam inter Professores in Academiis.

§. 875.

Eruditus operam dare debet, ut facultatibus cognoscendi promte uti possit. Etenim rerum cognitioni ac scientiæ acquirendæ operam dat (§. 858.), eandemque vel alios docere, vel ad casus particulares obvios applicare tenetur (§. 872.), immo etiam pro virili promovere debet (§. 863.). Quoniam itaque cognitionem rerum ac scientiam acquirimus facultatibus cognoscendi (§. 53. *& seqq. Psych. empir.*), & ex Logica constat, ad illam non modo acquirendam, verum etiam applicandam ac docendam requiri certum facultatum cognoscendi, inprimis operationum intellectus usum; eruditus omnino operam dare debet, ut facultatibus cognoscendi promte uti possit. *De usu facultatum cognoscendi.*

Equidem intellectus homini datus est, ut veritatem cognoscere ac cognitam applicare possit; usus tamen intellectus carere nequit ministerio facultatum cognoscendi inferiorum. Qui Psychologiam empiricam didicit, & in Logica versatus est, is satis perspiciet, quomodo usus operationum intellectus dependeat ab usu facultatum cognoscendi inferiorum. Quamvis vero eruditi infimi ordinis ea, quæ cognoscunt, memoria saltem comprehendunt; ad historicam tamen rerum cognitionem, quam acquirunt (§. 859.), intellectus quoque usu opus habent. Cumque ea, quæ ipsimet cognovere, alios etiam docere ac ad casus obvios applicare teneantur (§. 872.); intellectus usu carere nequeunt. Absit adeo, ut tibi persuadeas, eruditos infimi ordinis in solo facultatum inferiorum, sensuum scilicet, imaginationis atque memoriæ usu acquiescere posse. Quamobrem cum Logica doceat non modo usum intellectus in veritate cognoscenda, verum etiam in eadem cum aliis communicanda & ad usus vitæ dextre applicanda; Logicæ quoque historicam saltem cognitionem habere debent eruditi etiam infimi ordinis. Ad veritatem applicandam sufficit historica ejusdem cognitio: neque enim hic attenditur demonstratio, quæ scientiam parit (§. 594. *Log.*). Si veritatis applicationem spectes, perinde est, sive historicam saltem, sive scientificam habeas cognitionem. Ea saltem differentia intercedit inter eruditum infimi ordinis

BIU Cujas

nis & ordinis superioris, quod ille sumat verum esse, quod pro vero venditatur; hic vero veritatis convictus sit. In veritate cognita adeo applicanda eruditus infimi ordinis sumit aliquid verum esse, quia asserunt alii; eruditus autem ordinis superioris, quia recordatur se, quod verum sit, agnovisse. Patet hic eruditos infimi ordinis non minus sibi ac aliis, consequenter in statu civili Reip. utiles esse posse, quam eruditos ordinis superioris. Immo cum non rerum quarumvis cognitio eandem utilitatem præstet generi humano, eruditi inferioris ordinis magis utiles esse possunt aliis, ac pluribus, quam vel in ordine supremo supra omnes eminens. Aliter enim judicandum est, quando de gradu perfectionis intellectus quæstio est; aliter vero, quando de utilitate, quam eruditus sua rerum cognitione præstat aliis, ac in statu civili Reip. disquiritur.

§. 876.

Eruditorum in intellectu perficiendo officium.

Quoniam facultatibus cognoscendi ut prompte uti possit, eruditus operam dare debet (§. 865.), eædem autem perficiuntur acquirendo habitus iisdem utendi (§. 209. *part. 1. Jur. nat.*); *eruditi facultates cognoscendi, adeoque etiam intellectum* (§. 275. *Psych. empir.*), *perficere debent*, cumque quilibet homo obligetur ad consequendum omnem habitum intellectus acquisitu sibi possibilem (§. 211. *part. 1. Jur. nat.*), *eruditus quilibet intellectum perficere debet, quantum potest.*

Inde est quod, qui aliquem inter eruditos locum obtinere volunt, iis promiscue commendetur Geometriæ saltem elementaris ac Logicæ studium. Logica nimirum præcepta dat; Geometria exempla suppeditat & ad praxin Logicæ manuducit fidissima magistra. Pertinet huc discursus de intellectu per studium Matheseos perficiendo, qui legitur Tomo quinto Elementorum nostrorum Matheseos universæ. Ostendimus paulo ante in infimo gradu eruditorum subsistere non debere eum, qui in secundum ascendere potest (§. 861.), nec in eodem ordine in gradu inferiori eum, qui ad altiorem ascendere potest (§. 862.). Huic officio ut satisfiat, plurimum contribuit Geometriæ saltem elementaris ac Logicæ verioris studium. Ea enim Logica genuina, seu verior est, quæ praxi veterum Geometrarum conformis (§. 26. *Log.*). Prostant nimirum hodie plurimi de Logica libri, qui usum genuinum intellectus in veritate cognoscenda potius pervertunt, quam docent, propterea quod sibi supra alios sapere videntur autores, qui vel ipsimet intellectus sui operationibus uti nondum didicerunt, vel saltem distincta illius usus notione adhuc destituuntur, immo quod haud raro Logicam, quæ nomen suum tuetur, nondum didicerunt, aut, si didicerint, non satis intellexerunt. Logicam satis intelligere ac multo magis præcepta ejus ad praxin transferre arduum omnino est, nec adeo leve, quemadmodum vulgo putatur. Sed præjudicia, quæ hic regnant, hoc loco evertere non est præsentis instituti.

§. 877.

Officio eruditi quoad appetitum.

Quilibet eruditus obligatur ad eam cognitionem consequendam, quæ ad bona vera ab apparentibus, mala itidem vera ab apparentibus discernenda sufficit, ad acquirendam itidem boni & mali scientiam legumque naturalium, quantum eidem sufficit, atque ad virtutem omnem colendam, vitia omnia fugienda. Quilibet enim homo ad hæc singula obligatus est naturaliter, seu quia homo est (§. 242. 266. 278. *part. 1. Jur. nat.*). Ergo etiam eruditus ad hæc singula obligatur.

Quamvis adeo liberum est unicuique, qui inter eruditos locum aliquem in aliquo eorum ordine affectat, statuere, qualium rerum cognitioni ac scientiæ sese consecrare velit vi libertatis naturalis (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*), nisi quod vi legis naturæ ei sese mancipare debeat, ad quam sibi comparandam maxime aptus est & quam genus vitæ, quod sequi decrevit, exigit (§. 873. 874.); quoad veritates tamen ac virtutes morales non eadem libertas est, sed peccant eruditi, si veritatum moralium cognitionem insuper habent ac studium virtutum prorsus negligunt, quasi ipsorum sit intellectum tantummodo perficere, ac virtutibus intellectualibus operam dare, iis præcipue, quæ theoriam respiciunt. Negandum equidem non est, quod hoc præjudicium occupaverit plurimos eruditos, ut propterea in proverbium abierit, tanto unumquemque esse pejorem, quanto fit eruditor; dolendum tamen est, quod præjudicium hoc, si quod aliud, noxium non dudum fuerit ex animo eruditorum evulsum.

§. 878.

BIU Cujas

§. 878.

Eruditi obligatio ad acquirendam boni ac mali scientiam & ad virtutem omnem colendam major est, quam aliorum hominum. Etenim eruditi rerum cognitioni ac scientiæ acquirendæ sese consecrant (§. 858.) & ideo operam dare tenentur, ut facultatibus cognoscendi prompte uti possint (§. 875.), consequenter ad boni ac mali scientiam acquirendam magis apti sunt ac eandem sibi facilius comparare possunt hominibus aliis, qui alio labore tempus consumere tenentur, nec facultates cognoscendi, præsertim intellectum, adeo perficere possunt. Quamobrem cum is ad plura præstanda obligetur, cui amplior est facultatum, virium ac rerum usus, & auxilium alienum majus, quam alter (§. 177 *part.* 1. *Jur. nat.*); eruditi omnino obligatio ad acquirendam boni ac mali scientiam major est, quam aliorum hominum. *Quod erat unum.* *Quanta sit ejus obligatio.*

Quoniam eruditi in rerum cognitione acquirenda certum finem intendere debent (§. 868.), cognitio autem boni ac mali ad virtutis culturam requiritur (§. 321. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); in acquirenda boni ac mali scientia virtutis culturam intendere debet. Quoniam itaque ad virtutem omnem colendam obligatur (§. 877.); boni ac mali scientiam ideo sibi acquirere debet, ut virtutem omni animi contentione colere possit. Quamobrem cum major sit ejus obligatio ad acquirendam boni ac mali scientiam, quam aliorum hominum, *per demonstrata*; major quoque ejus esse debet obligatio ad virtutem colendam, quam aliorum hominum. *Quod erat alterum.*

Major hæc obligatio ad cognoscendum bonum atque malum hunc habet effectum, ut ignorantia, quæ ab erudito facilius evitari poterat, eidem magis imputetur: major vero obligatio ad colendam virtutem hoc operatur, ut gravius peccet eruditus, quam vulgus imperitum, ac majorem censuram & reprehensionem mereatur. Quantum unusquisque eruditorum perfectione intellectus præstat ceteris, tantum quoque eos virtute superare debet. Equidem eruditi plurimi virtutis studium prorsus negligunt tanquam ad se minime pertinens, nec vitia ac pravos mores sibi ignominiæ ducunt; diffiteri tamen nequit, nil absurdius cogitari posse. Obligatio, quæ a lege naturæ venit, immutabilis est ac necessaria (§. 142. *part.* 1. *Philos. pract. univ.*), adeoque ab ea non liberatur eruditus, quod rerum certarum cognitioni sese consecravit, quæ ad virtutis culturam nil facit. Obligatio ista manat ex natura humana, & essentia (§. 143. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque ad virtutem colendam tamdiu obligatus manes, quamdiu homo manes. Ecquis ergo dicere ausit, eruditum exuere essentiam ac naturam hominis, ne amplius ad virtutem colendam maneat obligatus? Repugnat essentiæ atque naturæ hominis, ut sit exlex (§. 167. *p.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem nec eruditus somniare potest, sibi competere privilegium licentiæ (§. 165. *part.* 1. *Jur. nat.*), ut sine ulla restrictione faciendi jus habeat (§. 150. *p.* 1. *Jur. nat.*). Quamvis vero vix quemquam fore puto, qui tam absurda statuere videri velit; plurimorum tamen eruditorum, eorum etiam, qui ad nominis famam contendunt, tales sunt mores; qui abunde probant, quam altas radices in ipsorum animis egerit absurda ista opinio. Ignominiæ sibi ducunt, si quis ipsis imputet ignorantiam cujusdam rei, vel errorem; ast parum curant, si defectum virtutis aut vitia, quibus laborant, publice produnt. Tanto vero turpius est vitium, quanto is eruditior, in quo conspicitur, cum major sit ejus ad istud fugiendum obligatio, quam aliorum hominum, *vi præsentis*. Intellectus perfectio auget turpitudinem vitiorum, nec demonstratu difficile est, defectum virtutum moralium majorem ignominiam afferre erudito, quam lapsum quendam in rerum cognitione: sit ita quod vulgo aliter opinentur eruditi.

§. 879.

Eruditi voluntatem ac noluntatem perficere obligantur. Obligantur enim ad colendam virtutem omnem ac fugienda vitia omnia (§. 877.) & major ad hoc faciendum est eruditi obligatio, quam hominum aliorum (§. 878.). Virtutes sunt habitus morales utendi, vitia vero habitus abutendi facultate appetendi & aversandi, inprimis rationali, seu voluntate & noluntate (§. 276. 277. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum facultates animæ perficiantur acquirendo habitus iisdem utendi (§. 209. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque voluntas atque noluntas perficiatur acquirendo virtutes morales, a quibus fuga vitiorum abesse nequit (§. 321. 322. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); eruditi voluntatem ac noluntatem perficere obligantur. *Obligatio eruditi ad voluntatem perficiendum.*

Vide-

BIU Cujas

Videmus adeo eruditos non tantummodo obligari ad intellectum perficiendum (§. 876.), quemadmodum vulgo putatur; sed eos etiam obligari ad voluntatem ac noluntatem perficiendam. Perfectio voluntatis ac noluntatis a perfectione intellectus nunquam sejungenda, sed pari passu utraque progredi debet. Officio suo nondum ex asse satisfacit eruditus, qui ad hanc consequendam non desiderari patitur industriam suam, illam vero parum curat, nec eidem consequendæ ac augendæ indies operam ullam impendit. Sunt qui alios semieruditos vocant vago quodam vocabuli significatu, quem unusquisque eidem tribuit, prout sibi visum fuit, vel fastus & ambitio suadet, aut suam unusquisque amat Minervam. Forsitan vero præstaret *Semieruditos* appellare eos, qui cum cultura intellectus voluntatis ac noluntatis culturam minime conjungunt. Duæ nimirum sunt eruditi partes, cultura intellectus & cultura voluntatis ac noluntatis, quæ conjunctim efficiunt vere eruditum, aut, si mavis, eruditum integrum. Hæc igitur ubi abest, semieruditum merito dixeris. Neque hoc contrariatur notioni eruditi, quem diximus eum, qui rerum cognitionem ac scientiam habet. In numero enim cognoscibilium est etiam bonum ac malum, quorum illud nosse ac scire debemus, ut virtutem sectemur, hoc vero, ut vitia fugiamus. Boni ac mali cognitio ab erudito inseparabilis, cum obligatio ad eam acquirendam tolli nequeat nisi sublata essentia & natura hominis (*not.* §. 878.): in rebus ceteris cognoscendis, cum nemo unus sufficiat omnium rerum cognitioni acquirendæ, plus relictum est arbitrio ejus, ut adeo propterea semieruditus vocari nequeat, quod ea non didicit, quæ scit alter, qui vel aliud vitæ genus sequitur, vel quem ad aliam rerum cognitionem sua trahit voluptas, aut etiam in eum ordinem ascendere nequit, in quo alter constituitur, vel in eodem ordine ad eundem cum altero gradum ascendere non potest.

§. 880.

Studere quid sit.

Studere dicitur, qui rerum cognitioni ac scientiæ acquirendæ operam dat. Dicitur etiam subinde cum addito *studere literis*, ac in specie pro diversitate rerum cognoscibilium & ad certum inprimis vitæ genus cognitu necessariarum *studere Theologiæ*, *Jurisprudentiæ*, *Medicinæ*, *Philosophiæ* & ita porro. Et *Studiosus* appellatur, qui studet, seu rerum cognitioni ac scientiæ acquirendæ operam dat. Unde in specie vocantur *Studiosi Theologiæ*, *Juris*, *Medicinæ*, *Philosophiæ* ac ita porro. Quoniam itaque studiosus rerum cognitioni ac scientiæ acquirendæ operam dat, eruditus vero est, qui rerum cognitionem ac scientiam habet (§. 858.); *studiosus eruditus fieri vult*, consequenter cum varii sint eruditorum ordines (§. 859.), ac varia vitæ genera, quæ eruditi sequuntur (§. 872.), *studiosus in aliquo eruditorum ordine aliquem locum obtinere vult ac certum vitæ genus sequi decrevit*.

Ita qui Medicinæ operam dat, vel artem salutarem exercere intendit, vel Medicinam docere alios, ad Professionem Medicam adspirans.

§. 881.

Quomodo sit studendum.

Quoniam studiosus quilibet eruditus fieri vult (§. 880.), quivis autem eruditus facultates cognoscendi, inprimis intellectum (§. 876.), & voluntatem ac noluntatem perficere debet (§. 879.); *studiosus quilibet omni animi contentione id agere debet, ut non modo facultates cognoscendi, inprimis intellectum, verum etiam voluntatem ac noluntatem perficiat* (§. 861.).

Quam parum vulgo agnoscatur, quænam sint studiosi partes, experientia academica proh dolor! abunde loquitur. Ecquis enim est, qui nesciat, fingi licentiam quandam vivendi, quæ libertatis academicæ nomine celebratur, quasi studiosus omnes sui officii partes adimpleverit, si tantum rerum cognitioni acquirendæ operam navat, neglecta prorsus omni voluntatis ac noluntatis cultura, faciendo ea, ad quæ unumquemque trahit voluptas sua? Pauci sunt, qui Philosophiæ morali operam navant, pauciores vero adhuc, qui virtutes acquirere & contra vitia sese muniri atque ab iis, in quæ prolapsi sunt, sese libere conantur. Immo ex adverso potius virtutem, si quam habent, dediscunt, vitia, a quibus adhuc liberi erant, addiscunt & mores bonos pessime corrumpunt. Cum si non omnes, plerique tamen certum vitæ genus olim sequi decreverint, quo prosunt aliis: ut munus suum rite obeant, nisi voluntas fuerit emendata, fieri haud quaquam potest. Sane *Vitruvius* lib. 1. c. 1. in Architecto requirit, ut etiam Philosophiæ moralis sit peritus. Mirum hoc videtur nonnullis, qui sibi persuadent, ad ædificiorum extructio-

BIU Cujas

ctionem non requiri virtutem, sed scientiam architectonicam, non attendentes, ut recte facias opus, haud quaquam sufficere, ut noris quomodo recte facias, sed etiam requiri animum recte faciendi, quem vitia non una de causa in transversum agunt. Nihil facere debemus sine sensu officii, nec sine animo eidem satisfaciendi, ac tum demum certi esse possumus, nihil a nobis committi, quod jure reprehendi possit.

§. 882.

Obligatio eruditi ad exemplum bonum præbendum.

Eruditi etiam qua eruditi ad exemplum bonum aliis præbendum obligantur. Quoniam enim eruditorum est rerum cognitionem ac scientiam habere (§. 858.), & intellectum perficere (§. 876.); illiterati præsumunt, quod ea, quorum ipsi convicti non sunt, eruditi rectius intelligant, adeoque eorum tanto facilius stant judicio, ubi appetitus sensitivus intellectum in assensum trahit. Ipsorum igitur exemplo sese addere solent, præsertim si malum fuerit. Quoniam itaque exempla mala prodere non debemus, bona vero aliis præbere tenemur (§. 930. *part.* 1. *Jur. nat.*); eruditi inprimis, atque adeo qua eruditi, ad exemplum bonum aliis præbendum obligantur.

Non nego, præsumtionem istam non satis firmo niti talo. Cum enim eruditi omnes non eandem habeant rerum cognitionem; quamvis in suo genere inter eos, qui primi ordinis sunt, emineant, non tamen ideo de rebus aliis ad se non pertinentibus sanum judicium ferre possunt, multo minus autem eorum scientia in appetitum influit & ab ea, qua pollet, intellectus perfectione emendatio voluntatis pendet. Ponamus aliquem inter Analystas recentiores principem locum tueri, atque ingenio, acumine ac profunditate intellectus excellere. Quodsi tamen totus in lineis ac calculis omnem ætatem consumit, nec ad philosophiam practicam animum unquam appellit, nec virtuti aliam operam navat, quam vulgus imperitum, is quoque virtuti non magis deditus esse potest, quam vulgus imperitum, nec de rebus moralibus rectius judicare, immo fieri potest, ut absurdius judicet. Enimvero cum hic de facto sermo sit, adeoque non quæratur, quid præsumi debeat, sed quid præsumatur; objectio ista demonstrationem præsentem minime ferit. Illud potius observandum est, in præsenti casu de eruditis omnis generis non eandem esse præsumtionem. Ita rustici mores, virtutis defectus ac vitia Analystæ excellentis parum offendunt alios, nec quisquam facile reperitur, qui ejus exemplo sese tueatur. Alio tamen modo sibi ac scientiæ, quam colit, nocet. Illorum enim eruditorum, qui rerum aliarum cognitioni vacant, nec non eorum, qui vulgo imperito acutiores sunt, contemtum & sibi, & scientiæ affert, ut etiam hoc nomine ad exempla bona præbenda aliis obligetur, cum nemo seipsum ac scientiam, quam colit, in contemtum adducere debeat. Naturalis nimirum obligatio propter nexum officiorum ob officia quædam nonnullis propria augetur, quatenus iisdem inducitur obligatio ad quid præstandum, etiamsi non alia de causa ad idem præstandum jam quis obligatus esset.

§. 883.

De neglectu hujus officii.

Quoniam eruditus etiam qua eruditus, adeoque non solum qua homo (§. 930. *part.* 1. *Jur. nat.*), obligatur ad exempla bona aliis præbenda (§. 882.), consequenter non solum obligatione communi, verum etiam propria ad id tenetur (§. 186. *part.* 1. *Jur. nat.*); *si eruditus desit officio suo in præbendis exemplis bonis, aut ex adverso mala prodat, gravius aliis peccat* (§. 440. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Cum ex magnitudine obligationis hic æstimetur peccati gravitas; probe tenendum est, eruditorum quoque alios ad exempla bona præbenda, mala vero non prodenda aliis magis obligari. Venit hoc inprimis a diversitate generis vitæ, quod eruditus sequitur, vel quatenus ob id magis scire præsumitur, quid bonum, rectum, æquum, justum ac licitum sit, quam aliis constare poterat, vel quatenus ipsum vitæ genus etiam exigit, ut exemplo suo alios doceat. Qui ea, quæ de officiis in Jure naturæ demonstravimus, ac quæ in posterum in Philosophia etiam morali ac civili demonstraturi sumus, si Deo ita visum fuerit, animo comprehenderit; de magnitudine obligationis eruditorum ad præbenda exempla bona, mala vero non prodenda haud difficulter statuet. Quænam vero ratio sit, ut huic officio adeo parum satisfaciant eruditi; ex iis eluceſcet, quæ suo tempore in Philosophia morali demonstraturi sumus.

BIU Cujas

§. 884.

De jure ad munus ambiendum.

Erudito non competit jus ad ambiendum munus, nisi ad quod administrandum aptus est. Etenim eruditus, qui munus quoddam ambit, quod nonnisi ab erudito administrari potest, certum vitæ genus sequi vult, quod per se patet. Ast eruditus, qui certum vitæ genus sequi vult, eam rerum cognitionem ac scientiam sibi acquirere debet, qua in eodem opus habet (§. 873.), ac id vitæ genus eligere, ad quod maxime aptus est (§. 874.), consequenter si munere quodam fungi velit, ad id administrandum aptus esse debet. Quoniam itaque jus nascitur ex obligatione (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*), erudito non competit jus ad ambiendum munus, nisi ad quod administrandum aptus est.

In ipsa aptitudine consistit jus imperfectum ad munus, vi cujus meretur, ut eidem præficiatur. Hoc autem jus imperfectum non confundendum est cum jure perfecto ambiendi munus, quod fluit ex obligatione non appetendi munus, nisi ad quod rite obeundum aliquis aptus est, adeoque illud præsupponit. Monuimus jam supra (*not.* §. 874.), quod eruditi haud raro ad ambiendum munus, ad quod obeundum parum apti sunt, adducantur lucro panis, nec desint hac ex parte exempla etiam inter Professores academicos. In horum censum veniunt illi, quos supra jam notavimus (*not.* §. 873.), cum de officio eruditorum, qui certum vitæ genus sequuntur, ageremus. Pertinent huc etiam, qui, cum non sine laude quadam docere possent, ad alia docenda se obtrudunt, quæ multo rectius ac utilius ab aliis doceri poterant, partim honoris civilis, partim lucri cupidine ducti, non perpendentes quantum distet honor verus ab eo, quem hominum opinio genuit, multo minus autem perpendentes, quid in munere administrando debeant aliis. Tanto turpius autem peccant, si satis sibi conscii sunt, se munus, quod ambiunt, non ea cum laude administrare posse, cum qua munus, quo funguntur, administrant, immo nec suæ, quam adamant, Minervæ valedicendi animum habent. Qui munus ambiunt, ad quod administrandum parum apti sunt; non modo nullo jure hoc faciunt, verum etiam aliis, quorum jus imperfectum violant, iniquos se præbent (§. 239. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Non est, quod excipias, eruditos etiam de facultatibus suis plus sperare solere, quam in iis est. Justa enim non censenda est ignorantia, quæ excusationem mereatur, ubi quis sibi probe conscius est motivorum, cur aliud munus, quam quo in præsenti fungitur, ambiat. Raro enim continget, ut quis existimet, se majorem aliis utilitatem præstiturum, quam nunc præstare possit, consequenter quod aliud munus ideo ambiat, quia aliis magis utilis esse potest, aut etiam pluribus, siquidem ignoraverit, qualis ad munus aliquod rite obeundum aptitudo requiratur. Immo qui nondum satis convictus est, quod de aptitudine ad munus aliquod administrandum per se statuere possit, peritos consulere debet (§. 866.); quod ubi neglexerit, tanto minus excusabitur, quod se aptum existimaverit, cum non sit.

§. 885.

De commendatione ab alio petenda.

Quoniam nemo eruditorum habet jus ambiendi munus, ad quod administrandum parum aptus est (§. 884.); *nulli* quoque *erudito competit jus petendi commendationem ab alio, etiamsi intelligat, eam sibi maximo usui fore, si ad munus administrandum non satis aptus sit*, consequenter *si commendatio ipsi denegetur, vel alius, qui magis aptus est, commendetur, id inique ferre non debet* (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Absurdum est petere a me, ut te commendem, si ad munus, quod ambis, obeundum non aptus es: quando enim te commendo, significare teneor, te esse aptum ad munus, quod ambis. Quoniam ad verum dicendum obligatus sum, quid mihi videatur, de tua aptitudine dicendum est, non quid videatur tibi (§. 427. *part.* 3. *Jur. nat.*). Non multum tibi prodesset commendatio mea, si dicerem, te tibi videri aptum ad munus quod ambis, sed me ob has, vel istas rationes sentire aliter, si vel maxime in dubio relinquerem, utrum tuum, an meum judicium verius sit. Salva igitur amicitia tibi denegare possum commendationem meam; tantum abest, ut tu inde colligere possis inimicum in te animum. Injuriam mihi facis, ubi conquestus fueris, quasi commodum tuum promovere nolim & a te ornando alienus sim. Ceterum probe tenendum est, si de aptitudine ad munus, quod quis ambit, judicandum, non sufficere: ut quis imbutum habeat animum illarum rerum cognitione, quæ ad istud rite administrandum requiritur; sed necesse esse, ut iis etiam virtutibus instructus sit, sine quibus utiliter administrari nequit.

§. 886.

BIU Cujas

§. 886.

An commendare liceat eum, de cujus aptitudine nobis non conſtat.

Nemo eruditum, qui munus aliquod ambit, commendare debet, de cujus aptitudine ipſi non conſtat, adeoque multo minus hoc facere licet, quando nobis certum eſt eum aptum non eſſe. Etenim qui alterum commendat, is dicit, eum aptum eſſe ad munus, quod ambit. Quodſi ergo ipſi certum eſt, eum ad munus iſtud non eſſe aptum, moraliter falſum loquitur (§. 152. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam vero ejus, cui quis commendatur, intereſt, ut norit, utrum ille aptus ſit ad munus, quod ambit, adminiſtrandum, nec ne, quod per ſe patet, adeoque commendans ad verum dicendum eidem obligatur, quando vero ad verum dicendum obligamur, falſum loqui non licet (§. 164. *part.* 3. *Jur. nat.*); ſi quis certus eſt, eum, qui munus aliquod ambit, ad id adminiſtrandum non eſſe aptum, eum commendare non licet. *Quod erat unum.* Quodſi de aptitudine ejus, quem commendare debes, non ſatis conſtet, dubius adhuc es, utrum aptus ſit, nec ne, vel etiam idem prorſus ignoras, conſequenter moraliter verum non loqueris, ſi dicis, eum aptum eſſe (§. 152. *part.* 3. *Jur. nat.*). Patet igitur ut ante, te eum commendare non debere. *Quod erat alterum.*

Inter eum, qui aliquem commendat, & alterum, cui is commendatur, intercedit quaſi contractus de dicendo vero. Etenim aut aliquem commendas ei, qui vult ut commendes; aut tua ſponte hoc facis. Qui vult ut commendes, ſufficienter indicat ſeſe velle, ut dicas verum, & præſumit, te hoc facturum, alias enim a te non peteret, ut aliquem commendares, niſi commendationi tuæ fidem ſeſe habere poſſe crederet. Tecum adeo quaſi contrahit, ut verum dicas (§. 504. *part.* 5. *Jur. nat.*). Quodſi tua ſponte commendes, tu vis, ut commendationi tuæ fidem habeat, adeoque ipſo facto ſignificas te verum dicere, quod, cum ille hoc a te præſumat, utpote qui velle nequit, ut falſum dicas, contra te pro vero habetur (§. 427. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter nec tu præſumere aliter potes, quam quod velit, te verum dicere. Atque adeo denuo patet, te cum ipſo quaſi contrahere, quod verum dicere velis (§. 504. *p.* 5. *Jur. nat.*). Quamobrem cum ex quaſi contractu alteri obligeris ad id, ad quod obligatus fuiſſes, ſi revera contraxiſſes (§. 505. *p.* 5. *Jur. nat.*) ex quaſi contractu etiam ei, cui aliquem commendas, obligaris ad dicendum verum, conſequenter ad non commendandum eum, de cujus aptitudine tibi non conſtat, vel quem aptum non eſſe ad munus, quod ambit, adminiſtrandum certo noſti. Ex hoc igitur quaſi contractu alteri perfectum jus naſcitur a te exigendi, ut dicas verum, conſequenter ſi moraliter falſum dicas, jus ejus perfectum violas, atque adeo injuriam ei facis (§. 859. *part.* 1. *Jur. nat.*). Non igitur tantummodo officii eſt, ut verum dicas; ſed ad verum dicendum quoque alteri te obligaſti. Quodſi falſum dicas, fidem datam fallis (§. 758. *part.* 3. *Jur. nat.*). Hæc ideo addere viſum eſt, ut turpitudo commendationis ejus, qui aptus non eſt, tanto manifeſtior fiat. Eam vero perpendere debent non modo illi, qui alios commendant, ne in commendando nimis faciles ſe præbeant; verum etiam hi, qui ab aliis petunt, ut commendentur, ne juſtam commendationis denegationem ægre ferant, nec ſine jure eandem petant.

§. 887.

De commendatione in genere ad aliquid præſtandum.

Immo in genere nemo alterum commendare debet ad aliquid præſtandum, quem ad id præſtandum aptum non eſſe novit, aut de cujus aptitudine ipſi non conſtat. Oſtenditur eodem modo, quo idem de eruditis demonſtravimus (886.).

Pertinet huc commendatio artificum, opificum, operariorum, famulorum. Et in genere ſubſiſtit quoque demonſtratio de quaſi contractu inter commendantem & eum, cui quis commendatur inito (*not.* §. 886.). In caſu particulari commendatio injuſta aliis quoque officiis contrariari poteſt, ex quibus naſcitur obligatio naturalis ne commendes: quo in caſu fortior efficitur obligatio.

BIU Cujas

§. 888.

De laude merita erudito unicuique tribuenda.

Unicuique erudito tantum laudis tribuere debemus, quantum meretur. Etenim unusquisque alteri tantum laudis tribuere debet, quantum meretur (§. 648. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum eruditi, qui non modo intellectum (§. 876.), verum etiam voluntatem perficere debent (§ 879.), consequenter virtutes intellectuales ac morales sibi acquirere (§. 547. 209. *part.* 1. *Jur. nat.*), laudem mereantur, prouti huic obligationi naturali magis aut minus satisfecerunt (§. 550. *part.* 1. *Jur. nat.*); unicuique etiam erudito tantum laudis tribuere tenemur, quantum meretur.

Tribuimus alteri laudem, quam meretur, si virtutes ejus intellectuales ac morales commemoramus & per facta ex iisdem profecta probamus (§. 550. 551. *part.* 1. *Jur. nat.*). Cum non eadem sit rerum cognitio ac scientia, quam eruditi habent (§. 858.); nec omnes sint ejusdem ordinis (§. 859.), nec qui certum vitæ genus sequitur (§. 872.) eadem aptitudine instructus, neque etiam in eo, quod ipsi agendum, easdem virtutes morales, quæ ad recte agendum requiruntur, prodat; ideo diversa admodum laus est, quam eruditi merentur. Quamobrem non adeo facile est, unicuique eam tribuere laudem, quam meretur. Quæri hic poterat, utrum etiam Poetæ ac Oratores officio laudis aliis tribuendæ satisfacere teneantur, nec ne. Cum officium hoc pertineat ad omnes homines (§. 648. *part.* 1. *Jur. nat.*), Poetæ quoque ac Oratores excepti non videntur ob immutabilitatem obligationis naturalis (§. 142. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam vero nemini laus vera, adeoque ea, quam meretur, tribui potest nisi ab intelligente (§. 542. *part.* 1. *Jur. nat.*), obligatio Poetarum ac Oratorum in laudando ad impossibile extendi videtur, id quod tamen absurdum est (§. 209. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Vulgo dicitur: Poetis ac Oratoribus mentiri, hoc est, falsum dicere licet. Quod si intelligatur in eo casu, quo falsum dicere velle præsumuntur, vel quia non intelligunt, quænam laus alicui sit tribuenda, vel quia ad laudandum conducti sunt, vel ob rationes probabiles alias in dato casu manifestas, admittendum utique est, nec officio laudis meritæ alicui tribuendæ adversatur. Etenim tum perinde est, ac si quis diceret, se rem falsam dicturum. Si quis vero dicit, se rem falsam dicere, is falsum non loquitur (§. 173. *part.* 3. *Jur. nat.*), aut, quod vulgo dicitur, non mentitur. Exempli loco adduci solet illud *Ovidii* lib. 10. Met. 302. Desit in hac mihi parte fides, nec credite factum. Lex naturæ in laudando alio veritatem logicam præcipit pariter ac moralem. Quando vero quæritur, an Poetis ac Oratoribus falsum dicere liceat, seu mentiri; de veritate morali tantummodo quæstio est, sive veritatem logicam norint, sive ignorent.

§. 889.

De jure eruditorum ad laudem.

Quoniam unicuique eruditorum tantum laudis tribui debet, quantum meretur (§. 888.), consequenter laus, quam non meretur, tribui non debet (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*); *nemini eruditorum jus est ad laudem, quam non meretur* (§. 23. *part.* 3. *Jur. nat.*), consequenter, *quando ea eidem non tribuitur, aut denegatur, de iniquitate, vel injustitia* (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), *aut de injuria sibi facta conqueri nequit* (§. 859. *part.* 1. *Jur. nat.*).

Ita erudito infimi ordinis, qui nonnisi historicam rerum cognitionem habet (§. 859.), tribui nequit scientia, in sensu scilicet philosophico (§. 594. *Log.*); si vero tribuatur in significatu vulgari, quo scientia etiam pro simplici rerum notitia sumitur, perinde omnino est, ac si scientiam ei competere negares. Atque adeo puerile est affectare laudem scientiæ, ut videaris esse, qui non es, si quis forsitan ad significatum vocabuli non attendit animum, quando tibi scientia tribuitur. Injustæ vero sunt querelæ, quas moves, quando in significatu philosophico negatur, tibi scientiam competere, cum ipsemet fateri cogaris, nonnisi simplicem rerum, quas cognoscis, notitiam tibi esse. Vide, quæ supra eam in rem jam annotavimus (*not.* §. 859.). Similiter Geometra, etsi primi ordinis, eam laudem affectare nequit, quæ tribuitur erudito ob præclara in Rempub. merita, quemadmodum absonum foret, si hic sibi tribui vellet laudem, quæ Geometræ primi ordinis debetur. Uterque sua frui debet laude, nec laus unius cum laude alterius quicquam commune habet. Aliud enim est excellere rerum geometricarum scientia & arte veritates geometricas inveniendi, aliud prorsus bene mereri de Rep. Similiter qui laudem boni Oratoris meretur non eam affectare potest laudem, quæ Philosopho propria. Et laudem eximii Theologi perperam affectat, qui linguarum orientalium peritia excellit.

BIU Cujas

cellit. Ecquis non rideret Medicum, qui ob rerum medicarum scientiam videri vellet egregius Jctus, aut Analysta? Præterea hic notandum est, non posse inter se comparari eruditos, qui diversarum prorsus rerum cognitionem ac scientiam habent. Laudes enim, quas merentur, heterogeneæ sunt, quæ ad invicem rationem habere nequeunt (§. 126. *Arithm.*), ut perinde sit, si quæsiveris, cuinam major laus debeatur, ac si in Geometria quæreres, quamnam rationem habeat punctum ad lineam, linea ad superficiem, vel superficies ad solidum. Longe vero alia quæstio est, si quæratur, cujusnam eruditi majora sint in Remp. aut genus humanum merita, tum enim Geometræ ac Jcti merita in Remp. communem quandam mensuram habent. Quodsi vero ob merita in Remp. laudandi sint eruditi, vel ob merita in genus humanum, fieri omnino potest, ut eruditus infimi ordinis majorem laudem mereatur erudito vel primi ordinis, immo in primo ordine inter eruditos sui generis principem locum obtinentis. Videmus adeo, quam arduum sit de jure ad laudem alicujus eruditi pronunciare sententiam & quam difficile sit non fieri arrogantem, si quis nondum didicerit gloriam spernere, ne scilicet existimationem, honorem ac laudem intendat tanquam finem (§. 562. *part.* 1. *Jur. nat.*), Quid de honore civili tenendum sit, suo docebitur loco: quæ enim ad statum civilem pertinent, ea nunc seponimus.

§. 890.

Quoniam unicuique eruditorum tantum laudis tribui debet, quantum meretur (§. 888.), ac nemini eorum competit jus ad laudem, quam non meretur (§. 889.; *nemo* quoque *eruditorum alteri invidere debet laudem, quam meretur.* *De laude merita alteri non invidenda.*

Invidia commune eruditorum vitium est, ut in proverbium abierit. Figulus figulum odit. Maxime autem, laudi ac gloriæ invideri solet. Ipsa vero invidia laudis atque honoris abunde loquitur, quam sint a virtute alieni, qui eadem torquentur, & quod destituantur palmario quodam veri eruditi requisito (*not.* §. 879.), ut adeo propriam laudem deterant, dum alienæ invident.

§. 891.

Unicuique permittendum est, ut alteri tribuat laudem, quamcunque & quantamcunque velit, etiamsi eam non mereatur, modo id non faciat in contemtum tui. Permittendum enim est, ut unusquisque in determinandis actionibus suis suum sequatur judicium, quamdiu contra jus tuum nil facit (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*). Permittendum itaque est, ut unusquisque in laudandis aliis suo stet judicio, consequenter ut alteri tribuat laudem, quantamcunque velit, etiamsi eam non mereatur, quamdiu nil facit laudator, quod est contra jus tuum. Quamobrem cum contemtus fiat contra jus perfectum tuum (§. 857. *part.* 1. *Jur. nat.*); unicuique permittendum est, ut alteri tribuat laudem, quamcunque & quantamcunque velit, etiamsi eam non mereatur, modo id non faciat in contemtum tui. *De laude immerita aliorum.*

Meritam alteri tribuere laudem difficile est, cum nemo laudari possit nisi ab intelligente (§. 542. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem nihil frequentius, ut eruditus unus alteri tribuat laudem, quam non meretur, cum eruditi non omnes sint ejusdem ordinis, nec in eodem ordine ejusdem gradus (§. 859.), & prouti diversa vitæ genera sequuntur (§. 872.), diversarum quoque rerum cognitione imbutum habeant animum (§. 973.). Quemadmodum vero in quolibet actionum genere affectus homines in transversum agunt; ita etiam in laudandis aliis plurimum iisdem tribui solet. Accedit, quod multi laudem intendant tanquam finem, quod facere minime debebant (§. 562. *part.* 1. *Jur. nat.*), atque adeo sibi placeant, modo laudentur ab aliis, sive laudem, quæ ipsis tribuitur, mereantur, sive eadem digni non sint, consequenter alios laudent, ut laudentur. Quicquid horum fiat, id te parum movere debet, quamdiu laus, quæ alteri tribuitur, conjuncta non est cum contemtu tui, ubi contemtum tui ferre non debes, nisi silentio possit vindicari, tanquam ab eo profectum, a quo contemni præstat, quam laudari. Nec est, quod excipias veritatem esse defendendam. Ecquis enim tibi dedit jus veritatem laudis defendendi, quam natura non habes, *vi præsentis.* Aut quis te constituit judicem actionum alienarum, quæ te minime tangunt?

§. 892.

BIU Cujas

§. 892.

Eadem porro expenditur.

Quoniam unicuique permittendum est, ut alteri tribuat laudem, quamcunque & quantamcunque velit, etiamsi non mereatur, modo id non faciat in contemtum tui (§. 891.); *nemo* quoque *alteri invidere debet laudem immeritam.*

Nimirum si quis alterum laudat in contemtum tui, duo sunt actus a se invicem probe distinguendi, unus, quo laudatur alius, alter vero, quo tu contemneris. Cum laude aliena nihil tibi negotii est, sed tantummodo cum contemtu tui. Quamobrem etsi necesse sit, ut contemtum tui vindices, non tamen propterea tibi jus est laudem alteri tributam impugnandi, sed eam potius in medio relinquere debes, nisi contemtus tui, quem vindicare teneris, sine refutatione laudis immeritæ vindicari possit. Vindicatio contemtus sui res ardua est, nisi quicquam committere velis, quod officio cuidam erga teipsum, vel alios adversatur, quando is cum laude tertii indivulso quodam nexu cohæret. Ast in hæc inquirere non est præsentis instituti.

§. 893.

De non detrahendo laudi alterius.

Nemo eruditorum alterius famæ ac laudi sive meritæ, sive immeritæ detrahere debet. Etenim nemo eruditorum alteri invidere debet laudem, quæ ipsi tribuitur sive eam mereatur (§. 890., sive minus (§. 892.): consequenter nec id agere, ut laudem alteri tributam diminuat. Quamobrem cum laudi alterius detrahat, qui eam diminuere conatur (§. 870. *part.* 1. *Jur. nat.*); nemo eruditorum alterius laudi detrahere debet. *Quod erat unum.*

Quoniam fama est communis hominum aliorum sermo de virtutibus intellectualibus ac moralibus ejusdem (§. 553. *part.* 1. *Jur. nat.*), virtutes vero intellectuales ac morales laudem pariunt (§. 551. *part.* 1. *Jur. nat.*); fama est quasi laus, quæ in omnium ore versatur. Quoniam itaque nemo eruditorum alterius laudi, sive meritæ sive immeritæ detrahere debet, *per demonstrata*, nemo quoque alterius famæ detrahere debet, sive eam mereatur, sive minus. *Quod erat alterum.*

Commune eruditorum vitium est, eorum præsertim, qui ad nominis gloriam contendunt, laudem tanquam finem intendentes, aliorum famæ ac laudi detrahere. Invidia plerumque in causa est, quando famæ ac laudi meritæ detrahitur, eaque maxime torquet eos, qui paria præstare nequeunt, aut qui suam tantummodo, quam colunt, magnam videri volunt Minervam. Dedecet invidia eruditos (§. 890. 879.). Ac ideo famæ ac laudi propriæ multum detrahunt apud æquos rerum æstimatores, qui alienæ detrahere conantur. Quantum enim sint a vera virtute alieni, & quid in virtutibus intellectualibus desideretur, ipsi aperte probant ac abunde perspiciunt rerum moralium intelligentes. Quando in Philosophia morali signa virtutum ac vitiorum demonstraverimus, confido fore, ut etiam hi id perspiciant, qui sibi persuadere solent, quasi quoad ea, quæ in animo latent, facillime aliis imponi possit, modo voluerint attentionem afferre ad ea, quæ sine attentione percipi non possunt.

§. 894.

De famæ defensione.

Erudito competit jus famam suam adversus alios, qui eandem lacessunt, defendendi. Etenim homini omni competit jus famam suam defendendi (§. 1033. *part.* 1. *Jur. nat.*). Ergo etiam erudito hoc jus competit.

Quoniam nullus eruditus alterius famæ ac laudi, etiamsi eam non mereatur, detrahere debet (§. 983.), adeoque multo minus alterius famam lacerare (§. 867. *part.* 1. *Jur. nat.*); nemo quoque eruditorum privilegium habet laudibus ac famæ alterius obtrectandi. Natura ipsi hoc datum non est, nec contra naturam hoc sibi acquirere potuit. Quamobrem nec jus defendendi famam suam adversus obtrectatores erudito ademtum, quod natura ipsi tributum (§. 1033. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quæ itaque de defensione famæ prolixe demonstravimus (§. 1039. *& seqq. part.* 1. *Jur. nat.*); ea etiam ad eruditos pertinent, ut adeo opus non sit eadem repeti. Optandum tantummodo foret, ut jure defendendi famam quoque uterentur, quemadmodum permissum, eru-

BIU Cujas

eruditi, qui adversus obtrectatores eam defendere volunt, ipsimet contaminarent. Turpe omnino est, si eruditus videri nolit se habitu quodam intellectus carere, aut non in eo gradu eundem possidere, quemadmodum putabatur, deesse tamen sibi virtutem & ex adverso esse animum vitiorum labe infectum ipso facto ostendat, cum non minus obligetur ad voluntatem ac noluntatem, quam ad intellectum perficiendum (§. 879.), ac celebritas nominis, quæ virtutibus intellectualibus debetur (§. 553. *part.* 1. *Jur. nat.*), virtutibus moralibus demum nitescat. Defensio famæ alia verbalis est, alia realis (§. 1048. *p.* 1. *Jur. nat.*), quarum illa non utendum, ubi hæc sufficit (§. 1052. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam eruditi aliorum famam lædere conantur, objiciendo imperfectionem intellectus; ideo si qua opus est defensione, maxime realis convenit, ut factis contrariis ostendatur, te ista intellectus imperfectione non laborare. Obtrectatores plerumque ex errore quodam admisso imperfectionem quandam intellectus arguunt; sed oppido falluntur, cum non una de causa contingat, ut usus intellectus, qui in potestate erat, a facultatibus inferioribus, subinde etiam appetitu sensitivo atque aversatione sensitiva impediatur, ut adeo in proverbium abierit, bonum etiam subinde dormitare *Homerum*. Nonne absurdum foret ex errore calculi inferri, te esse Arithmeticæ imperitum, & nonne rideretur, qui ob eundem te Arithmeticæ imperitum argueret? Eadem vero facilitate erratur in cognitione rerum universalium, ut adeo æque absurdum sit, qui errantem imperfectionis intellectus redarguere ex errore quodam admisso audet, ac æque sese intelligentibus deridendum propinet, dum hoc facere non erubescit. Haud facile est reddere rationem, cur quis a vero aberraverit, etiamsi usus intellectus in potestate fuerit. Supponit enim distinctam facultatum animæ earundemque in usu ac non usu a se invicem dependentiæ, immo etiam dependentiæ ab appetitu sensitivo atque aversatione sensitiva, itemque omnium facultatum animæ a causis externis dependentiæ cognitionem: quæ an multis eruditis tribui possit, judicent alii. Immo si in Psychologia & veriori Logica versatissimos supponas, ut nihil eorum acumen atque attentionem effugiat, supererit tamen adhuc difficultas in applicatione, quæ talia haud raro supponit, quorum notitia in potestate nostra non est, ut etiam acutissimi judicium vix ac ne vix quidem ad aliquem probabilitatis gradum ascendere possit. Quodsi in rationem erroris inquirere vellemus, aut possemus, haud raro puerile videretur ob eundem alterius laudi ac famæ detrahere velle. Immo subinde deprehendemus, errorem committi non potuisse nisi ab eo, qui insigni intellectus perfectione gaudet, ut ipse error præbeat materiam laudis. Si obtrectatoribus laudis alienæ incumberet demonstrare, quomodo is, cui insultant, in errorem inciderit, aut saltem probabiliter de eo statuere; facile animadverterent, id in potestate sua non esse. Alteri vero imperfectionem intellectus tribuere & quod recte tribuatur ostendere non posse, non laudi ducitur, sed vitio vertitur. Atque hinc clarissime elucescit, quam puerile sit sibi persuadere, quod intellectus perfectione alterum vincat, qui errorem quendam ab altero commissum videt. Minus autem excusate peccat, si quis imperfectionem intellectus alteri tribuit, cujus contraria specimina multa dedit. Sed quemadmodum vulgo dicitur, multum esse in rebus inane; ita non immerito exclamaveris: Quantum est in eruditorum obtrectationibus inane!

§. 895.

De fama per contemtum aliorum acquirenda.

Non licet per contemtum aliorum ad nominis gloriam contendere. Neminem enim contemnere debemus (§. 790. *part.* 1. *Jur. nat.*), sed potius operam dare, ut sit existimatione & honore ac laude dignus (§. 545. 546. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter ut virtutes intellectuales & morales acquirat (§. 549. 550. *part.* 1. *Jur. nat.*) & eas sibi esse factis ostendat (§. 551. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem patet, quod non liceat per contemtum aliorum ad nominis gloriam contendere.

Frequens eruditorum vitium est, quod per contemtum aliorum ad nominis gloriam contendere velint. Maxime autem familiare est hoc vitium iis, qui nihil præclari præstare possunt. Quoniam videri volunt meliores iis, quos contemnunt; eos inprimis adoriuntur, quorum illustria sunt in Remp. literariam merita. Et qui supra omnes eminere volunt, aliorum dicta & facta omnia virgula censoria notant, quasi nihil recte dici ac fieri possit ab aliis. Quamobrem ab hoc vitio quoque non semper immunes sunt illi, quorum eminentia sunt merita, quando nimirum pares ferre non possunt, adeoque multo minus superiorem, etsi, cum laude sua frui possent, hoc pacto non parum eidem detrahant (§. 879.). Si vis laudari, virum te præsta. Nulla laus tibi accedit ex eo, quod alii laude non sint digni, multo minus autem, quod tu velis eos dignos non videri. Neque etiam meritis tuis ac laudi tuæ quicquam decedit, quod etiam aliorum merita celebrentur ac laus merita aliis tribuatur. Nemo solus omnia præstare potest, ac ideo eruditi conjunctis viribus rerum cognitionem ac scientiam promovere debent (§. 863.). Vere igitur erudito, hoc est ei, qui cum virtutibus intellectualibus virtutes morales conjungit, nihil gratius esse debet, quam ubi viderit, alios quoque bene de scientia mereri, nec, qui scientiam

amat,

amat, quicquam magis in votis habet, quam ut multi sint, qui de eadem bene mereantur. Laudabit igitur se multo inferiores, quod novit, laude incitari liberalia ingenia ad præclara præstanda, præsertim si laudentur ab iis, quorum illustria merita ipsis non sunt ignota.

§. 896.

De nationis studio circa gloriam.

Quoniam per contemtum aliorum non licet ad nominis gloriam contendere (§. 985.), sed unicuique laus, quam meretur, tribuenda (§. 888.); *nec nationis studio cum contemtu aliarum nationum, vel detrahendo laudi exterorum nationi suæ gloriam comparare licet.*

Nationi alicui omnino laudi cedit, si apud eandem promoveantur scientiæ ac artes, & si ea multos numeret in quovis eruditorum ordine ac genere supra alios excellentes. Universitati non licet, quod illicitum est singulis, & quod singuli singulis, id etiam universitas quædam alteri cuidam, adeoque natio nationi debet. Cujuscunque igitur gentis quis fuerit, ejus merita sunt prædicanda & merita laude condecoranda. Præposterum adeo est nationis studium, si eidem dediti fuerint eruditi. Quæ modo de singulis annotavimus (*not.* §. 893.); ea etiam applicanda sunt ad integras nationes. Quemadmodum vero nihil insolentius est, quam si quis eruditus alienam laudem sibi arrogat, vel quatenus videri vult ea invenisse, quæ ab alio detecta sunt, vel quatenus sibi solus omnia debere prætendit, quæ novit, aut scit; ideo quoque ferendum non est, si qui nationis studio eo sese adduci patiantur, ut vel ab exteris inventa suæ nationi tribuant, vel eandem sibi omnia debere, nihil ab exteris accepisse contendant, etiamsi contrarium nullo negotio ostendi possit. Suorum quoque gloriæ magis nocent, quam consulunt, si in aliquo scientiarum genere eminentes & laudem summam meritos immeritis quoque laudibus non sine detrimento scientiarum cumulent. Cum unicuique laudem, quam meretur, tribuere debeamus (§. 888.); minime reprehendendi sunt, qui nationis quoque suæ merita in scientiam prædicant, sed propterea non excusantur, si aliorum in eandem meritis non erubescant derogare.

§. 897.

De laude exterorum cum contemtu conterraneorum non extollenda.

Non licet laudes exterorum extollere cum contemtu conterraneorum. Etenim unicuique laudem, quam meretur, tribuere debemus (§. 888.), neminem vero contemnere (§. 790. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec cuiquam invidere laudem, quam meretur (§. 890.). Non igitur majorem laudem tribuere alicui debemus, quam meretur, quia extraneus est, nec laudem invidere alicui, quia conterraneus est, multoque minus eundem contemnere. Quamobrem non licet laudes exterorum extollere cum contemtu conterraneorum.

Vitium hoc eruditorum vix alibi notum est, quam in Germania. Et quamvis familiare potissimum sit eruditis infimi ordinis; subinde tamen reperiuntur etiam nonnulli in ordinibus superioribus, qui ab eodem non sunt prorsus immunes. Neque hoc semper matrem agnoscit invidiam, quamvis sæpissime ex ea nascatur; sed dantur ejus causæ adhuc aliæ. Sunt enim, qui omnem gloriam in eo positam esse opinantur, quod libros exotica quadam lingua impressos, vel extra Germaniam editos legerint. Unde etiam satis laudari arbitrantur eum, quem libros exoticos legisse dicunt. Atque hi exteros extollunt, conterraneos suos contemnunt, etsi parum competentes sint judices, cum ultra historicam rerum cognitionem non progrediantur, nec in ordine infimo eruditorum emineant. Extollunt nimirum, ut & ipsi laudentur præ aliis conterraneis suis, quos promiscue omnes exteris postponunt, quando honorifice de iisdem loquuntur. Ex re igitur esse duximus, hoc quoque vitium non intactum relinquere. Mihi eruditi omnes, quacunque in regione degant, cum conjunctis viribus rerum cognitionem ac scientiam promovere debeant (§. 863.), sunt quasi socii, inter quos ipsa natura societatem instituit, quæ *Reip. literariæ* nomine venire solet, & quos arctissimo legum vinculo inter se colligavit, quemadmodum ex iis liquet, quæ hactenus demonstrata sunt. Concives itaque sunt, qui communi jure fruuntur, ut adeo nemo eorum pro extraneo haberi possit. Quemadmodum omnis homo hominem alium amare debet tanquam seipsum (§. 619. *part.* 1. *Jur. nat.*), nimirum tanquam æque hominem (§. 81. *part.* 1. *Jur. nat.*); ita quoque eruditus unusquisque qua eruditus, alterum amare debet tanquam seipsum, seu æque eruditum, sive in hac orbis terrarum parte habitet, sive in alia. Et quoniam eruditorum est veritatis partes agere, & ipsa natura eandem tutelæ ipsorum commisit; nil magis dedecet eruditos, quam si inter se veritatem non colant. Non minus igitur damnanda est *Exteromania*, quam *Nationmania*; liceat enim me-

res

res barbaros vocabulis barbaris appellare. Cum vero turpe foret doctori, si culpa redargueret ipsum; absit ut etiam nos a veritatis tramite recedamus, dum aliis eandem sequi commendamus. Nemo igitur existimet, nos negare, quod in nationem seu gentem aliquam laus eruditorum, qui ejusdem gentis sunt, ab ipsis derivetur. Aliud vero est de gente quadam judicium; aliud vero de singulis, quod fertur, judicium; & alia sunt gentis cujusdam in scientiam merita, alia singulorum. Ast quoniam, ut dixi, quod genti competit, id nonnisi a singulis in eandem derivari; de gente qua erudita veritati consentaneum fieri nequit judicium, nisi ante constet, quid de singulis non dissentiente veritate prædicari possit.

§. 898.

De jure defendendi famam aliorum eruditorum.

Naturaliter unicuique erudito competit jus defendendi famam alterius contra obtrectatores, si eam defendere possit. Operam enim dare debemus, ut, qui merentur, famam consequantur (650. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter nec ferre debemus, ut alterius fama lædatur vel laceretur, aut eidem detrahatur (§. 867. 870. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum ex obligatione nascatur jus (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*), & famam defendat, qui ostendit falsitatem eorum, quæ dicit obtrectator, aut veritatem contrarii (§. 1049. *part.* 1. *Jur. nat.*); unicuique erudito competit jus famam alterius contra obtrectatores defendendi, si eam defendere possit (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*)

Quæ de fama defendenda tenenda sunt, ea alibi jam demonstravimus (§. 1039. & seqq. *p.* 1. *Jur. nat.*). Quodsi quis famæ alienæ defensionem in se suscipit, is partes alterius agit, adeoque non plus juris eidem competit, quam propriæ famæ defensori. Non igitur opus est, ut hic demonstretur, quænam defensoris famæ alienæ sint partes. Id vero per se patet, defensionem famæ alienæ non esse posse nisi verbalem, realem vero non cadere nisi in defensorem famæ propriæ (§. 1048. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam nemo laudem intendere debet tanquam finem (§. 562. *part.* 1. *Jur. nat.*), ac modestia, quæ appetitum circa honorem legi naturali convenienter determinat (§. 563. *part.* 1. *Jur. nat.*), eruditum maxime decet (§. 565. *part.* 1. *Jur. nat.* & §. 878. *b*); defensio realis maxime convenit defensori famæ propriæ, verbalis vero rectius relinquitur aliis. Non confundenda vero est defensio veritatis cum defensione famæ, quarum illa rem, hæc personam respicit, quamvis subinde eæ parum a se invicem distent, ut non cuivis facile sit intra suos unamquamque coarctare limites. Quodsi eruditi officio de conjungenda emendatione voluntatis ac noluntatis cum studio perficiendi intellectum curatius satisfecerint (§. 881.), ut modestiæ exemplum illustre aliis præbeant (§. 882.); verendum non erit, ut in defendenda veritate contra modestiam quicquam committant, nec in defensione famæ sibi sumant, quod aliis rectius erat relinquendum.

§. 899.

De disciplinis ad certitudinem evehendis.

Eruditorum secundi ac primi ordinis est disciplinas ad eum certitudinis gradum evehere, ad quem evehi possunt, ac verum a falso separare. Etenim eruditi rerum scientiam promovere debent (§. 863.), consequenter cum id demum sciamus, quod demonstrare possumus (§. 594. *Log.*), certum vero sit, quod demonstrari potest (§. 568. *Log.*); eruditi operam dare debent, ut ea, quæ in disciplinis docentur, certa sint, adeoque disciplina ad certitudinem evehatur. Quoniam vero certa rerum cognitio non semper in potestate nostra est, quod a posteriori constat, adeoque hic sumendum, nemo autem ad impossibile obligatur (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); eruditorum omnino est, disciplinas ad eum certitudinis gradum evehere, ad quem evehi possunt. *Quod erat primum.*

Enimvero quod demonstrari potest sive directe, sive indirecte verum est (§. 544. 557. *Log.*). Quamobrem cum eruditorum sit ea, quæ in disciplinis traduntur, demonstrare *per demonstrata*; eruditorum omnino est verum a falso separare. *Quod erat secundum.*

Enimvero eruditi infimi ordinis historicam saltem rerum cognitionem habent, eruditi autem secundi ordinis philosophicam & qui tertii ordinis sunt habitu veritates latentes inveniendi pollent (§. 859.), consequenter eruditi infimi ordinis tantummodo cognoscunt, quæ sunt atque fiunt (§. 3. *Disc. prælim.*), adeoque tantummodo norunt,

BIU Cujas

runt, quod, quid dicatur verum, non vero demonſtrare poſſunt quid ſit verum, ſed hoc eruditis ſecundi ac primi ordinis reſervatum (§. 6. 9. *Diſc. præl. & §. 457. 460. Pſych. empir.*). Quamobrem cum nemo obligetur ad ea facienda, quæ in poteſtate ipſius non ſunt §. 176. *part.* 1. *Jur. nat.*), cui vero amplior eſt facultatum, virium ac rerum uſus, & auxilium alienum majus, is ad plura præſtanda obligatur (§. 177. *part.* 1. *Jur. nat.*); diſciplinas ad eum certitudinis gradum evehere, ad quem evehi poſſunt, ac verum a falſo ſeparare non eruditorum infimi ordinis eſt, ſed eorum, qui ſecundi ac primi ordinis ſunt. *Quod erat tertium.*

Eruditi infimi ordinis alieno negotio ſe ingerunt, ſi diſciplinas ad majorem certitudinem evehere, vel verum a falſo ſeparare auſint. Non eſt, quod exiſtimes, eos ab opere cœpto deſtituturos, ubi deprehendunt, ſe id præſtare non poſſe, quod voluerunt. Etenim cum neſciant, quid ferre poſſint humeri, quid ferre recuſent, facillime ſibimetipſis imponunt, ut ſibi oneri ferendo pares videantur, quod ferre non poſſunt, ac præſtitiſſe, quod præſtare non poterant. Quodſi diſtinctam diverſorum graduum intellectus notionem haberent, unde diverſitas ordinum eruditorum dependet (§. 859.), non ſibi viderentur qui non ſunt, & peritorum conſilium ſequerentur, quemadmodum debent, quando per ſe ſtatuere non poſſent, quid ſit faciendum (§. 866.). Aſt cum eruditorum ordines diſtinguere non didicerint, plus de facultatibus ſuis ſperare ſolent, quam in iis eſt, & plures ſunt cauſæ, cur vitia eruditis familiaria, maxime iis, qui in ordine infimo ſubſiſtunt, vanam de ſe opinionem alant. Quamvis autem affirmemus, eruditorum ſecundi ac primi ordinis eſſe, ut diſciplinas ad majorem certitudinem evehant & verum a falſo ſeparent; non tamen propterea exiſtimandum eſt, quemvis promiſcue eruditum ſecundi ac primi ordinis in quocunque diſciplinarum genere ad verum a falſo ſeparandum & ad quamcunque diſciplinam ad certitudinem evehendum aptum eſſe. Etenim in quolibet ordine eruditi diſtinguuntur in varia genera pro diverſitate rerum, quarum cognitionem habent. Quamobrem in dies experimur, in aliquo genere excellentes de rebus aliis ad idem non pertinentibus pueriliter judicare. Neque inſolens eſt, ut ſibi etiam circa eas præſtitiſſe videantur, quæ non præſtiterunt, nec præſtare potuerunt. Ita fieri poteſt, ut Geometra & Analyſta in primo ordine eminens de rebus metaphyſicis peſſime judicet, vel cauſas phyſicas rerum quarundam naturalium ſibi detexiſſe videatur via vere analytica, cum qualis ſit hæc via prorſus ignoret. Conſultum adeo foret, ut circa eas res ſubſiſteret, quarum cognitioni ſeſe mancipavit, nec rebus aliis ſe ingereret, quibus cognoſcendis quod parem operam non impenderit ſibi probe conſcius eſt. Hoc nimirum pacto facile evitare poterat, ne opinionum commenta, quæ dies delet, pro veritate venderet. Non inconſultum igitur duximus, propoſitionem ſequentem addere.

§. 900.

Idem ulterius expenditur. Quoniam *eruditorum primi ac ſecundi ordinis* eſt diſciplinas ad eum certitudinis gradum evehere, ad quem evehi poſſunt, ac verum a falſo ſeparare (§. 899.), fieri autem non poteſt, ut quis in rerum cujuſcunque generis cognitione eodem modo ſit verſatus; *nemo* quoque eorum *ſibi ſumere debet judicium de iis rebus, quarum cognitioni non eandem operam navavit, quam iis impendit, in quibus excellit*, conſequenter *nec velle diſciplinas ad majorem certitudinem evehere, in quibus nondum verſatus eſt, aut non ſatis, ac in iis verum a falſo diſcernere.*

E. gr. Noſti te diſciplinæ cujuſdem non eſſe peritum, aut non eſſe ſatis, nec cognoviſſe ea, quæ ab aliis in eadem tradita ſunt, ut ea ad examen revocare poſſis. Inanem utique operam ſumes, ſi eam ad majorem certitudinem evehere velis ac in eadem verum a falſo diſcernere, etſi in alia diſciplina, veluti in Geometria ſublimiori te heroem præſtiteris. Ita qui in calculo algebraico excellit, in methodo tamen *Euclidis* ac veterum Geometrarum excolenda nullam operam collocavit, non præſtat quod laudari mereatur, ſi ea, quæ per calculum eruta ſunt, ſynthetice demonſtrare voluerit. Multo minus autem ſatisfaciet methodi hujus peritis & rerum intelligentibus, ſi quæ extra ſphæram ſuam, demonſtrare conetur. Non deſunt exempla illuſtria, quibus confirmari poterant, quæ dicuntur; ſed ne videamur aliorum laudi detrahere velle (§. 893.), ea commemorare nolumus: ſit ita, quod laudi ducatur iis, qui ſua ſponte id agnoſcunt. Magna ſunt Newtoni viri ſummi in Geometriam ſublimiorem ac Analyſin merita, quod tamen ipſe doluerit, ſe juvenem methodum demonſtrandi Geometrarum veterum ſyntheticam non ſatis excoluiſſe, ſed ad Algebram ſtatim properaſſe, merita ejus non minuit, ſed eadem potius illuſtriora efficit, quatenus animum ab omni arrogantia liberum (§. 566. *p.* 1. *Jur. nat.*) & ab omni faſtu procul remotum (§. 583. *p.* 1. *Jur. nat.*) hac ipſa confeſſione probat.

§. 901.

BIU Cujas

§. 901.

De jure corrigendi ac refutandi aliorum errores.

Qui errores ab aliis commissos corrigere valet, vel refutare; ei jus est ad hoc faciendum. Etenim eruditi conjunctis viribus rerum cognitionem ac scientiam promovere debent (§. 863.). Quamobrem si viderint falsum pro vero ab aliquo venditari, operam dare debent, ut error agnoscatur, & veritas in apricum producatur. Quoniam igitur hoc fit, si error refutetur (§. 1017. *Log.*) & corrigatur, lex naturæ autem dat jus ad eos actus, sine quibus obligationi naturali satisfieri nequit (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); eadem quoque eruditis dat jus ad errores ab aliis commissos corrigendum, vel refutandum. Quoniam vero jus est facultas moralis agendi (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & naturæ lex nos obligat ad actionum rectitudinem (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ea quoque jus ad errores aliorum corrigendos, vel refutandos dare nequit nisi ei, qui hoc facere valet.

Nihil absurdius dici potest, quam alicui naturæ tributum esse jus, cujus capax non est, consequenter ei competere jus ad errores aliorum corrigendos, vel refutandos, qui nec corrigere, nec refutare valet. Nonne rideretur, qui contendere vellet sutori competere jus corrigendi picturam, aut defectus, quibus laborat, indicandi? Annon diceremus cum *Appelle*; ne sutor ultra crepidas? Veritas adeo propositionis præsentis in omnium oculos incurrit & ab unoquoque facile agnoscitur. Hoc tamen non obstante nihil frequentius fieri videmus, quam ut alios refutare velint, qui non modo illarum rerum, de quibus agitur, prorsus imperiti sunt, verum etiam eo facultatum usu destituuntur, qui ad refutandum errores requiritur. In promptu ratio est. Plurimi eruditorum plus sperant de facultatibus suis, quam in iis est, ac sibi videntur, qui non sunt. Et quo quis indoctior, eo ad refutandum alios sibi videtur aptior. Influit autem in præposterum refutandi studium etiam appetitus sensitivus non uno modo, quatenus hac, vel alia vitiorum labe infectus. Sed talia discutere non est præsentis instituti. Pertinet enim hoc ad praxin moralem, adeoque ad Philosophiam moralem, seu Ethicam. Negari tamen non potest, multum obesse incremento scientiarum præposterum refutandi studium, cum tamen illud unicuique erudito curæ cordique esse debeat (§. 863.). Inprimis hoc contingit, ubi animus persequendi autorem ad refutandi ausum accedit: id quod haud raro fieri solet. Tum enim non id agitur, ut veritas in apricum producatur, sed ut supprimatur, & vel ignorantia, vel errores falsæque opiniones, immo fabulæ pene aniles ad posteros propagentur.

§. 902.

Quibus jus istud non competat.

Quoniam eruditi infimi ordinis nonnisi historicam rerum cognitionem habent (§. 859.), adeoque tantummodo norunt, hoc dici verum esse, & hanc esse ejus, quod fieri constat, rationem (§. 3. 8. *Disc. prælim.*); quod autem verum sit, vel hæc illius sit ratio, demonstrare nequeunt, cum hoc facere non possint nisi eruditi secundi ac primi ordinis (§. 850. *h.* & §. 594. *Log.*); *eruditis infimi ordinis nullum competit jus ad refutandum alios, multoque minus ad errores corrigendos* (§. 901.).

Ordines eruditorum distinguuntur in quolibet cognoscibilium genere, ut adeo fieri possit eruditum aliquem, si certum quoddam cognoscibilium genus spectes, locum non infimum, immo superiorem quendam occupare in ordine superiori, qui infimum saltem occupat in infimo respectu aliorum cognoscibilium generum, immo prorsus nullum in eodem meretur, utpote rerum ad hoc genus pertinentium prorsus ignarum. Quamvis adeo ipsi competat jus ad errores corrigendos, vel refutandos in eo, quod colit, cognoscibilium genere; nullum tamen sibi arrogare potest in alio quodam genere. Ita Jctus vel etiam Theologus de rebus ad Astronomiam, vel Geographiam mathematicam spectantibus judicium ferre nequit, consequenter nec sibi arrogare potest jus Astronomorum placita refutandi. Etenim aut statuet ex notionibus communibus, ex quibus ea, quæ affirmant Astronomi, non deduxerunt, veluti si ea, quæ de distantiis Planetarum & magnitudine semidiametri Telluris tradunt, se refutasse sibi persuadeat dicendo, quod nemo a Terra in Lunam ascendere, vel ad centrum usque terræ descendere potuerit, ut distantiam Lunæ a Terra, vel centri Terræ a loco superficiei, in quo consistit, mensura manu applicata metiri daretur; aut falsas, quas fovet, opiniones iis, quæ affirmant

BIU Cujas

alii, opponit, veluti cum Patres quidam Ecclesiæ rotunditatem Telluris negarent, quod terram esse discum aquis innatantem a Præceptoribus suis didicerant; aut consequentias cumulant, quæ legitimis ratiociniis inferri nequeunt, veluti cum Patres quidam Ecclesiæ impugnarent antipodes, aut alii Theologi incolas Planetarum, quod unus tantummodo sit Christus Salvator totius generis humani, admissis autem antipodibus, aut Planetarum incolis plures fingendi sint Christi aut Christum non esse totius generis humani redemtorem. Hæc non alio fine a nobis exempli loco adducuntur, ut tanto manifestius appareat, quam sit periculosum sibi arrogare jus refutandi ac corrigendi errores, quod lex naturæ non tribuit, & ut ex alieno casu discatur, quid sit vitandum. Quamvis vero jus ad refutandum errores non conveniat eruditis infimi ordinis in aliquo rerum cognoscibilium genere; non tamen videmus ad refutandum proniores, quam hos ipsos. Nostris præsertim moribus refutando alios inclarescere conantur, qui vix discentium numero exemti sunt, aut qui præclari quidpiam præstare non possunt. Et vix unus impugnare cœpit autorem quendam, præsertim talem, cujus vel magna est autoritas, vel celebritas, ac statim ingentem videas sociorum, qui refutatores videri volunt, catervam. Caninis enim utuntur moribus, ut latrante uno latrent quoque ceteri. Et coryphæus mirifice sibi placet, quod tot habeat sectatores, atque triumphum ante victoriam canit consensum multitudinis tanquam argumentum invictum allegans, quod a parte sua stet veritas, non memor pervulgati illius, multitudinem errantium non parere errori patrocinium. Quodsi ergo vel de unica quæstione litigetur, intra paucos annos ingens prostat scriptorum eristicorum numerus, in quibus eadem vel centies repetuntur, quasi quæ objiciuntur iterata sæpius repetitione acquirant pondus, quod per se non habent. In Logica impugnationem distinximus a refutatione (§. 1017. 1018. *Log.*), quam differentiam si omnes perpenderent, aut capere possent, qui ad refutandum alios adeo proclives sunt, numerus illorum, qui refutando alios inclarescere volunt, multum imminueretur. Differentiam istam omnino probe perpendere debet, qui alium refutare voluerit, cum ex aptitudine metiendum sit jus (§. 901.). De veritate disceptatio est, non de eo, quod tibi videtur. Nondum enim satis intellecta tanto absurdiora plerumque videntur, quanto quis ab iis intime perspiciendis remotior. Quo quis adeo imperitior, eo plura ipsi subnascuntur dubia, ut multa sibi habere videatur, quæ opponit, etsi nihil haberet, si iis intelligendis eandem operam impenderet, quam in refutando, aut potius impugnando collocat.

§. 903.

Obligatio ejus, qui directe refutat.

Alterum directe refutaturus demonstrare obligatur propositionem veram falsæ oppositam, vel modum, quo is in errorem incidit, aut utrumque. Obligamur enim ad recte agendum (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum directe refutari non possit error, nisi demonstrando propositionem veram falsæ oppositam, vel modum, quo quis in errorem incidit (§. 1036. *Log.*); alterum refutaturus directe utique demonstrare obligatur propositionem veram falsæ oppositam, vel modum, quo quis in errorem incidit, aut utrumque.

In Logica demonstravimus, quomodo refutatio recte fiat: ast in Jure naturæ ostendendum, quod ad recte refutandum simus obligati, ut adeo nemo existimare possit, quasi libertati suæ relictum sit, utrum regulas in Logica præscriptas in refutando observare velit, nec ne. Ipsam naturæ legem transgreditur, qui in eas impingit, adeoque peccat (§. 440. *part.* 1. *Philos. pract. univ.*). Peccat vero non modo, quatenus minus recte agit, cum ab agendo abstinere potuisset, ac debuisset; verum etiam quod sibi arroget jus, quod lex naturæ eidem non tribuit (§. 901.): etsi hoc parum agnoscatur, præsertim ab iis, qui ad refutandum adeo sunt proclives, non tamen propterea desinit esse verum. Eruditorum actiones promiscue omnes non minus subjacent æternæ isti ac immutabili legi, quam humanæ aliæ, adeoque ad hanc normam exigendæ, ut quoque hoc nomine eruditi obligentur voluntatem juxta intellectum perficere. Ceterum per se patet, eum, qui contrariam propositionem demonstrat, errorem ab alio commissum corrigere; qui vero saltem ostendit modum, quo is in errorem incidit, eum simpliciter refutare alium, seu falsitatem ejus, quod asserit demonstrare.

§. 904.

Obligatio ejus, qui indirecte refutat.

Alterum indirecte refutaturus sumere debet, quod alter asserit, tanquam verum & inde syllogismorum concatenatione inferre propositionem, quam ipse falsam agnoscit. Obligatur enim ad recte refutandum (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum alter indirecte refutetur, si, quod asserit, sumatur tanquam verum, & syllogismorum

BIU Cujas

rum concatenatione inferatur propositio, quam ipse falsam agnoscit (§. 1039. *Log.*); alterum indirecte refutaturus obligatur sumere, quod alter asserit, tanquam verum & syllogismorum concatenatione inde inferre propositionem, quam ipse falsam agnoscit.

Quæ ad præcedentem propositionem modo annotavimus (*not.* §. 903.), eadem de præsenti quoque tenenda. Quoniam præter refutationem directam & indirectam non datur alia, lex autem naturæ nemini tribuit jus ad refutandum, nisi qui vel directe vel indirecte errores ab aliis commissos refutare potest; ex iis, quæ de utroque refutandi modo demonstrata sunt, quemadmodum dijudicanda est aptitudo ad demonstrandum, ita quoque metiendum est jus ad refutandum alicui competens (§. 901.). Quodsi adeo demonstrationem propositionis præsentis ac præcedentis consideres, facile animadvertes jus ad refutandum originem suam deducere ex obligatione ad recte agendum. Indirecta autem refutatio non confundenda est cum praxi consequentiariorum (§. 1048. *Log.*), quæ nisi daretur & pro refutatione vulgo venditaretur, rari admodum forent refutatores, seu qui ad refutandum animum appellerent, cum defectum virium suarum facile agnoscerent, nec sibi viderentur, qui non sunt.

§. 905.

Finis a refutatore intendendus.

Refutator non alium finem intendere debet, quam ne pro vero habeatur, quod non est, aut de quo nondum certo constat, utrum verum sit, nec ne. Etenim eruditi conjunctis viribus rerum cognitionem ac scientiam promovere debent (§. 863.); adeoque operam dare, ut veritas detegatur, consequenter ut verum a falso, certum ab incerto separetur, cum rerum cognitionem ac scientiam habere nondum dici possit, qui nondum agnoscit, utrum propositio vera sit, an falsa, adeoque certum ab incerto ac verum a falso discernere non valet (§. 564. 505. *Log.*). Quoniam itaque qui errat refutatur, si ostendatur, falsam esse propositionem, quam pro vera habet (§. 1017. *Log.*), consequenter etiam si ostendatur falsum esse, quod certo jam constet, aliquam propositionem esse veram, finis autem est id, propter quod agimus (§. 932. *Ontol.*); refutator alium finem intendere nequit, quam ne pro vero habeatur, quod non est, aut de quo nondum certo constat, utrum verum sit, nec ne.

Finis hic intenditur vel respectu errantis, ut is ab errore liberetur; vel respectu aliorum, ne ad errorem seducantur. Atque adeo facile judicari poterit, quandonam finis necessitatem quandam imponat alterum refutandi. Equidem vix quisquam erit, qui, cum ad refutandum animum appellat, videri nolit veritatis defensor; non tamen sufficit videri velle, cum non sis. Oppido autem falluntur, qui sibi persuadent, se videri aliis, qui non sunt. Qui enim amore veritatis ad refutandum non ducuntur, satis superque produnt, saltem acutioribus ac veris rerum æstimatoribus fines, quos revera intendunt veritatis defendendæ prætextu, & quos dissimulare nondum didicerunt (§. 717. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Omnium autem ineptissimi sunt ad dissimulandum, qui verborum contumelias dicunt & argumento ab invidia ducto utuntur (§. 1049. & *not.* §. 1056. *Log.*).

§. 906.

A quibus refutator abstinere debeat.

Quoniam refutator non alium finem intendere debet, quam ne pro vero habeatur, quod non est, aut de quo certo non constat, utrum verum sit, nec ne (§. 905.), convicia vero ad aliud non profunt, quam ut ignominia afficiatur, qui refutatur (§. 815. *part.* 1. *Jur. nat.*), & argumento ab invidia ducto in placita alterius odium concitatur, ut opprimantur (§. 1049. *Log.*), *refutator a conviciis & argumento ab invidia ducto abstinere debet, consequenter & a praxi consequentiariorum* (§. 1046. & *seqq. Log.*).

Ostendimus jam in Logica, ea non convenire refutationi (§. 1046. & seqq. n. 1056.); hic vero ostendendum nobis erat, refutatorem obligari ad abstinendum ab iisdem. Merito laudantur Scholastici *Grotio*, qui ipse a perversis multorum eruditorum moribus valde alienus erat, in Prolegom. ad libros de J. B. & P. §. 52. quod in ipso diversa tuendi studio laudabile præbeant modestiæ exemplum; rationibus inter se certantes, non convitiis, turpi fœtu impotentis animi, & hunc morem literas inquinare recte judicat (§. 879.). Cum refutatio tam directa, quam

quam indirecta difficilis sit, nec conveniat nisi in eruditos secundi ac primi ordinis; idcirco missa directa in praxin consequentiariorum convertitur indirecta & cum argumento ab invidia ducto conjungitur, præsertim cum in progressu augeatur fervor disputandi, nihil moderabile suadens. Et quoniam ad argumenta probabilia, præsertim extrinseca confugiunt, qui methodum demonstrandi ignorant, aut saltem ejus usum in potestate non habent; tanto liberius extra oleas evagantur, quod Logica probabilium nondum in formam artis redacta & certis regulis adstricta. Regnat igitur in bello literario eadem licentia, qualem in bello inter gentes indulget Jus Gentium voluntarium ac consuetudinarium, de quo suo loco dicemus. Et dolendum est, eam in statu civili tolerari, nec legibus positivis coerceri, quibus non minus securitati eruditorum, quam civium aliorum prospiciendum erat. Sed de eo dicemus apertius suo loco.

§. 907.

De dubiis proponendis. *In rebus dubiis unicuique licet dubia sua modeste proponere.* Quamdiu enim res dubiæ sunt, aut saltem adhuc videntur, nondum satis constat, cuinam contradictionis parti assensum præbere debeamus (§. 417. *part.* 2. *Theol. nat.*). Quoniam itaque eruditi conjunctis viribus rerum scientiam promovere debent (§. 863.); ideo si dubia quædam adhuc supersint, quæ assensum aliorum remorantur, alii operam dare debent, ut eadem removeantur. Quamobrem cum removeri non possint, nisi proponantur, lex vero naturæ det jus ad eos actus, sine quibus obligationi cuidam naturali satisfieri nequit (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); unicuique etiam in rebus dubiis dubia sua proponere licet. *Quod erat unum.*

Enimvero quia modestia virtus est (§. 563. *part.* 1. *Jur. nat.*), eruditi autem ad virtutem omnem colendam obligantur (§. 878.), immo etiam ad præbendum exemplum bonum aliis (§. 882.), ut gravius peccent aliis, si mala prodant (§. 883.); dubia quoque sua modeste proponere debent. *Quod erat alterum.*

Juri nimirum proponendi dubia adhæret obligatio ut modeste id fiat, quæ usum juris respicit. Juri per se non inest obligatio, quemadmodum ex collatione definitionum juris ac obligationis patet (§. 118. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); sed quatenus lex naturæ nos obligat ad recte agendum (§. 189. *part.* 1. *Philos. pract. univers.*), adeoque etiam ad recte utendum jure suo, ideo juri quoque obligatio quædam accedere potest. Quia tibi jus competit, ideo facere licet (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); sed id te non liberat ab obligatione naturali, quæ prorsus immutabilis (§. 142. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), ut in exercitio juris quicquam committere liceat, quod alias illicitum. Ex. gr. Cum Geometriam indivisibilium publici juris faceret *Cavalerius*; licebat Mathematicis, quibus dubia quædam circa eandem adhuc supererant, ea publice proponere citra injuriam autoris, quamvis ab ejus parte staret veritas, modo id fieret modeste, neque idem hoc ægre ferre debebat.

§. 908.

De jure circa hypotheses. *Si quis hypotheses proponit, ubi veritas reperta nondum est; eruditis jus est ad eas examinandas & vel refutandas, vel ad dubia, quibus urgentur, indicanda.* Hypothesibus enim philosophicis in philosophia locus concedendus, quatenus ad veritatem liquidam viam sternunt (§. 127. *Disc. prælim.*), consequenter hypotheses proponere licet, ubi veritas reperta nondum est, ut ad veritatem inveniendam via sternatur. Quoniam vero hypotheses hunc usum habere nequeunt, nisi examinentur, ut appareat, an ex iis sequatur, quod veritati sit adversum, aut num adsint rationes probabiles, cur ea, quæ sumuntur, tuto sumi non possint, ideo necesse est, ut examini subjiciantur, & vel falsitas earundem demonstretur, vel dubia, quibus urgentur, patefiant. Quamobrem cum eruditi conjunctis viribus rerum cognitionem ac scientiam promovere debeant (§. 863.), lex autem naturæ det iisdem jus ad eos actus, sine quibus huic obligationi satisfacere non possunt (§. 159. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*); si quis hypotheses proponit, ubi veritas reperta nondum est, eruditis jus est ad eas examinandas, & vel refutandas, vel ad dubia, quibus urgentur, indicanda.

Necessitatem hypothesium, ubi ad veritatem liquidam pervenire non statim datur, dudum comprobavit Astronomia. Quodsi enim in eadem hypotheses admittere noluissent Astronomi, nun-

BIU Cujas

nunquam ad eum perfectionis gradum illa evecta fuisset, ad quem hodie perductam videmus, sed crassa omnino rerum astronomicarum ignorantia adhuc laboraremus. Docent vero etiam Astronomi exemplo suo, quomodo hypotheses sint examinandæ ac emendandæ, & earundem falsitas, vel veritas detegenda. Qui adeo hypotheses omnes ex disciplinis eliminandas esse contendunt, illi aditum ad veritatem præcludunt. Hypotheses autem viam ad veritatem sternentes facile discernuntur ab opinionum commentis, quæ, cum dies eadem deleat, refutatione non indigent, consequenter nec examine digna sunt, modo animum advertas ad ea, quæ sumuntur, & probabilitatis intrinsecæ notione non destituaris.

§. 909.

Libertas philosophandi eruditis natura competit. Etenim sine libertate philosophandi nullus est scientiæ progressus (§. 169. *Disc. prælim.*). Quamobrem cum eruditi conjunctis viribus rerum cognitionem ac scientiam promovere debeant (§. 863.), lex autem naturæ tribuat jus ad satisfaciendum obligationi naturali necessarium (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); libertatem quoque philosophandi eruditis largitur, adeoque ea iisdem natura competit. *De libertate philosophandi, unde nam sit.*

Libertas adeo philosophandi jus est, quod natura eruditis competit, atque propterea ipsis adimi non potest (§. 64. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam philosophiæ objectum est omne cognoscibile, quatenus cognoscibile, in statu ideali spectatum (§. 29. *Disc. præl.*); libertas philosophandi hic sumitur in significatu latissimo, ut ad omnem rerum cognitionem, qualescunque tandem eædem fuerint, extendatur. Quodsi vero in significatu hoc generali *Libertatem sentiendi* dicere malis, per nos hoc licet: nullus enim inde nascetur in re dissensus.

§. 910.

Quoniam libertas philosophandi, aut si mavis, sentiendi eruditis natura competit (§. 909.), libertas vero philosophandi consistit in permissione publice proponendi de rebus philosophicis, seu iis, quæ possibilia sunt, qua talibus (§. 29. *Disc. præl.*), sententiam suam (§. 151. *Disc. præl.*); *naturaliter unicuique permittendum, ut de rebus philosophicis, seu, de iis, quæ cognoscibilia sunt, sententiam suam proponat, nec minus permittendum est aliis, ut, quid sibi de ea videatur, publice dicant.* *Quid inde sequatur.*

Qua tu uteris libertate, ea etiam competit ceteris eruditis, adeoque ut ea utantur ipsis quoque permittere teneris, quatenus tibi cum re, non cum persona, negotium est. Quemadmodum enim tibi permittendum, ut dicas, te hoc pro vero habere, seu tibi hoc probabile videri; ita quoque permittere debes alteri, ut dicat, se hoc pro falso habere, seu sibi hoc probabile non videri. Cumque nihil asserendum sit sine ratione, quemadmodum tibi licet recensere rationes, cur hoc statuas, ita quoque alteri rationes asserere licet, cur idem statuere non possit. Et qui hoc faciunt, utuntur jure natura eruditis tributo (§. 908.), ac uterque vestrum satisfacere conatur officio de rerum cognitione ac scientia conjunctis viribus promovenda (§. 863.). Quoniam vero jus hoc natura tribuit in rem, non in personam, quam potius tuetur (§. 888. 893.); lingua quoque temperanda est, ne verbis utaris, vel quando de re sermo est, quæ respectum quendam ad personam habet. Ita non ferendum, ut dicas, errorem esse puerilem, dignum, qui rideatur, non qui refutetur, neminem sanum sententiæ huic subscribere posse & ita porro. Aliud est judicare de veritate, vel probabilitate ejus, quod dicitur; aliud vero de persona, quæ hoc verum, vel probabile esse pronunciat. Jus in rem tributum non intelligitur etiam tributum in personam. Non est quod excipias, refutantem directe posse quoque offendere modum, quo quis in errorem incidit (§. 903.): hoc quoque fieri potest ac debet ea linguæ moderatione, quæ a vituperio, multoque magis a conviciis atque contumelia prorsus immunis est. Quodsi linguam ita moderari nondum didiceris, tuum de sententia alterius judicium suspendere debes, donec linguæ impotentiam correxeris, neque enim natura, quæ prohibet vituperium (§. 848. *part.* 1. *Jur. nat.*), contumelias (§. 832. *part.* 1. *Jur. nat.*) & convicia (§. 833. *part.* 1. *Jur. nat.*), usum juris, quod eruditis tribuit, concedere alicui potest cum vituperio contumeliis ac convitiis conjunctum. Quando jus tribuit, nos quoque obligat ad idem recte exercendum (§. 189. *part.* 1. *Philos. pract. univ.*). Non quod una manu dat, altera aufert, quippe sibi nunquam contraria.

§. 911.

BIU Cujas

§. 911.

Libertas philosophandi num sit a natura restricta.

Libertas philosophandi, seu sentiendi non tollit obligationem naturalem eruditorum ac hominum promiscue omnium. Etenim obligatio naturalis quæcunque, adeoque tam ea, qua eruditi tenentur, quam illa, quæ homines omnes in universum tangit, necessaria & immutabilis est (§. 141. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem lege naturæ nobis tribui nequit jus, cujus exercitium eidem contrariatur. Quamvis adeo ea tribuat eruditis libertatem philosophandi, seu sentiendi (§. 909.); non tamen ideo eosdem liberat ab ulla obligatione, qua vel ut eruditi, vel ut homines tenentur. Libertas itaque philosophandi, seu sentiendi non tollit obligationem naturalem eruditorum ac hominum promiscue omnium.

Videmus adeo, quod naturaliter restringatur libertas philosophandi, seu sentiendi per officia tam eruditis in specie, quam hominibus omnibus in universum præscripta. Quomodo vero restringi debeat in civitate, suo ostendetur loco. Ast quoniam videmus, libertatem philosophandi, seu sentiendi per officia restringi naturaliter; ex his usus & abusus dijudicandus, &, ne eadem abutaris, probe perpendendum est, an officio cuidam erga te ipsum, vel erga alios, vel etiam erga Deum repugnet, sententiam tuam publice proponere.

§. 912.

An servitus philosophandi juri naturæ adversetur.

Servitus philosophandi, aut, si mavis, sentiendi juri naturæ adversa. Etenim eruditis philosophandi, seu sentiendi libertas natura competit (§. 909.). Quamobrem cum ex collatione definitionum libertatis ac servitutis philosophandi pateat (§. 151. 152. *Disc. præl.*), illam cum hac consistere non posse; servitus quoque philosophandi juri naturæ repugnat.

Si natura tibi concedit libertatem philosophandi, alteri conferre nequit jus servitutem philosophandi tibi imponendi; quod utique absurdum, cum, quod una manu daretur, altera rursus auferretur. Ceterum philosophandi servitus non confundenda est cum restrictione juris docendi in civitate, quod legibus civilibus subest, & de quo suo loco dicemus. Neque etiam confundenda est cum restrictione libertatis philosophandi in civitate, in qua superiori suum quoque jus est suo loco ac tempore enucleandum. Hic enim saltem docemus, quid naturaliter obtineat, citra respectum ad Rempublicam.

§. 913.

Quod inde æquatur.

Quoniam servitus philosophandi, seu sentiendi juri naturæ adversa (§. 912.), ea autem consistit in coactione defendendi aliorum de rebus philosophicis, seu cognoscibilibus quibuscunque sententiam tanquam veram, utut nobis contrarium videatur (§. 152. *Disc. prælim.*); *nemo* quoque *cogi potest ut aliorum de rebus cognoscibilibus sententiam defendat tanquam veram, utut ipsi contrarium videatur.*

Non datur dictator in Rep. literaria, cujus judicio ceteris sit standum. Eruditis competit jus verum a falso discernendi (§. 899.) & errores refutandi ac corrigendi (§. 901.); ast nemo prætendere potest, ut non habeatur pro vero, nisi quod ipse verum esse profitetur, ac ut ceteri suæ subscribant sententiæ. Si istiusmodi jugum eruditis imponatur, progressus scientiarum nullus datur (§. 169. *Disc. prælim.*). Repugnat igitur servitus sentiendi officio de rerum cognitione ac scientia conjunctis viribus promovenda (§. 863.). Multo magis autem juri naturæ adversatur, si servitus sentiendi in tyrannidem degeneret, ut ob diversa tuend studium aliqui vexetur ac misere affligatur, quasi hostis sit, qui aliter sentit, atque adeo in eum licita sint, quæ in hostem licere putantur. Sicuti absurdum est dictatorem agere velle; ita prorsus improbum est, esse persecutorem. Veritas defenditur rationibus, non vi.

§. 914.

BIU Cujas

§. 914.

Eruditis competit jus veritatem defendendi adversus impugnatores. Etenim eruditi rerum cognitionem ac scientiam promovere debent (§. 863.), consequenter nec pati, ut pro falso venditetur, quod verum est (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum is, qui veritatem impugnat, contendat, falsum esse, quod verum est, atque insufficienter probet (§. 1018. *Log.*); eruditorum est demonstrare, quod propositio, quam veram esse constat, ab altero nec fuerit refutata, nec refutari potuerit. Quoniam itaque veritatem defendit, qui demonstrat, eam ab altero non fuisse refutatam (§. 1058. *Log.*); eruditis utique competit jus veritatem defendendi adversus impugnatores. *De jure veritatem defendendi.*

Quomodo defendatur veritas, docuimus in Logica (§. 1059. *& seqq. Log.*). Hic saltem ostendendum erat, nos ad veritatem defendendum obligari. Quoniam vero obligamur ad recte defendendum (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ideo defensio fieri debet juxta regulas in Logica demonstratas, ubi ex ipsa notione defensionis deduximus, quomodo ea fieri debeat. Ibidem adeo demonstrata hic tota non repetimus. Ceterum non confundenda est defensio veritatis cum refutatione erroris; etsi adeo sibi invicem cognatæ sint, ut sæpissime invicem non distinguantur, ita ut prætextu veritatis sese tueri soleant qui eandem impugnant. Etenim si quis contendit verum esse aut probabile, quod non est, eum refutamus vel impugnamus (§. 1017. 1018.): si quis vero veritatem impugnat, aut negat simpliciter, verum esse, quod pro vero venditatur, vel quod errorem suum veritati opponat, vel quod refutationem non mereri existimet, quod verum dicitur, nos vero demonstramus, eam ab altero in casu priori non esse refutatam, in posteriori non posse refutari; veritatem defendimus (§. 1058. *Log.*). Perperam igitur rixatores, qui tempus omne in controversiis agitandis consumunt, veritatis defensores videri volunt. Quemadmodum in bello defensoris partes non agit, nisi qui ab altero vi impetitur; ita quoque defensor veritatis non intelligitur nisi is, qui impugnatori ejusdem sese opponit.

§. 915.

Veritatis defensor non est, nisi qui demonstrare valet, eam ab altero non esse refutatam, aut refutari non posse. Etenim veritas defenditur, ubi demonstratur propositionem, quæ ab altero impugnatur, non esse refutatam (§. 1058. *Log.*), consequenter si simpliciter negatur, veram esse, ostenditur, eam refutari non posse. Quamobrem veritatis defensor non est, nisi qui hoc demonstrare valet. *Quinam si defensor veritatis.*

Distinguendum nimirum est, utrum quis habeat animum veritatem defendendi, an vero defendat. Qui habet animum defendendi, veritatis defensor esse vult, sed quia plus sperat de facultatibus suis, quam in iis est, defensor non est. Esse autem & velle esse utique differunt. Neque etiam propterea defensor veritatis es, quod tibi vel aliis imperitis esse videaris: nulli sibi enim facilius, quam in moralibus, contingere solet, ut sibi ac aliis esse videantur, qui non sunt. Quodsi vero genuinæ demonstrationis notionem habueris, quam integro capite sufficienter explicavimus (§. 549. *& seqq. Log.*), & eam ad defensionem veritatis applicaveris; defensorem veritatis facile agnosces. Disputari potest de veritate alicujus propositionis, ubi unus defendentis aut respondentis partes agit: sed defendens in disputatione, seu bello literario non statim est defensor veritatis. Utinam hæc probe perpenderent illi, modo ea trutinari decenter valerent, qui hoc sibi datum esse existimant, ut veritatem defendant, quasi publici defensores veritatis constituti, cum tamen ad nihil magis sint inepti, quam ad veritatem defendendum, judicium sibi sumentes de rebus, quas non intelligunt, nec intelligere possunt.

BIU Cujas

§. 916.

Cuinam competat jus ad veritatem defendendam.

Quoniam veritatis defensor non est, nisi qui demonstrare valet eam ab altero non esse refutatam, aut refutari non potuisse (§. 915.), lex vero naturæ nos obliget ad recte agendum (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) & dat jus ad ea, quæ ad recte agendum requiruntur (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *eruditus* quoque *jus ad defendendam veritatem habere nequit, nisi demonstrare valeat, eam ab impugnatore non esse refutatam, aut refutari non posse.*

Rixatores itaque ac persecutores prætextu veritatis defendendæ non excusantur. Superior in civitate nemini hoc jus dare potest, quod lege naturæ tributum ipsi non est; sed tantummodo impunitatem litigandi inter homines. Nec ubi hoc facit, recte facit. Neque enim imperia civilia tam accurate exercentur, ut a rectitudine nunquam deflectatur. Sed de his expressius dicendum in sequentibus, quando de imperio civili acturi sumus.

§. 917.

An veritas vi defendi possit.

Veritas vi externa defendi nequit, nec defendenda est. Qui enim veritatem defendere vult, is demonstrare tenetur, eandem ab impugnatore non fuisse refutatam, quemadmodum sibi persuadet, aut aliis persuadere vult (§. 1058. 1018. *Log.*), consequenter cum certum sit, quod demonstratur (§. 568. *Log.*), tam impugnatorem, quam alios convincere vult, quod adversus veritatem nil valeant, quæ impugnator in medium protulit (§. 982. *Log.*), seu quod is non ostenderit falsum esse, quod pro vero recte habetur. Quamobrem cum in demonstrando nulli usui sit vis externa, ut alter convincatur (§. 991. *Log.*); veritas quoque vi externa defendi nequit.

Quoniam vi externa defendi nequit veritas, *per demonstrata*, lex autem naturæ obligat ad recte agendum (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nec dat jus nisi ad ea, sine quibus obligationi naturali satisfacere non possumus (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); nobis quoque eadem jus dare nequit ad veritatem vi defendendam, consequenter nec vi eandem defendere licet (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Quod erat alterum.*

Absurdum omnino est, veritatem vi externa defendere velle. Qui enim veritatem defendit, non aliud intendere potest ac debet, quam ut alter assensum præbeat veritati. Assensus actus intellectus est, quo judicamus propositionem esse veram, falsam vel probabilem (*not.* §. 1003. *Log.*). Ecquis vero sibi persuaserit, judicium intellectus vi externa extorqueri posse? Vi externa equidem extorquere potes actum externum a libertate voluntatis pendentem, at nullum actum internum. Quamobrem id quidem vi efficies, ut quis dicat, verum esse, quod falsum esse putat, consequenter ut moraliter falsum loquatur (§. 152. *part.* 3. *Jur. nat.*), nunquam vero efficies, ut veritatem agnoscat eidemque victas det manus. Alia vero quæstio est, an in civitate tolerandum sit, ut errores præsertim nocui disseminentur, & num vis externa licita sit in eos, qui disseminant. Sed de hac agendum erit suo loco.

§. 918.

Bellum literarium quid sit.

Bellum literarium dicitur, quando duo eruditi vel plures de veritate, vel falsitate alicujus propositionis inter se disceptant. Quoniam eruditi conjunctis viribus rerum cognitionem ac scientiam promovere debent (§. 863.); *si disceptetur eo fine, ut veritas in apricum producatur, ac ita disceptetur, ut veritas tandem pateat, aut ad eam propior fiat aditus, bellum literarium illicitum non est.*

Quomodo gerendum sit bellum literarium, ut finis iste obtineri possit, per antecedentia ac ea, quæ in Logica demonstrata ibidem supponuntur, facile patet, ut adeo de jure in bello lite-

BIU Cujas

literario plura demonſtrari non ſit opus. Quemadmodum vero miles, qui in bello munere ſuo rite fungi debet, non deſtitui debet armis ac habitu ea tractandi; ita quoque qui in bello literario militat, & ſufficiente rerum cognitione inſtructus eſſe debet, ac Logicæ non modo apprime peritus, verum etiam pollere habitu regulis ejuſdem rite ac dextre utendi. Sunt enim regulæ iſtæ arma eruditi & rerum cognitio tenet vicem rerum ad uſum armorum neceſſariarum, habitus vero regulas logicas rite ac dextre in tractandis controverſiis applicandi reſpondet habitui arma recte tractandi. Quemadmodum vero in bello plurimum peccatur, nec id ea religione geritur, qua geri debebat; ita quoque bellum literarium non una labe inficitur, ut omnia permiſſa putentur. quæ unicuique placuerint. Nullus tamen dubito fore, ut, qui bellum literarium gerere voluerint, agnoſcant, quid veritati ac ſibi invicem debeant, ſi ea didicerint, quæ de officiis ac jure eruditorum demonſtravimus, ac diligentiam ſuam in officiis iſtis exequendis ac jure ſuo rite exercendo deſiderari non patiantur.

Finis Partis Sextæ Juris Naturæ.

BIU Cujas

CONSPECTUS
PARTIS SEXTÆ
JURIS NATURÆ

CAPUT PRIMUM.

De Dominio utili & ejus ſpeciebus quibuſdam. pag. 1

CAPUT II.

De Feudo. 50

CAPUT III.

De Interpretatione. 154

CAPUT IV.

De Jure ex communione primæva reſiduo, & jure neceſſitatis in genere. 194

CAPUT V.

De Officiis erga mortuos & Jure ſepulturæ. 259

CAPUT VI.

De nondum natis & Officiis erga poſteros. 305

CAPUT VII.

De officiis & Jure Eruditorum. 317

FINIS CONSPECTUS.

INDEX

BIU Cujas

INDEX

VERBORUM ET RERUM PRÆCIPUARUM,

In quo Numeri Paragraphos denotant.

A

Absurdum num in interpretando vitandum. 483. 484
Accidentalia contractus quænam dicantur. n. 163
Accidentalia feudi quænam dicantur. 163
Actus irritos quæ faciunt num sint odiosa. 498
Advocati. 872
Ædes superficiariæ. Definitio. 131. an novas extruere liceat, veteribus collapsis, vel conflagratis. 132. qua lege alienentur. 138. an locari possint. 141. an alienari. 143. num in alienatione laudemium præstandum. 144
Ædes superficiariæ, in quibus dominium utile conceditur, quando fiant pleno jure domini soli. 139
Ædes vicinas num sæviente incendio destruere liceat. 677
Ædes vicinæ, una domo incendii causa diruta, quando a contributione liberentur. 681
Æstimatio rerum in contributione ob jactum. 628. 634
Aggressoris res num perdere liceat. 620
Alienatio feudi quomodo licite fiat. 169. & seqq.
Allodium. Definitio. 192
Amor alterius num morte ejus extinguatur. 736
Amor universalis hominum quamdiu duret. 737. ad posteros extensus. 851
Amoris signa num erga mortuos edenda. 738. num in removendo corpore mortui e conspectu nostro edenda. 739
Amphibolia. Definitio. 480. quænam in interpretatione de ea notanda. 480. si aliquoties in pacto occurrant. 481. si obscuritatem parit, quinam significatus præferendus. 482
Anatomia. Definitio. 819. usus. 820
Anatomia cadaverum humanorum num licita. 823
Animus bonum bono referendi qualis sit. 720
Apprehensio rei feudalis. 216. quando ipsi contractui insit. 217
Arbores in gratiam posterorum plantandæ. 857
Armorum alienorum usus. 615
Armamenta navis periculi communis vitandi causa dejecta, vel cæsa num requirant contributionem. 665
Artes ad posteros num propagandæ. 852. num generi humano utiles reticere liceat. 852
Artes liberales. Definitio. 871
manuariæ. Definitio. *ibid.*
mixtæ. Definitio. *ibid.*
Artium divisio. *ibid.*
Avaria. Definitio. 671
Avaria communis. Definitio. *ibid.*
Avaria magna, sive *grossa*. Definitio. *ib.*
Auxilium quando uni ferre liceat cum discrimine alterius. 594

Bel-

BIU Cujas

B

BEllum literarium quid sit. 918. quænam ejus justa causa. *ibid.*
Benefactoribus mortuis num gratias agere debeamus. 723
Bonum bono referri num in aliis alicui possit. 716. 717. num ad hoc faciendum obligemur. 718. 719
Bonum censiticum. Definitio. 110. quomodo liberum evadat. 116
Bonum emphyteuticum. Definitio. 13. num infeudari possit. 299
Breve testatum. Definitio. 226

C

CAdavera humana num cremare liceat. 764. num cremare & sepelire perinde sit. 762. num absque omni solennitate ad sepulchrum deferenda. 757. num sepelienda, anatomia absoluta. 829. num eorundem anatomia honori humanitatis repugnet. 828
Canon. Definitio. 14. num præteritus a novo superficiario sit solvendus. 145. de superficie non soluti pœna. 152. num subemphyteuticatione facta solvendus. 93
Canon emphyteuticus. Definitio. 14. quomodo determinetur. 16. quatenus solvi possit. 17. num fructibus respondere possit. 21. si respondeat, quid tum præsumendum. *ib.* in quo consistat. 19. an augeri possit ob meliorationem. 18. num diminuendus ob partialem interitum. 77. an remittendus ob utilitatem cessantem. 22. quando remittendus & non remittendus. 23. quando solvendus. 20. quali jure exigatur. 24. an non solutus ab alio possessore exigi possit. 25. an ob solutionem neglectam, vel detrectatam emphyteusis amittatur. 20
Canon in feudo censuali non solutus num sit felonia. 440
Casus a lege prohibitiva quinam excepti. 572
Casus emergens, qui non satis convenit cum officiis humanitatis, vel erga seipsum, num excipiendus in pactis. 538. qui pugnat cum voluntate ob rationem naturalem, num in pactis & promissis excipiendus. 536
Casus necessitatis quando lege exceptus, 570.
Cavillationibus num sit locus in pactis & promissis interpretandis. 477
Cenotaphium. Definitio. 791. 749. ubi & quando extrui possit. 792. 793. cuinam extruendum. 795
Censualis. Definitio. 110. quale habeat dominium. 111
Census. Definitio. 108. in quonam consistat. 113. quomodo determinandus. 114.
Census constitutus. Definitio. 108
reservativus. Definitio. *ib.*
Ceremoniæ funebres. Definitio. 794. earum usus. *ibid.* quotuplices esse possint. 801. quales esse debeant. 802. num naturaliter licitæ. 804
Ceremoniæ funebres universales. Definitio 803.
Ceremoniæ funebres singulares. Definitio. *ibid.* ubi nam habeant locum. 806
Cibaria consumendi causa navi imposita num propter jactum in contributionem veniant. 645
Clausulæ pactis quoad interpretationem adjicienda. 475
Cœmeterium. Definitio. 773. num detur in statu naturali. 775
Cognitio rerum conjunctis viribus promovenda. 863
Cognitionis rerum utilitas quotuplex. 869
Collisio eorum, ad quæ quis æqualiter obligatur. 547
Commendare num liceat eum, de cujus aptitudine nobis non constat. 886. 887.
Communio primæva num locum faciat juri necessitatis. 602
Computatio ejus, quod contribuendum propter jactum, quid supponat. 648
Concionatores. 872
Concordia inferiorum & superiorum textus quamdiu observanda in interpretatione. 488.
Conditionem accipere quinam dicatur. 559
Conditionem offerre quinam dicatur. *ib.*
Conditionem offerentis, an accipientis verba num in interpretatione magis attendenda. 560
Consiliarii. 872

BIU Cujas

Contractus ſubſtantialia, naturalia & accidentalia quomodo differant. n. 163
Contractus cenſualis. Definitio. 112
Contractus emphyteuticus. Definitio. 16. an cum novo emphyteuta renovandus. 33. num renovandus mutato domino emphyteuſeos. 41
Contractus feudalis. Definitio. 171. objectum. 173. quando contineat traditionem & apprehenſionem rei feudalis. 217. cur renovandus. 222. num cum vaſallo novo renovandus. 209. num renovandus mutato domino. 240. 243. num immutari poſſit in renovatione. 242. quando mutato domino renovatione non ſit opus. 243
Contractus libellarius. Definſtio. 98
Contractus ſubemphyteuticus qualis eſſe debeat. 90. quatenus ſubſiſtat. 91. quando totus nullus. 92
Contractus ſubfeudalis, ſeu *ſubinfeudationis*. Definitio. 305. quænam in eo ſubſtantialibus ſuperaddi poſſint. 308
Contractus ſuperficiarius. Definitio. 128
Contributio ob ædes incendio ſæviente deſtructas. 677. & ſeqq.
Contributio ob jactum naufragii evitandi cauſa factum a quibuſnam & quomodo fieri debeat. 627. & ſeqq. quomodo dividatur inter eos, quorum res e navi ejectæ. 650. quomodo computanda, ſi res quædam per jactum deterioratæ. 652. 653. num facienda ob armamenta navis dejecta, vel cæſa 665. an ſi navis a piratis redemta. 667. 668. & ſi quis ſuas ſaltem res redemit, aut piratæ unius, vel alterius res abſtulerint, 667. quando ceſſet. 663. & ſeqq.
Contributio ob tranſitum mercibus conceſſum. 691
Conventio num intelligatur rebus ſic ſtantibus. 535
Cultus divini interni obligatio in furioſo & mente capto ſuſpenſa. 580

D

Damnum communis periculi depellendi cauſa datum, re aliena perdita, quomodo dividendum. 622
Damnum caſu in navi datum ad quem pertineat. 666
Damnum culpa nautæ datum ad quem pertineat. 669. 670
Damnum deſtructione ædium vicinarum datum, incendio ſæviente, a quonam reſarciendum. 677. 678. quando non reſarciendum. 679
Damnum jactu datum quando ad magiſtrum navis pertineat. 664. cujuſnam ſit, ſi res quædam deteriorentur. 651
Debitor defuncti cujuſnam fiat debitor a morte ipſius. 714
Debitum quando morte debitoris tollatur, 713.
Defenſor veritatis quinam ſit. 915
Defuncti memoria quando conſervanda. 781
Denunciatio quando in alienatione emphyteuſeos neceſſaria. 64. quando ſit fraudulenta. 65. an ob eam emphyteuſis amittatur. 66. quid juris domino tum competat. 66
Deus ex ſtructura corporis humani cognoſcendus. 822
Didaſcali. 872
Dominii translatio in eventum mortis. 705
Dominiorum reſtrictio, quæ ineſt introductioni eorundem. 562
Dominium num amittatur a moriente 701.
Dominium directum. Definitio. 3. quomodo conſtituatur. 10. quomodo acquiratur. 11. quando ab utili ſeparabile, quando non. 257. quo effectu ad utile accedat in emphyteuſi. 61. quomodo differat a dominio emphyteuſeos, n. 61. num ſine conſenſu emphyteutæ transferri poſſit. 42. quomodo in feudo oblato reſtringi poſſit. 236. quomodo actu reſtringatur. 237. num in feudo alienari poſſit ſine conſenſu vaſalli. 258. quando alienatio invalida. 239. num uſucapi & præſcribi poſſit. 425. num amittatur per feloniam. 452. quomodo fiat commune in feudo. 293
Dominium utile. Definitio. 1. quomodo conſtituatur. 10. quomodo acquiratur. 11. num in feudo præſcribi & uſucapi poſſit. 425. num ſit cum jure poſſidendi conjunctum. 214. num in ſubinfeudatione totum transferatur. 314
Dominium utile in ædibus ſuperficiariis conceſſum. 139
Dominus cenſus. Definitio. 110
Dominus directus. Definitio. 4. jus. *ib.* num ſine conſenſu vaſalli jus ſuum alienare poſſit. 238

BIU Cujas

Dominus emphyteuseos. Definitio. 13. jus ejus quoad proprietatem unde metiendum. 27. quale jus ad rem emphyteuticam habeat. 56. quando fiat pleno jure dominus. 55. quando jus emphyteutæ auferre possit. 72. quodnam habeat jus, si res deterioretur. 71. num habeat jus protimiseos, si emphyteusis alienetur. 58. num si habet, idem alii cedere possit. 67. num ad oppignorationem requiratur ejus consensus. 84. quo effectu consentiat in oppignorationem juris, quonam in oppignorationem rei emphyteuticæ. 83. an consensus in oppignorationem officiat juri protimiseos. 79. cujusnam sit ejus jus, si sine successore moriatur. 62. & quomodo tum hoc acquiratur. 63. quod ab emphyteuta pro domino superiori recognoscendus. 32

Dominus feudi. Definitio. 158. quale jus habeat in re feudali. 160. ad quænam vasallo præstanda obligetur. 179. unde ejus jus & obligatio metienda. 172. an vasallo ad fidelitatem præstandam obligetur. 247. quomodo de rei feudalis substantia disponere possit. 343. quodnam sit ejus jus, si res feudalis deterioretur. 339. an feudo alienato jus protimiseos habeat. 396. an rei feudali servitutem imponere possit. 344. an consensus ejus requiratur ad subinfeudationem. 309. 318. num adversus vasallum præscribere possit. 428. quænam sit ejus obligatio in feudo de cavena. 265. item in feudo soldatæ. 269. & quamdiu hæc duret. 271

Dominus feudi novus an vasallum compellere possit ad contractum feudalem renovandum. 241

Dominus feudi pignoratitii si non solvat, quomodo satisfaciendum vasallo. 367

Dominus fundi, sive soli. Definitio, 120. unde jus ejus metiendum. 129

Dominus juris libellarii. Definitio. 110 quale jus habeat. 182

Dominus subfeudi. Definitio. 300. unde jus & obligatio ejus metienda. 306

Dominus utilis. Definitio. 2. jus ejus. *ib.*

Domus incendii causa diruta, quæ jam ardet. 680

Dubia quando proponere licitum eruditio. 709

E

Emphyteusis. Definitio. 12. quot modis concedi possit. 29. quale sit jus, 43. qua lege alienetur, vel transmittatur. 50. num alienari possit sine consensu personarum, pro quibus constituta. 47, 48. num amittatur, si sine consensu domini alienetur. 31. num amittatur ob canonem non solutum. 20. an ob rei emphyteuticæ deteriorationem. 71. 72. quando extinguatur. 60. 61. 46. an interitu rei extinguatur. 76. num domino remitti possit invito. 59. ea finita quid fiat. 55. an consolidatio fiat. 57

Emphyteuseos alienatio quando nulla, 30. 31. quando valida. *ibid.* quando domino denuncianda. 64. quando facta sub clausula, *salvo consensu domini*. 68. an hæc clausula a pœna commissi liberet. 69. quando denunciatio sit fraudulenta. 65. quinam hujus effectus. 66

Emphyteuseos remissio quomodo fiat. 59. quid operetur. 60. num ea facta consolidatio fiat. *ib.*

Emphyteusis ad certas personas restricta quando extinguatur. 45

Emphyteusis perpetua si alienetur. 52

Emphyteusis temporaria ad quod tempus alienari possit. 51. quando extinguatur. 44

Emphyteuta. Definitio. 13. quale jus habeat quoad proprietatem rei emphyteuticæ. 27. quale in ea alienanda. 28. 30. 31. quale in re immutanda. *ibid.* num rei emphyteuticæ servitutem imponere possit. 59. an sine consensu domini eandem oppignorare. 78. an in gratiam domini remittere. 59. an canonem solvere teneatur subemphyteuticatione facta. 93. an rem deteriorare ipsi sit permissum. 70. quod dominium superius recognoscere teneatur. 32

Emphyteuta novus an laudemium solvere obligetur. 37

Emphyteuta mortuo ante tempus, ad quod emphyteusis concessa, quid sit juris. 49

Emphyteuticatio. Definitio. 87

Epitaphium. Definitio. 747. 796. cur monumentis sepulchralibus & cenotaphiis addenda. 796

BIU Cujas

Eruditi. Definitio. 858. eorum ordines. 859. vitæ genera 873. quales fines intendere debeant. 870. quorumnam sit verum a falso separare. 899. quinam disciplinas ad certitudinem evehere debeant. 899. num cogi possint ad aliorum sententiam amplectendam, si contrarium ipsi videatur. 913. num virtutem colere debeant. 878. an gravius peccent, si desint officiis naturalibus. 883. num ipsis liceat per contemtum aliorum ad famam contendere. 895. num famæ ac laudi aliorum eruditorum detrahere. 893. de quibusnam rebus judicium sibi sumere debeant. 900. num liceat iisdem dubia sua adversus sententiam aliorum proponere. 907
Eruditorum jus circa hypotheses. 908. ad laudem. 889. ad famam defendendam. 894. ad veritatem defendendam. 914. quibusnam competat. 916. ad refutandum errores. 901. quibus competat. 902. ad ambiendum munus. 884. ad petendum commendationem ab alio. 885.
Eruditi obligatio quanta sit. 878. ad perficiendam voluntatem. 879. ad bonum exemplum præbendum. 882. ad juvandum alios in veritate cognoscenda, vel detegenda. 864. ad locum aliquem in aliquo ordine obtinendum. 860. ad non subsistendum in eodem gradu. 261. 862
Eruditi officium quoad usum facultatum cognoscendi. 875. quoad intellectum in specie. 876. quoad appetitum. 877. quoad voluntatem in specie. 879. in rerum cognitione & scientia promovenda. 863. 864. si ignoret, quid ad scientias amplificandas, vel propagandas, conferre debeat. 867. in refutando. 903. *& seqq.*
Eruditorum officium, qui certum vitæ genus sequuntur. 873
Eruditi infimi ordinis, vulgares, triviales quinam sint. 859
Eruditi medii sive *secundi ordinis* quinam sint. 859
Eruditi primi ordinis quinam sint. *ibid.*
Eruditorum superioris ordinis officium in consilio dando iis, qui sunt inferioris. 865.
Etymologia. Definitio. 472
Etymologi officium. *ib.*
Exceptio quænam insit omni officio erga alios. 575. quando in pactis & legibus facienda. 539. ob necessitatem inevitabilem ac irresistibilem a lege facienda. 566. ob impedimentum inevitabile, sed resistibile non facienda. 569. quando fieri possit per conventionem. 553. 554. num pactis adjici possit. 555. num forti committi. 556
Exceptiones in legum collisionem faciendæ quale sint jus. 565
Exceptionum in collisione pactorum faciendarum regula generalis. 557. an speciales præferendæ. 558
Exceptio tacita legum præceptivarum. 567
Exequiæ. Definitio. 748. num mortuis debeantur. 756. num invitati eas comitari debeant. 755. an hic comitatus ad funus pertineat. 758
Exteromania quale vitium. n. 897
Exterorum eruditorum laudes extollere num liceat cum contemtu conterraneorum. *ibid*

F

Factorum differentia respectu aliorum. 789
Factorum defuncti memoria quænam conservanda. 780
Facta mortuorum famæ ipsorum adversa num propalare liceat. 726
Factum illustre. Definitio. 702. quamnam laudem pariat. *ibid.* cujusnam sit usus. 783. num unum altero præstet. 787. quod post obitum commemorandum. 784. ejus etiam memoria conservanda. 785. 788
Famæ eruditi num detrahere liceat alteri. 893
Famam per contemtum aliorum num acquirere licitum erudito. 895
Famis atrocitas num det jus alterum occidendi in summa cibi penuria. 587
Favorabile quid dicatur. 494. quid sit in pactis. 495
Felicitatis posterorum cura præcepta. 856
Felonia. Definitio. 434. quot modis committatur. 435. 436. a quonam committi possit. 437. in quo consistat. 438. 439. & seqq. quomodo contra fidelitatem committatur. 443. & seqq. 448. & seqq. quomodo in non recognoscendo dominio directo. 451. in eodem alienando.

BIU Cujas

do. 450. in subinfeudando. 449. num remitti possit. 453. num a patre commissa noceat filio. 456. num a vasallo commissa imputari possit ceteris, ad quos feudum certo ordine devolvi potest. 454. an noceat successori, si propter eam feudum amittatur. 455
Feudum. Definitio. 155. ejus substantialia. 161. naturalia. 162. accidentalia. 163. quinam constituere possit. 165. an a non domino facta constitutio sit valida. 252. quomodo constituatur. 170. quot modis constituatur. 175. pro quibus personis constitui possit. 176. ad quodnam tempus. 177. num cum onere in gratiam tertii adjecto. 183. in quibusnam rebus constitui possit. 259. & seqq. num in re aliena. 251. an in re communi. 255. an in rei communis parte indivisa. 256. an in jure, quod quis habet in re communi. 261. & quo effectu hoc fiat, si res communis postea dividatur. 262. num ignoranti in re propria. 253. an & scienti. 254. an in jure percipiendi proventus metallicos. 260. num revocabiliter constitui possit, 180. num pure vel sub certa conditione revocabile. 181. num ejus qualitas ante constitutionem definiri possit. 225. quamprimum id acquiratur. 212. 213. num committatur, contractu feudali non renovato. 211. num alienando species mutari possit. 206. num amittatur per feloniam. 452. num per eam finiri possit. 457. num extinguatur cessante præstatione conventa. 248. quando præscriptione extinguatur. 429. num finiatur rei feudalis interitu. 422. 423. quando morte vasalli finiatur. 419. num amittat qualitatem feudalem, domino directo sine hærede mortuo. 334. 335. eo finito quale jus competat domino. 326. num morte vasalli finitum revertatur ad dominum. 420
Feudi alienatio num sine consensu domini fieri possit. 197. an sine consensu eorum, qui succedendi aliquam spem habent. 394. qua lege fiat. 202
Feudi constitutio lucrativa, vel onerosa. 174
Feudi promissio quo effectu fiat. 223. quale sit constituendum, acceptata ejus promissione. 224
Feudi restitutio. Definitio. 407. quando refutetur domino, quando tertio. *ibid.* si refutetur successori. 413. si remotiori. 412. si successor, cui refutatum, ante refutantem vasallum moriatur. 416. in gratiam extranei facta quid sit. 414. 415. quando domino fieri possit. 408. quando non. 409. 410
Feudi revocatio ab eo facta, qui jus protimiseos habet. 400. an fieri possit, vivo alienatore. 401. num ab eo, qui in alienationem consentit. 392. num a filio, si pater in alienationem consentit. 393. an ab eodem, si feudum a patre alienatum. 380. an si feudum sine ullius consensu alienabile. 375. an a remotiori, si proximior non revocet. 380. 389. an si domino refutetur. 411. remotiori refutatum quando revocari possit. 412. an possit revocari, si sine consensu successorum alienatum. 377. an si per feloniam amissum. 458. an si sine consensu eorum alienatum, ad quos devolvi poterat. 378. an si alienatum in remotiorem. 379
Feudum revocans quid probare debeat. 385. num pretium restituere debeat emtori. 381. 382. an qui non revocat, quia possessori id relictum vult, potestatem revocandi sibi adimat. 390
Feudum ab alio recognoscendum, quam a constituente. 249
Feudi apertura. Definitio. 329. quale per eam jus acquiratur dominus. 330
Feudum aperturæ proximum. Definitio. 331. quando fiat. *ib.* an alienari possit. 332. 376. an alienatum revocari. 376. an dominus pati teneatur, ut alienetur. 334. num oppignorari possit. 358
Feudum antiquum. Definitio. 188
Feudum de cavena. Definitio. 264. num constitui possit. *ibid.* quo fundamento nitatur constitutio. 263. quænam in eodem sit domini obligatio & jus vasalli. 265. ad quasnam res naturaliter extendi possit. 266. an subsistat, mortuo domino. 267
Feudum censuale, seu *pensionarium*. Definitio. 184
Feudum commune quomodo constituatur. 292
Feudum datum. Definitio. 166
Feudum emtum. Definitio. 189
Feudum fœmineum. Definitio. 190. alienatio ejus. 205

Feu-

BIU Cujas

Feudum francum. Definitio. 185
Feudum habitationis. Definitio. 274. num sit juris naturæ. *ibid.* quodnam ejus fundamentum. 273
Feudum ligium. Definitio. 187
Feudum non ligium. Definitio. *ibid.*
Feudum masculinum. Definitio. 190. ejus alienatio. 201
Feudum mixtum. Definitio. 190. ejus alienatio. 201
Feudum novum. Definitio. 188
Feudum oblatum. Definitio. 168. quomodo res in feudum offeratur. 167. quænam naturalia & accidentalia eidem adjicienda. 169
Feudum pecuniæ. Definitio. 281. quale sit feudum. *ibid.* an datum & oblatum esse possit. 282. quomodo constituatur. 383.
Feudum perpetuum quo effectu alienetur. 204. si simpliciter constitutum, pro quibus personis constitutum intelligatur. 208. quando extinguatur. *ibid.*
Feudum pignoratitium. Definitio. 191. ejus finis. *ibid.* an sit juris naturalis, *ibid.* quando finiatur. 365. & quonam effectu. 366. quando non alienabile. 368. 369. inalienabile quando lui possit. 368. quando idem cedi, domino non solvente. 370. an bonis ceteris vasalli accenseatur. 371. quinam in eo succedat. 372
Feudum precarium quando finiatur. 418. quando revocari possit. 374
Feudum repudiatum ad quem devolvatur. 387.
Feudi revocabilis alienatio. 207
Feudum Soldatæ. Definitio. 268. ad quasnam res extendi possit. *ibid.* quænam sit domini obligatio & quodnam jus vasalli in eodem. 269. quænam res in eo præstandæ. 270. in quo constituatur. 272.
Feudum sub conditione concessum quando finiatur. 424
Feudum temporarium quando finiatur. 421 in quem transferatur vasallo ante tempus mortuo. 201. ad quodnam tempus alienari possit. 263
Fidelis quinam dicatur in jure feudali, 154.
Fidelitas quid significet in jure feudali. 154. quomodo præstanda determinentur. 244. an jurato promitti debeat. 221. 222. quænam a domino præstanda vasallo. 246. quomodo contra eam felonia committatur. 438. 443
Finis ab eruditis intendendus. 868. qualis recte intendatur. 870
Fœtus in utero num dominium acquirere possit. 832. si ei quid detur & tibi tradatur. 839. quo effectu juris hoc fiat. 840.
in *Fraudem legis vel pacti facere* quid significet. 521. an quæ fiunt, fieri voluerit legislator. 522. an fiant contra legem, vel pactum. 523
Fraus legi vel pacto quomodo fiat. 521. an licite fiat. 524. quomodo facienda reprimatur. 525
Fructus rei feudalis num oppignorari possunt. 360. quam qualitatem habeant percepti. 320. ad quem eorum periculum pertineat. 321
Fundi immutatio quando vasallo non licita. 341
Fundi emphyteutici immutatio quando licita. 73
Fructuum periculum in emphyteusi ad quem pertineat. 73. ad quem in feudo. 321
Funus. Definitio. 748
Funus imaginarium. Definitio. 749
Funus legitimum. Definitio. *ibid.*
Furtum num committatur auferendo domino res necessarias in extrema necessitate. 596

G

Gratia quomodo mortuis agatur. 722. quomodo rependatur in aliis. 724
Gratus animus in mortuos præceptus, 721. ejus in defunctum, qui in bonis ipsius succedit. 742

H

Habitatio sede expulsis quando concedenda. 693. quale sit jus. 698
Historicus. 858
Homines num nudi sepeliendi. 810
Hominum vivorum sectio num licita. 827
Homonymia. Definitio. 480. quænam in interpretatione de eadem notanda. 480. si in textu aliquoties occurrat, 481. si obscuritatem parit, quinem significatus

BIU Cujas

præferendus. 482
Honestum magis num minori præferendum. 550
Honor quomodo mortuis deferatur. 725. quod sit deferendus. 753. quod deferatur comitatu exequiarum. 754
Honor humanitatis. Definitio. 759. in quo consistat. 759. an unicuique debeatur. 760. an mortuis deferendus in modo, quo eorum cadavera removentur. 761
Hortus in solo alieno habendus. 148
Humatio mortui. Definitio. 744. num sit juris naturæ. 765. 766. num mortuis debeatur. 767

I

Jactus rerum evitandi naufragii causa num licitus. 625. quando necessitas ejus adesse putetur. 626. si navis servari non possit, quid sit juris. 657. 658. si servata postea intereat. 659. 660
Jactus lascivus. Definitio. 662
meticulosus Definitio. *ibid.*
non pure necessarius. Definitio. *ibid.*
temerarius. Definitio. *ibid.*
Jctus. 858
Impensæ solius navis causa factæ, cujusnam sint. 673. in merces, quæ sunt in navi, factæ ad quem pertineant. 672. sin recuperationem rerum jactarum factæ num exigant contributionem. 656. in curationem vulnerati in conflictu cum piratis, aut in ministerio navis factæ. 674
Impedimentum inevitabile, sed resistibile num faciat exceptionem a lege. 569
Inæqualitas num in pactis odiosa. 496
Infeudare quinam non possit. 297
Infeudatio. Definitio. 156. quomodo fiat. *ibid.*
Inimicos mortuos num amare debeamus. 740.
Instrumentorum alienorum in restinguendo incendio usus. 616
Interpres verborum suorum num quis in pactis & promissis esse possit. 461. quando quis esse possit. 462
Interpretatio. Definitio. 459. cur ea sit opus. 460. num certas regulas requirat. 464. quænam rejicienda. 483. 485. quomodo ex non prævisis facienda. 515. quomodo ex iis, quæ sunt origine conjuncta. 487. quomodo in favorabilibus, 500. quomodo in iis, quæ unam tantum partem onerant, vel plus onerant altera. 507. quomodo in iis, quæ pœnam continent. 508. & quæ actus irritos faciunt, vel de prioribus quid immutant. 510
Interpretationis regula generalis. 512
Interpretatio extensiva. Definitio. 516. quidnam ejus causa investigandum. 517. quid faciendum, si plures sint rationes voluntatem moventes. 518. quomodo ratio in ea spectanda. 519. quomodo facienda. 520
Interpretatio recta qnænam sit. 465
Interpretatio respectiva num habeat locum, si rationem secundum potentiam moraliter consideratam sub se comprehendit. 552
Interpretatio restricta quomodo facienda ob utilitatem, vel æquitatem. 505
Interpretatio restrictiva. Definitio. 526. quando locum habeat. 527. 528. quomodo facienda. 529. *& seqq*
Inventores. Definitio. 859
Investitura. Definitio. 219. num naturaraliter requiratur ad feudum. 220
Investitura abusiva quænam dicatur, *n.* 219.
propria quænam dicatur. *ibid.*
Iter quando jure superficiario comprehendatur. 142
Judices. 872
Jus an a moriente amittatur. 700. in quem amissum transmittatur. 710. quando idem non extinguatur. 709. an transferri possit in eventum mortis. 705. quando sic translatum in alium transmittatur. 708. num transferri possit in nondum natos. 833. quomodo intelligendum sit, si quis se jus in eum transferre dicat. 834. quodnam competat in eum, qui annonam incendit. 618. in aquam profluentem, proprio facto flumine. 688. quale sit eorum, qui in eandem scapham in naufragio insiliunt. 588. & seqq.
Jus ad bona defuncti cuinam competat. 712.
Jus ad rem num per mortem amittatur. 704.
Jus a morte alteri debitum num morte amissum extinguatur. 711
Jus alienandi quomodo restringatur. 7

BIU Cujas

Jus cenſiticum. Definitio. 108. quale ſit jus. 109. quamdiu duret. 119. quomodo extinguatur. 118. 119. pro quo pretio remittendum. 117
Jus collatum ſibi ac deſcendentibus ſuis quando acquiratur, ſi vobis ſimul competere poteſt. 835
Jus commorandi in alienis terris. 692. quale ſit. 698
Jus comparandi ſibi res in aliis terris. 694 quale ſit. 698
Jus commune quando reviviſcat. 600
Jus commune ad res reviviſcens quale ſit. 601.
Jus domini feudi in genere. 160. ad exigendum renovationem contractus feudalis. 210
Jus emphyteuticarium num oppignorari poſſit. 84. quomodo ejus oppignoratio differat ab oppignoratione rei. 80. & quemnam effectum producat. 81
Jus erigendi monumenta & epitaphia. 797 & ſeqq.
Jus eruditi ad munus ambiendum. 884. ad petendum commendationem ab alio, 885. ad famam defendendum. 894. ad defendendum famam aliorum eruditorum. 898
Jus ex communione primæva reſiduum quodnam dicatur. 561. an detur. 563
Jus exigendi canonem emphyteuticum quale ſit. 24
Jus exigendi laudemium quale ſit. 38
Jus immutandi fundum quomodo in feudo reſtringatur 195. quando reſtringatur utiliter. 8. quando inutiliter. 9
Jus in ædes vicinas, ſæviente incendio. 677.
Jus in re feudali quomodo uſu capiatur & præſcribatur. 426
Jus in re libellaria quale ſit. 104
Jus in retia aliena, in quæ navis impulſa. 676
Jus libellarium. Definitio. 98. quodnam intervenire debeat, ſi conſtituitur. 99. quo effectu remittatur 106. quando extinguatur. 107
Jus neceſſitatis. Definitio. 564. in quo conſiſtat. *ibid.* num detur quoad officia erga Deum. 578. quodnam detur in communione primæva. 602. quam late pateat. 603. quodnam competat, cibariis deficientibus in navigatione vel obſidione. 611. 612
Jus neceſſitatis in res aggreſſoris. 620. in res alienas. 595. & ſeqq. quouſque hoc extendendum. 598. in rem alienam ob commune periculum. 621. in rem ſe moventem, veluti equum alienum. 614. in arma aliena. 615. in inſtrumenta aliena, incendio orto. 616. ad res, quæ in navi ſunt. 613. in res comparandas. 608. 609. in venditionem frumenti. 617
Jus neceſſitatis ex communione primæva reſiduum quale ſit. 604. quam contineat obligationem. 605. 606
Jus perſonale num ſit tranſmiſſibile. 707
Jus pignoris in re emphyteutica quando extinguatur. 85
Jus poſſidendi num per mortem amittatur, 703. quomodo acquiratur a domino utili & vaſallo. 215
Jus provinciarii ex recta interpretatione. 466.
Jus protimiſeos num tollatur conſenſu in alienationem feudi. 402. 405. num competat domino feudi. 396. num agnato, feudo alienato. 395. in quanam alienatione locum habeat. 397. quo ordine ſit exercendum, feudo alienato. 403. 404
Jus protimiſeos habens quando feudi alienationem prohibere poſſit. 399. quando feudum alienatum revocare. 400. num vivo alienatore revocare poſſit. 401. quamdiu eodem uti poſſit feudo alienato. 406
Jure protimiſeos utens, feudo alienato, quod pretium offerre debeat. 398
Jus providentia majorum quæſitum. Definitio. 847
Jus ſepulturæ num detur. 768. quo fundamento nitatur. 769. an omnibus hominibus competat. 770. quale ſit jus. 772.
Jus ſervitutis æmulum quando a vaſallo concedatur. 346
Jus ſuccedendi in feudo num renunciari poſſit. 417
Jus ſuperficiei, ſeu *ſuperficiarium*. Definitio. 120. quomodo conſtituarur. 121. 126. 127. an gratis conſtituatur. 123. a quonam conſtitui poſſit. 125. quando comprehendat iter, vel viam. 142. quando extinguatur. 137. n committi poſſit. 449. an ad aliam ſuperficiem, quam conventam extendi. 150. num ad res alias extendi poſſit. 148
Jus tranſmiſſibile. Definitio. 706

BIU Cujas

Jus non transmissibile. Definitio. 706
Jus transmittendum morte possidentis in alium quomodo acquiratur. 836
Jus vasalli in re feudali. 159. in subinfeudatione num augeri, vel minui possit. 316
Jus vendendi rem alteri. 696. num in terris alienis alicui competat. 697
Jus vindicandi superficiem num superficiario competat. 146
Jus utilitatis innoxiæ. Definitio. 675. quod detur. 684. in introductione domoniorum exceptum. 685. quale sit. 687

L

Lata interpretatio quando locum habeat. 501. 502
Laudemium. Definitio. 34. 228. in quonam consistat. 35. 229. ejus quantitas quomodo determinetur. 230. quomodo jus ad idem acquiratur, *ibid.* an mutato domino solvandum. 231. quando a novo vasallo solvendum. 232. quando nullum præstandum. 233. quo fine constituatur. 35. jus ad id quomodo determinetur. 36. quando exigendum. 39. 235. an debeatur, mutat domino emphyteuseos. 40. an a novo emphyteuta solvendum. 37. num a successore in emphyteusi. 53. an si emphyteusis alienata redit ad alienantem. 54. an alienatis ædibus superficiariis. 144
Laudis factorum illustrium diversitas. 788
Laudis officium num mortuis debitum. 715. quamdiu debeatur. 729
Laus eruditis quænam tribuenda. 888. num immeritam tribui permittendum. 891. num eidem detrahere liceat. 893. num eandem alteri invidere liceat immeritam. 891
Leges plures quando in eodem pacto contineantur. 541
Legis positivæ collisio in casu emergente cum lege naturæ. 537
Legum collisio in casu emergente. 539
Legum præceptivarum tacita exceptio. 567
Liberi homines num in contributionem veniant propter jactum. 640
Libertas comparanda sibi res alio æquo pretio. 695
Libertas naturali quoad ceremonias funebres. 805
Libertas philosophandi an sit juris naturæ. 909. quomodo naturaliter restringatur. 911. an erudito unicuique concedenda. 910.
Literæ investituræ. Definitio. 226. an iis sit opus. 227
Literator. 858
Locarium ministrorum navis num in contributionem veniat propter jactum. 644
Locarium vectorum num in contributionem veniat propter jactum. 641
Locatio ædium superficiariarum num permissa. 141
Locus inter eruditos ut obtineatur, opera danda. 860. in quonam gradu subsistendum. 861. 862
Luctus. Definitio. 815
Luctus mortuorum an licitus. 816. 817

M

Magistratus. 872
Magister navis quando damnum jactu datum refarcire teneatur. 664
Majores quinam sint. 849
Male facta mortuorum num excusanda. 728. quo fine dicere liceat notoria. 727
Malum par si tibi & alteri imminet, quid faciendum. 574
Medicus. 858. 872
Membrum corporis insanabile num abscindere liceat. 584. 585
Memoria eorum quæ recte ac bene fecit defunctus, quod conservanda. 780
Merces in nave quando non veniant in contributionem. 673
Merces pro re feudali locata solvenda quam qualitatem habeat. 323
Mixta ex favorabilibus & odiosis quænam sint. 499
Monumentum. Definitio. 747. quibusnam erigendum. 798. 799. jus ad erigendum num detur. 797
Monumentum sepulchrale. Definitio. 790. an sepulchrum contineat. *ibid.* cuinam extruendum. 795
Moram & moram nullam habentia si collidantur. 551
Morborum cognitio unde pendeat. 821
Moriens cuinam bene faciat. 741
Mortui ubi sepeliendi. 774. quando in se sepeliantur. 745. quales iis conveniant vestes. 811. an omnibus eædem. 812.

BIU Cujas

812. an injuriari possint. 732. num iis injuria fieri possit. 730. num eorum famæ ac laudi detrahere liceat. 725. an iisdem infamiam adspergere. 731. quomodo gratiæ eis agantur. 722. an eos ignominia afficere liceat. 731. num mandere. 750. 751. num veste lugere. 818
Mortuos humare num sit juris naturæ. 765
Mortuorum cadavera num cadaveribus brutorum æquiparare liceat. 734. an canibus ac feris abjici. 735. num ex conspectu vivorum removenda. 733. quando spectanda exponi debeant. 814
Mortuorum imitatio præcepta. 778. in quibus illicita. 779
Mortuorum vestitus quando ad ceremonias referendus. 813

N

Nationis studium circa gloriam illicitum. 896
Naturalia contractus quænam dicantur. n. 163.
Naturalia feudi quænam dicantur. 162
Naulum. Definitio. 629. quando non debeatur. *ibid.* an in contributionem veniat propter jactum. 630. quantum veniat. 632. quando restituendum. 631. quomodo in contributione spectetur. 633
Navis quando non veniat in contributionem ob damnum. 672
Navis si in retia aliena impellatur, num ea dircindere liceat. 676
Necessitas num liberet a peccato. 568. quando faciat licitum, quod alias prohibitum. 573. quamnam vim habeat in jus æquo pretio res sibi comparandi ab alio. 618. in jus petendi res necessarias, vel earum usum. 599
Necessitate cessante quando pretium rei consumtæ restituendum. 607
Necessitas inevitabilis, cui resisti nequit, num faciat exceptionem a lege. 566
Necessitas irresistibilis num detur respectu cultus divini interni. 579. num respectu ejus, quod prohibetur. 571. quam vim habeat in cultum Dei externum. 582.
Nexus feudalis. Definitio. 431
Nondum nati num jus habeant. 830. an possint acquirere. 831. an in eos jus transferri queat. 833
Nullitas in interpretatione num admittenda. 485

O

Obligatio num morte extinguatur. 700 704. num detur ad actum internum externo impedito. 583. quænam sit ejus, cujus culpa, vel dolo incendium ortum. 681. qualis contineatur in jure necessitatis quoad res, quæ usu non consumuntur. 605. quoad eas, quæ usu consumuntur. 606. 607
Obligatio feudalis. Definitio. 431. ratio. 432. quamdiu duret. 433
Occidere num liceat alterum ob famis atrocitatem in summa cibi penuria. 587
Odiosa quænam dicantur. 494. quomodo interpretanda. 506
Officium erga Deum num in casu collisionis officio erga se, vel alios præferendum. 576. qualis sit ejus observantia. 577
Officium erga se, vel alios num cultui Dei externo præferendum. 581
Officium erga se ipsum respectu mortuorum. 777
Officium eorum, qui per se de rebus statuere nequeunt. 866
Officium erga posteros quoad artes & scientias. 852. ejus principium generale. 850
Onera in emphyteusis ad quem pertineant. 75. ad quem in feudo. 354. 355
Onus feudo in gratiam tertii adjectum. 183
Oppignoratio fructuum rei feudalis. 360
Oppignoratio juris & rei emphyteuticæ quomodo differat. 80
Oppignoratio rei feudalis num fieri possit absque consensu successorum feudalium. 359. si fiat cum consensu domini, sed sine consensu successorum. 361. 362. quomodo tunc facta intelligatur. 363. & quodnam jus inde consequatur creditor. 364
Oratio funebris. Definitio. 793. objectum. *ibid.* cuinam haberi possit. 800

P

Paciscentes quomodo loqui teneantur. 467.
Pacta quatenus legibus assimilantur. 540. quando legi præceptivæ, prohibitivæ, per-

BIU Cujas

permiſſivæ æquivaleant. 542. num in iis quilibet verborum ſuorum interpres eſſe poſſit. 461
Pactorum colliſio in caſu emergente inter ſe. 539. cum lege naturæ. 537. affirmativorum inter ſe, quando nihil fieri permittit. 552. eorum cum diverſis diverſo tempore initis. 546. jubentis & vetantis. 545. permittentis & jubentis, 543. permittentis & vetantis. 544
Parentatio. Definitio. 793
Peccari in mortuos num poſſit. 730
Pecunia quando manentem præſtet utilitatem. 277. quomodo efficiatur quaſi res inconſumtibilis. 275. quaſi res, qua uti frui datur, ſalva ſubſtantia. 278. quomodo ad infeudandum apta efficiatur. 276. quomodo infeudetur. 279
Pecunia allodialis quænam ſit. 284
Pecunia feudalis quænam ſit. *ibid.* an ſit feudalis ea, pro qua feudum venditum. 285. num quæ ad feudum emendum deſtinata. 287. num quæ re feudali utendo fruendo acquiſita. 324
Pecunia ex feudo redacta, quando feudum aliud emendum. 288. quando heredibus feudalibus deferatur. 289. an in feudalem converti poſſit. 390
Pecunia in navem credita num propter jactum in contributionem veniat. 675
Penſiones præmobiles quænam ſint. 153
Peregrinis quid in tranſitu debeatur. 699
Periculum quodnam alteri præferendum. 586. quando vitare liceat cum præſenti diſcrimine. 593. quando in eodem alterum deſtituere. 592
Periculum fructuum ad quem in emphyteuſi pertineat. 74. ad quem in feudo. 321
Phyſicus. 858
Pignoris jus in re emphyteutica quando extinguatur. 85
Piſcina in ſolo alieno habenda. 148
Pœna ob non ſolutam penſionem annuam a ſuperficiario. 152
Pœnæ conventionales num admittant excuſationem in interpretando. 509
Pœnalia num ſint odioſa. 497. quomodo interpretanda. 508
Poſſeſſio num per mortem amittatur. 702
Poſteri quinam ſint. 848. quinam tui. *ib.*
Poſterorum felicitatis cura præcepta. 856
Præſcriptio vaſalli adverſus dominum. 426. 427. 430. domini adverſus vaſallum. 426. 428.
Pretium pro remiſſione juris cenſitici ſolvendum. 117. quodnam intervenire debeat in contractu libellario. 99
Principium heuriſticum de feudi vindicatione. 384
Profeſſores. 872
Progreſſus continuus ad cognitionem ulteriorem præceptus. 862
Promiſſa quando non habeant tacitam conditionem, ſi res maneant, quo ſunt loco. 533. 535. quando habeant. 534
Promiſſi jurati & non jurati colliſio. 548
Promiſſa liberalia quando ſtricte interpretanda. 511. 513. contra quem in iis verba reſtringenda. 514
Promiſſi pœnalis cum alio in caſu emergente colliſio. 549
Promiſſarius num verba promittentis interpretari poſſit. 463
Promiſſor num verborum ſuorum interpres eſſe poſſit. 461
Proprietas quænam jura contineat. 5. quot modis reſtringi poſſit. 6. quomodo reſtringatur ad alium quoad jus alienandi. 7. quomodo quoad jus immutandi fundum. 8. 9. quomodo in feudo 193. 194. quomodo in emphyteuſi. 26
Proprietas verborum quando in interpretatione non attendenda. 484. 486
Protectio conventa ſi non præſtetur, an ſit felonia. 442

Q

Quaſi ſpes acquirendi jus fœtus in utero qualis ſit. 837. num ea eidem adimi poſſit. 838. ſi fœtui in utero quid detur, num eidem adimi illa poſſit. 841

R

Rapina num committatur, ſi domino invito vi eripiatur res neceſſaria in extrema neceſſitate. 597
Ratio eorum, quæ funeris cauſa fiunt, unde deſumenda. 763
Ratio in interpretatione extenſiva quomodo ſpectanda. 519
Rationi voluntatis cur interpretatio conformanda. 489. ſi plures fuerint, quomodo

BIU Cujas

modo interpretatio facienda. 490
Recta interpretatio quod jus conferat promissario. 466
Refutatoris finis. 905. a quibusnam is abstinere debeat. 906
Refutatio feudi. Definitio. 407. quænam de eadem tenenda. 408. & seqq.
Regula generalis exceptionis faciendæ in collisione pactorum. 557
Regulæ interpretandi num sint necessariæ. 464. quod demonstrandæ. 465
Rhetor. 858
Renunciatio pro nondum natis num expressa esse debeat. 844. an sit valida. 842. num fieri possit salvo jure nondum natis acquirendo. 843. num pro fœtu in utero sit valida. 842
Renunciatio juris succedendi in feudo. 417
Repudiatio juris transmissibilis num noceat nondum natis. 845. an fœtui in utero. 846.
Rerum universitas num infeudari possit. 310. num in feudum offerri. 311
Res quando æquo pretio ab invito comparari possit. 608. 619. quando pro re alia. 609. quænam in contributionem veniant ob jactum. 635. quomodo in ea æstimentur. 634. num ad infeudandum offerri possit. 167. num una pluribus in feudum dari, vel offerri possit. 291. quænam ad infeudandum aptæ. 258. quænam infeudari non possint. *ib.* & n. 294. an possit dari, ut feudum tertio in ea constituatur. 250. quomodo infeudetur ea, in qua dominium utile habemus. 298. quænam præstandæ in feudo soldatæ. 270
Res aliena num ob commune periculum perdi possit. 621. quænam electio tum facienda. 623. 624
Res allodialis. Definitio. 192. cum feudali permutata num sit feudalis. 286
Res communes adhuc natura num infeudari possint. 295. an rei communis pars infeudari possit. 256
Res consumtibilis quomodo efficiatur quasi inconsumtibilis. 275. quomodo ad infeudandum apta. 276
Res dubiæ si fuerint, quid faciendum. 866
Res deterioratæ per jactum quomodo in contributione æstimentur. 653
Res ejectæ navis levandæ causa si recuperentur, quid contribuendum. 654. & seqq. quænam in iis servandus ordo, quando ejiciendæ. 646
Res emphyteutica, seu emphyteuticaria. Definitio. 13. num sine consensu domini oppignorari possit. 78. 84. quomodo ejus oppignoratio differat ab oppignoratione juris. 80. & quo effectu fiat. 81. num servitus eidem imponi possit. 86. ejus interitus totalis. 76. particularis. 77
Res feudalis. Definitio. 157. quomodo tradatur & apprehendatur. 216. num locari possit. 322. num oppignorari a vasallo. 356. 357. an alteri infeudari. 299. num ejus interitu feudum finiatur. 422. 423
Res infeudanda num alienabilis esse debeat. 296
Res libellaria. Definitio. 101. quale in eas jus habeatur. 104. an de ea disponi possit sine consensu domini. 105
Res ministrorum navis num veniant in contributionem propter jactum. 644
Res necessarias num domino auferre liceat in extrema necessitate. 595
Res pretiosæ navis levandæ causa ejectæ, si ante jactum non indicentur, quomodo spectentur. 647. num eæ, quæ sunt vectorum, in contributionem veniant propter jactum. 643
Res utilitatis innoxiæ. Definitio. 682. cur alteri indulgendæ. 683
Res trajectæ in scapham navis levandæ causa quod habeant jus. 661
Reservationes mentales num in pactis & promissis interpretandis admittendæ. 476
Retia aliena num discindere liceat, si navis in ea impellatur. 676
Revocatio feudi. Definitio. 373. quando fieri possit, quando non. 374. & seqq. quando eidem actu sit locus. 386. num sit vindicatio. 383. si feudum in unum ex pluribus pari gradu existentibus alienetur, ad quos devolvi poterat. 391
Ritus. Definitio. 807. quando differant a ceremoniis. 808
Ritus funebres. Definitio. 807. quales esse debeant. 809

S

Sanitatis cognitio unde pendeat. 821
Sceletus. Definitio. 824. usus. *ibid.* necessitas. 825. jus fabricandi unde competat

BIU Cujas

petat homini. 826
Scientiæ rerum quotuplicem habeant utilitatem. 869. quod conjunctis viribus promovendæ. 863. num ad posteros propagandæ. 852. an humano generi utiles reticere liceat. 853
Sectio cadaverum. Definitio. 819. usus. 820. an sit licita. 823
Sententia orationis num divisim, an conjunctim accipienda, in interpretatione attendendum. 402
Sepulchretum. Definitio. 773
Sepulchrum. Definitio. 746. quando commune detur. 776
Sepultura. Definitio. 744. 746. num mortuis debeatur. 767
Sepulturæ officium cuinam præstetur. 771
Servi num veniant in contributionem propter jactum. 636
Servitia feudalia. Definitio. 186. quando & quænam a vasallo præstanda. 178. an non præstita sint felonia. 439. an sit felonia, militaria non præstare in bello injusto. 441
Servitus philosophandi num juri naturæ adversetur. 912. quid inde sequatur. 913
Servitus prædialis num rei emphyteuticæ imponi possit. 86. num rei feudali. 342. 344. quomodo eidem imponi possit. 345. quamdiu a vasallo imposita duret. 347. an a vasallo acquiri possit. 352. an acquisita remitti. 353
Significatus verborum & terminorum quinam a pacisentibus attendendus. 468. quinam præsumatur in pacisendo. 469
Significatus etymologicus, vel *grammaticus*. Definitio. 473. an in interpretando sit usui. 474
Significatus latior. Definitio. 493
Significatus improprius num in interpretatione favorabilium admittendus. 503
Significatus proprius quamdiu in pactis & promissis interpretandis attendendus. 470 quando eidem strictissime inhærendum. 475
Significatus strictior. Definitio. 493
Solarium. Definitio. 124. num sit solvendum. 133. num novus superficiarius id solvere teneatur. 135. quale sit jus idem exigendi. 134
Solum, cui impositæ ædes superficiariæ, qua lege alienetur. 138
Sortis usus in determinanda exceptione in casu emergente. 556
Studere quid significet. 880. quomodo sit studendum. 881
Studiosus. Definitio. 880
Subemphyteusis. Definitio. 87. quando perimatur. 96. quid ea finita, contingat. 97
Subemphyteuticatio. Definitio. 87. an naturaliter licita. 88. quomodo fiat. 89. num quid immutet in emphyteusi. 94. quale jus in ea transmittatur. 95
Subfeudum. Definitio. 300. an denuo subinfeudari possit. 315. quando extinguatur. 336. si ad dies vitæ, vel precario constituatur. 337
Subinfeudatio. Definitio. 300. num naturaliter licita. 307. quomodo perficiatur. 304. quando fieri nequeat. 317. a quonam fieri possit. 301. num requirat domini consensum. 309. 318. quando subinfeudando felonia committatur. 449. num quid immutet in nexu feudali. 302. an in obligatione vasalli, vel domini. 303. quotuplex sit. 313
Subinfeudatio particularis rerum universitate infeudata. 312
Subinfeudatus. Definitio. 300
Substantialia contractus quænam dicantur. n. 163.
Substantialia feudi quænam dicantur & sint. 161. quomodo aliæ determinationes iisdem superaddantur. 164
Subvasallus. Definitio. 300. ejus jus & obligatio unde metienda. 306. quænam onera ferre debeat. 355. quamnam utilitatem in re feudali percipiat. 319
Successio in feudo pignoratitio vasallo mortuo. 372
Successor in bonis defuncti eum amare & signa amoris edere debet. 743
Successor feudalis. Definitio. 327. quid fiat, successore deficiente. 328
Superficiarius. Definitio. 120. jus quodnam sit. 130. quale jus habeat in solo. 122. respectu soli. 140. unde jus & obligatio ejus metienda. 129. num solarium solvere teneatur. 133. num suis sumtibus superficiem fartam tectam servare debeat. 147. quidnam possideat. 136. num superficiem alienare possit. 143. num jus suum ad aliam superficiem extendere. 150. num usumfructum superficiei alii concedere. 151
Superficiarius novus num canonem solvere teneatur. 145

BIU Cujas

Superficies num vindicari possit. 146. cujus sumtibus sarta tecta servanda. 147. num ejus ususfructus alii concedi possit. 157
Sylva in solo alieno habenda. 148

T

Termini technici quomodo interpretandi. 478. quando laxius interpretandi. 502
Traditio num ad perfectionem feudi requiri possit. 218. in quonam consistat. 216. quando ipsi contractui insit. 217
Transitus per terras & flumina propria quando personis concedendus. 689. quando mercibus. 698. an ob hunc contribuendum. 691

V

Vasallus. Definitio. 158. ejus obligatio ad fidelitatem præstandam, 245. jus in re feudali. 159. unde ejus jus & obligatio metienda. 172. quamnam utilitatem ex re percipiat. 319. num a domino compelli possit ad contractum feudalem renovandum. 241. quomodo re feudali uti debeat. 340. quando fundum immutare nequeat. 34. num servitutem rei feudali imponere possit. 342. an deteriorare liceat. 338. num omnia onera ferre debeat. 354. quænam servitia & quando præstare teneatur. 178. num vitam domini propriæ præferre. 446. num feudum alienare possit. 196. quando non possit sine consensu domini. 196. 197. quando non sine consensu eorum, ad quos transmitti poterat. 198. 199. 200. num feudum subinfeudare possit. 301. num rem feudalem oppignorare. 356. 357. num usumfructum in ea concedere. 325. 348. an usum. 325. 349. num rem feudalem meliorare. 350. num immutare. 351. an servitutem prædialem eidem acquirere. 352. an acquisitam remittere. 353. quando feloniam committat. 443. & seqq. 448. & seqq. quando non. 446. & seqq. num committat defensione violenta adversus dominum. 447. an consensu domini ad alienationem non requisito. 448
Vasalli jus in feudo de cavena. 265. in feudo soldatæ. 269. si dominus feudi pignoratitii non solvat. 367
Vasallus novus quando laudemium solvere teneatur. 232. quid de eo in alienatione conveniri possit. 234
Vectores. Definitio. 637. an in causa sint, ut jactus fieri debeat navis levandæ causa. 638. an in contributionem ob jactum veniant. 639. 640
Venditio frumenti quando cogi possit. 617
Veste num lugere liceat mortuos. 818
Vestes vectorum quando in contributionem veniant propter jactum. 649
Vestimenta quænam in contributionem veniant propter jactum. 649
Vestitus mortuorum quando ad ceremonias referendus. 873
Verba cum relatione ad aliquid sumta quomodo interpretanda. 49
Veritas an vi defendi possit. 917
Via quando in jure superficiario comprehendatur. 142
Vinea in solo alieno habenda. 148
Vitæ genera, quæ eruditi sequuntur. 872. quale ab unoquoque eligendum. 874
Virtutes morales num ad posteros propagari possint. 854. num debeant. 855. an una præstet altera. 786
Vocabula aliquid secundum gradus significantia quomodo interpretanda. 479
Voluntatis originariæ defectus quomodo intelligatur ex absurdo. 529. quomodo ex cessatione rationis. 530. quomodo ex materiæ defectu. 531
Usus num in re feudali constitui possit. 325. an a vasallo concedi. 349
Ususfructus num in re feudali constitui possit. 325. an a vasallo concedi. 348
Ususfructus superficiei num alii concedi possit. 151
Usus loquendi quinam in pactis antiquis interpretandus. 471
Utile magis num minori præferendum. 550
Utilitas cognitionis ac scientiæ rerum quotuplex. 869
Utilitas innoxia. Definitio. 682
Utilitas manens quomodo ex pecunia percipiatur. 277
Vulneratus navis defendendæ causa, vel in ministerio, cujusnam sumtu curandus. 674

Finis Indicis Partis Sextæ Juris Naturæ.

BIU Cujas



BIU Cujas

BIU Cujas

BIU Cujas


BIU Cujas

BIU Cujas

10.907